JURISPRUDENTIA FEUDALIS ORDINE TRIBONIANI COMPOSITA IN QUA JUS FEUDALE...

Francesco Antonio Magliano

Digitized by Google

Digitized by Google

JURISPRUDENTIA FEUDALIS

ORDINE TRIBONIANI COMPOSITA

In qua jus Feudale Longobardicum, Neapolitan. Siculum ſedulo; & ceterarum gentium exponitur.

CUI

Prælectiones in duos libros Conſuetudinum Feudalium tituli de Verb. Feud. ſignificatione; & de Reg. juris feud. accedunt. Et poſtremo Collectio legum Feud. Regni Neapolit. & Siciliæ.

TOMUS PRIMUS

AUCTORE

FRANCISCO ANTONIO MAGLIANO

JURISCONSULTO.

BIBLIOTH. PUB. FLORENTINAE

NEAPOLI MDCCLXX.

TYPIS DONATI CAMPI.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Fructus laboris eſt placere melioribus, *&* *pro induſtria*, *atque integritate palmam judicii promereri*, Symmach. *lib. IX. epiſt.* 39.

I.C.5.18

Digitized by Google

VIRO
AMPLISSIMO . ET . CLARISSIMO
FRANCISCO . MARIÆ . VARGAS
MARCHIONI .
EQUITI . HIEROSOLYMITANO
REGIÆ . JURIDICTIONIS . DELEGATO
ET
REGALIS . CAMERÆ S. CLARÆ . QUINQUEVIRO
PATRONO . SUO
SAPIENTISSIMO .
HOC .
BENEFICIORUM . OPUS
OFFICIOSO . ANIMO
FRANCISCUS . ANTONIUS . MAGLIANUS
DICAT . CONSECRATQUE.

Digitized by Google

EMINENTISS. SIGNORE.

DOnato Campo pubblico Stampatore di queſta Città ſupplicando eſpone all' Em. V., come deſidera dare alle ſtampe un Libro intitolato *Juriſprudentia Feudalis Methodo Triboniani tomi due in quarto opera di D. Franceſco Magliano*. Perciò ſupplica pertanto l'Em. V. la reviſione a chi meglio ſtimerà, *ut Deus*.

Adm. Rev. Dom. D. Julius Selvagius S. Th. P. & Cur. Archiep. Exam. revideat, & in ſcriptis referat. Datum die 52. Martiis 1770.

J. SPARANUS CAN. DEP.

EMINENTISS. PRINCEPS.

Juſſu Eminentiæ Tuæ ſcriptum adcurate perlegi, cui titulus Juriſprudentia Feudalis *&c. In eo nihil, quod Fidei Dogmata, vel Ethices Chriſtianæ Canones vel minimum lædere videatur, offendi. Quinimmo Viri Cl. ingenium, eruditio, & in conquirendis vel ex abdita antiquitate monumentis improbus labor ubique ſe prodit. Equidem materiam ſatis effuſam, multiplicem, implicitamque tanta ſolertia, tractat, explicatque, ut quæcunque ad Juris Feudalis ſolidam, & perſpicuam cognitionem pertinere viderentur, clara, & concinna methodo fuerit complexus. Qua de re ad publicum commodum & quamprimum evulgentur, e re publica eſſe cenſeo, ſi meo huic qualicunque judicio, Tuum, Em. Princeps, placitum accedat. Neap. XV. Kal. Quinctilis MDCCLXX.*

EM. TUAE.

Addictiſs. Obſequentiſs. Famulus.
Julius Laurentius Selvagius.

S. R. M.

Digitized by Google

S. R. M.

SIGNORE

DOnato Campo pubblico Stampatore ſupplicando eſpone a V. M. come deſidera dare alle ſtampe un libro intitolato *Juriſprudentia Feudalis Methodo Triboniani tomi due in quarto Opera di D. Franceſco Magliano*. Ne ricorre perciò dalla M. V. e la ſupplica compiacerſi commettere la reviſione a chi meglio parrà alla M. V., e l'avrà a grazia, *ut Deus*.

Magnif. U. J. D. D. Dominicus Mangerius in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor Primarius revideat, & in ſcriptis referat. Datum Neap. die 17. menſis Auguſti 1770.

NICOLAUS DE ROSA EPISC. PUTEOL. C. M.

S. R. M.

Juſſu tuo, Auguſtiſſime Princeps, ſedulo perlegi librum, cui hæc epigraphe, Juriſprudentia Feudalis *&c. Cum in eo nihil reperim, quod vel Juribus Majeſtatis Tuæ deroget, vel bonis moribus publicæque utilitati adverſetur: imo ſummam Auctoris ſolertiam conatuſque ſim demiratus, qui dum Feudorum originem ab ima antiquitate eruit, progreſſum, ac incrementa oſtendit, dum uſus Feudales, hujus Regni Conſtitutiones, Capitula, Pragmaticas Sanctiones, ceteraſque leges ad rem feudalem pertinentes tam ex barbararum Gentium inſtitutis proficiſcentes, quam ab anterioribus Regni Neapolitani Principibus prudentiſſime conſtitutas, erudite & curate illuſtrat, Jura Tua ſuprema ubique ſtrenue et ſummo ſtudio tuetur: proinde edi poſſe cenſeo. Dabam Neap. VI. Id. Maj. MCCLXX.*

Dominicus Mangieri.

Digitized by Google

Die 5. menſis Martii 1770. Neapoli.

Viſo reſcripto ſuæ Regalis Majeſtatis ſub die 2. currentis menſis & anni, ac relatione U. J. D. D. Dominici Mangerio de Commiſſione Rev. Regii Cappellani Majoris, ordine Præfatæ Regalis Majeſtatis.

Regalis Camera S. Claræ providit decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Reviſoris. Verum in publicatione ſervetur Regia Pragmtica: hoc ſuum &c.

GAETA. SALOMONE.

Vidit Fiſcus Regalis Cameræ.

Illuſtr. Marchio Citus Præſ. S. R. C. & cæteri Illuſtr. Aulæ Præfecti temp. ſubſcript. impediti.

Regiſtr.

Carulli. Athanaſius.

IN-

Digitized by Google

INDEX CAPITUM PROLEG.

CAP. I. *De jure feudali.* pag. 1.
§. I. *De Etymolog. feudi, & nomin.* 1.
§. II. *De definit. feud.; error feudiſtæ.* 4.
CAP. II. *De Orig. & progr. jur. feud.* 7.
§. III. *De Clientel. Rom. & milit. limit.* 7.
§. IV. *De Sold. Gall., milit. & actor. Rom.* 10.
CAP. III. *De Morib. German.* 14.
§. V. *De hiſtor. feud. orig.* 14.
CAP. IV. *De Orig. feud. in al. Regn.* 20.
§. VI. *De Turcis, Hiſpan., Angl. &c.* 20.
§. VII. *De Orig. feud. in Ital.* 22.
§. VIII. *De Orig. feud. in Regn. Neap. & Sic.* 25.
CAP. V. *De coll. jur. feud.* 28.
§. IX. *De ætat. atq. auct. coll. feud.* 28.
§. X. *De feud. Imp. atq. alio. LL.* 31.
§. XI. *De LL. feud. regn. Neap.* 36.
§. XII. *De LL. feud. ſub Andeg. &c.* 40.
§. XIII. *De LL. feud. Regn. Sic.* 43.
§. XIV. *De Polit. feud. Orig.* 45.
§. XV. *De uſu, atq. auct. jur. feud.* 51.
§. XVI. *De uſu, atq. auct. jur. feud. in Regn. Neap. & Sic.* 52.
§. XVII. *De Interpp. jur. feud.* 56.
CAP. VI. *De diviſ. feud.* 60.
§. XVIII. *De Orig. & rat. diviſ.* 60.
CAP. VII. *De feud. propr.* 62.
§. XIX. *De feud. novo, atq. antiq.* 62.
§. XX. *De mutat. feud. nov. &c.* 63.
§. XXI. *De differ. atq. off. feud. nov. &c.* 66.
§. XXII. *De feud. nob. atq. ignob.* 67.
§. XXIII. *De feud. reg. & non reg.* 69.

§. XXIV.

§. XXIV. De rat. feud. reg. 72.
§. XXV. De feudis Eccleſiaſt. 73.
§. XXVI. De ceter. feud. Eccl. cauſ. 78.
§. XXVII. De feud. lig. & non lig. 84.
§. XXVIII. De feud. Emp. & maſcul. 87.
§. XXIX. De feud. cur. & extr. curt. 90.
§. XXX. De feud. oblat. 93.
§. XXXI. De Cauſ. & prop. feud. oblat. 96.
CAP. VIII. De feud. improp. 99.
§. XXXII. De feud. pecun. 99.
§. XXXIII. De feud. pignor. 102.
§. XXXIV. De feud. Franco. 103.
§. XXXV. De feud. fæmin. 105.
§. XXXVI. De feud. Guard. & Gaſtal. 107.
§. XXXVII. De feud. Sold. & Cenſual. 111.
§. XXXVIII. De feud. Cam. & Caven. 113.
§. XXXIX. De feud. habit. & juriſd. 116.
§. XL. De feud. advocat. 118.
§. XLI. De feud. heredit. & ex pact. 122.
§. XLII. De differ., clauſ. feud. ex pact. & hered. 125.
§. XLIII. De al. feud. ſpec. 129.
CAP. IX. De feud. Regn. Neap.
§. XLIV. De pleriſq. feud. ſpec. exol. 132.
§. XLV. De feud. ſimpl. quater. 135.
§. XLVI. De feud. quatern. ſec. quid. 140.
§. XLVII. De feud. plan., & de tab. 143.
§. XLVIII. De feud. Eccl. Reg. Neap. &c. 147.
§. XLIX. De cauſ., atq. inveſt. feud. Eccl. Reg. Neap. 154.
§. L. De Indole feud. Eccl. 159.
§. LI. De eſſentia feud. 164.
§. LII. De Nat., atq. accid. feud. 167.
CAP. X. De Affin., atq. diſſimil. feud. 175.
§. LIII. De ſimil. feud. cum al. contract. 175.

§. LIV.

§. LIV. De ſimil. feud. cum Eccl. benef. &c. 179.
§. LV. De diſſimil. feud. cum recen. contract. 182.

LIBER PRIMUS feud. Juriſprud.

TIT. I. De diviſ. perſon. 185.
§. I. De diviſ. perſon. 185.
TIT. II. De Vaſallis. 192.
§. II. De Duce, & Comit. juris Germ. & Rom. 192.
§. III. De Duce, & Comit. jur. Ital. 199.
§. IV. De March., Baron. & Princip. 201.
§. V. De Vaſal. Regn. Neap. 205.
§. VI. De ætat. qua feud. evaſ. heredit. 211.
§. VII. De his qui ſunt ſui, vel al. jur. 216.
TIT. III. De Tutelis. 220.
§. VIII. De Tutela Vaſallitica. 220.
§. IX. De Tutela Dominica. 224.
§. X. De Regia Neapol. tutela. 227.
§. XI. De Curatore feudali. 230.
§. XII. De Tutor. Auctor. & Curat. 232.
TIT. IV. De Nuptiis Vaſallorum. 234.
§. XIII. De jure Dominico in Nupt. Vaſal. 234.
TIT. V. De his, qui feud. dar. poſ. 238.
§. XIV. De act. in feud. facul. 238.
§. XV. De Infeudat. Regn. Neap. 241.
TIT. V. De his, quibus feud. dar. pot. 244.
§. XVI. De paſſiva infeud. facul. 244.

LIBER SECUNDUS Feud. juriſp. 253.

TIT. I. De Rebus, quæ in feud. dar. poſ. 253.
§. I. De diviſ., & qualit. rerum. 253.
TIT. II. De Bonis Coronæ. 260.
§. II. De doman., orig., atque indol. 260.
TIT. III. De Regalibus ſum. Princ. 265.
§. III. De Tempore quo Princ. &c. 265.
TIT. IV. De Major. regal. 270.

§. IV.

§. IV. *Lex*, *Magiſt.*, Dign., *&* Nobil. 270.
§. V. *Notar.*, *Legitim.*, *venia ætа.* 272.
§. VI. *Veſtig.*, *mone.*, *Sacra*, *bell. provoc.* 276.
TIT. VI. De *minoribus regal.* 282.
§. VII. *Arman.*, *via publ.*, *flum.* 282.
§. VIII. *Port.*, *ripal.*, *naufrag.*, *bona vacan.* 285.
§. IX. *Bona indig.*, *inceſt.*, *&* *præſcrip.* 288.
§. X. *Anger.*, *collat.*, *argent.*, *palat.* 292.
§. XI. *Piſcatio*, *venat.*, *ſalin.* 295.
§. XII. *Læſa Majeſt.*, *multa*, *Theſaur.* 298.
TIT- VII. De *jurib. &* *Bon. Coron. Regn. Neap.* 301.
§. XIII. De Doman. *&* *regal.* 301.
§. XIV. De *R gal. ſub Svev. &* *ſucceſ.* 307.
TIT. VIII. De *modis adquir: regal.* 316.
§. XV. De *Privil.*, *&* *præſcrip.* 316.
§. XVI. De *rebus Princip. infeud. vel non.* 321.
TIT. IX. De *Rebus divini juris.* 323.
§. XVII. De *bonor. Eccl. infeud.* 323.
§. XVIII. De Decimis *infeud.* 332.
§. XIX. De *rebus corp. &* *incorp.* 337.
§. XX. De *rebus*, *quæ in feud. dar. non poſ.* 341.
§. XXI. De *abuſu infeudat.* 344.
TIT. X. De *feudor. acceſſio.* 348.
§. XXII. De *natur.*, *&* *civil. acceſ.* 348.
TIT. XI. De *feudali juriſd.* 353.
§. XXIII. De *mediæ æta. juriſd.* 353.
§. XXIV. De *juriſd. capite minuta.* 359.
TIT- XII. De *Vaſallitica juriſd. Regn. Neap.* 361.
§. XXV. De *juriſd. Regni a Nortm. ad Svevos.* 361.
§. XXVI. De *juriſd. Baron. a Svevis ad Arago.* 366.
TIT. XIII. De *juriſd. Baron. ab Arago. &c.* 370.
§. XXVII. De *jure Silveſtri.* 370.
§. XXVIII. De *jure paſcendi.* 374.

§.XXIX.

Digitized by Google

§. XXIX. De *jure aquarum.* 377.
§. XXX. De *juribus perſon.* 381.
§. XXXI. De *juſtitiæ admin.* 384.
§. XXXII. *An ſub feud. conceſ. juriſd.* 388.
TIT. XIV. De *mod. adq. feud.* 394.
§. XXXIII. *Comm. arg. opin.* 394.
§. XXXIV. De *inveſt. defin.* & *diviſ.* 396.
§. XXXV. De *effect. abuſ. inveſt.* 399.
§. XXXVI. De *Symbol. inveſt.* 403.
§. XXXVII. De *inveſt. feud. Regn. Neap.* 407.
§. XXXVIII. De *clauſ.* & *interp. inveſt.* 409.
§. XXXIX. De *præſcrip.* 413.
§. XL. De *præſcrip. feud. Regn. Neap.* 415.
TIT. XV. De *ſucceſs. feud.* 418.
§. XLI. De *ſucceſ. ex teſtam.* 418.
§. XLII. De *legitima*, & *exhered.* 421.
TIT XVI. De *ſucceſs. inteſt.* 424.
§. XLIII. De *ſucceſs. deſcend.* 424.
§. XLIV. De *conditit. deſcenden.* 426.
§. XLV. De *ſucceſs. mulier.* 432.
§. XLVI. De *jure primogen.* 435.
§. XLVII. De *ſucceſs. Collater.* 439.
TIT. XVII. De *ſucceſs. feud. Regn. Neap.* 444.
§. XLVIII. *Clientel. regni notiones.* 444.
§. XLIX. De *ſucceſs. deſcend.* 457.
§. L. De *ſucceſs. collater.* 449.
§. LI. Da *ultima feud. vaſal. facul.* 455.
TIT. XVIII. De *ſucceſs. feud. Regn. Sicil.* 458.
§. LII. De *ſucceſs. deſcen.* & *Coll.* 458.
TIT. XIX. De *iure Vaſalli in feud.* 460.
§. LIII. De *ſubfeudo juris Longobar.* 460.
§. LIV. De *ſubfeudo Regni Neap.* 464.
ER-

Digitized by Google

ERRATA	*CORRIGE.*
P. 9. v. 30. curt.	cur?
p. 10. v. 25. habere	haberent.
p. 13. v. 8. opinio	opinionem.
p. 14. not. Germaniæ populos	ſuppl. *negat.*
p. 20. Turis	Turcis.
p. 59. v. 21. Caodore	candore.
p. 77. not. Joſeph.	. . . .
p. 121. v. 37. mabiloni loc. cit.	. . . .
p. 147. not. Hugonem	Falconem.
p. 205. v. 25. Aputrium	aprutium.
p. 208. v. 14. Fulco	Falco.
p. 229. v. 29. XII.	XV.
p. 262. not. Trin.	Tirin.
p. 279. v. 19. videndum	vivendum.
p. 295. v. 24. *Xenat.*	*Venat.*
p. 317. v. 29. *to.* X.	*to. V.*
p. 389. v. 7. 311.	1311.
p. 407. not. Fazella	Malaſpina.
p. 427. not. debit.	dedit.

Cetera, benigne, Lector corrige.

Nonnulla, quæ judicio Eccleſs. cenſoris bonos mores lædere videntur, Volum. II. clarius dabit.

Digitized by Google

PROLEGOMENA
JURISPRUDENTIÆ FEUD.

C A P. I.
DE JURE FEUDALI.
§. I.

De Etymologia feudi, & nominibus.

FEUDALI juriſprudentiæ operam daturum, prius noſſe oportet, unde nomen feudi deſcendat; cum dogma ſtoicorum ſit, definitionem nominis, præcedere debere definitionem rei. Nonnullis viſum, eſt deduci ab anglica voce *fee* ideſt *pecunia*, *ſtipendium*, *ſalarium*, & *od* hoc eſt *poſſeſſio*: Aliis placuit, a *fædere*: aliis a *funden*, ideſt *paſcere*, ob utile vaſalli Dominium, quare a Turcis vocatur *Timar*, & vaſalli *Timariotæ*, qui Principis beneficio, & precario jure, agros, quibus feudalitas ineſt, poſſident, Bodinus *de Repub.* I. c. 10., P. Gregor. *Synt. lib.* VI. *c.* II. *n.* 10., Klock. *de Contrib. Cap.* XIV. *Sect.* 2. *n.* 17. &

recte Lazar. Soranzus *lib. de Militar. Copiis Turc.* inquit, *Turcici equitatus præſtantia in Spachis conſiſtit, qui ſtipendii loco certos habent reditus, quos illi timara vocant. Timarum proprie dici poteſt penſio quædam, vel aſſignatio certorum redituum, qui ex fundis percipiuntur, bello adquiſitis, qui certa proportione diſtribuuntur militibus, quorum præ ceteris emicuit magnanimitas, quique ſtrenuam in bello navarunt operam. Cum coloniis antiquis, vel feudis, vel quæ noſtra ætate dicuntur, commendaturis, comparari poſſent* (*a*). Alii acceſſunt a voce germanica *feed*, quæ *bellum* ſignificat, publico, privatove conſilio ſuſceptum, unde *Faida* in barbarorum legibus, & chartis ſumitur pro *capitali inimicitia lib.* I. longobard. *tit.* IV. *ll.* 17. (*b*).

Fatendum porro eſt, incertam eſſe vocis *Feudum* originem; & puto a diverſis qualitatibus, varia poſſe veriloquia ſuſcipere, ut de *agro* advertit *Varro lib.* I. *de L. L.* Nos Feudiſtam in II. *f.* 3. *in fi.* ſequimur, qui a *Fide* derivat; quoniam præcipua hujus clientelæ conceſſio, fuit ratio adverſus hoſtes bellum gerendi, in quo magis fides, quam peritia, & fortitudo requiritur, atque ab hac fidei præſtatione, merces, ſtipendia, jura, & prædia dicta ſunt Feuda, quorum ſubſtantia non in ſervitio, vel alio, ſed in fidelitate ſita eſt, quæ tam arcto nexu cohæret feudo, ut nulla poſſit conventione remitti. Hinc Vaſalli dicuntur *fideles* I. *f.* I. §. I. & 2. quos Saxones nuncupant *leudes*, & feudum, *leudum*, ideſt *fidelitas*: & in lege Salica vaſalli *anſtruſtiones* a *ſtruſtis*

(*a*) Hæc nox *timar* ab Arabis potius, quam a Græcis ſumpta videtur, quibus תמר *timar*, eſt *pretium*, *fructus*, *palma*, *Pſal.* XCII. Quæ notio ſedulo veterem feudi naturam judicat, dum ex fructibus prædiorum vaſſus aleretur.

(*b*) Facinoroſis enim hominibus, familias, quas ipſi læſerant, fas erat privato bello aggredi, niſi tranſegiſſent, Tacit. de *M. G. c.* 21. Bigno. ad Marculf. lib. II. c. 18. *Omnibus germanicis, inquit, gentibus, quæ Gallias inſederunt, mos erat, privatas inimicitias armis perſequi. Quæ prava conſuetudo adeo invaluit, ut nec Principis imperio, nec legum auctoritate, per ſexcentos ferme annos aboleri potuerit; quin imo legibus id non omnino prohibebatur, ſed tantum nimia licentia certis finibus coercita erat.*

Digitized by Google

ſtis h. e. Fidelitas, *Ciron. in part. Decret. de Feud.* Non enim pacata Reipubl. forma, ſed, labente antiquiori ætate, bellis undique graviſſimis Imperatores, & Principes impetiti, ſuis Magnatibus integras dabant regiones, ſub fidei conditione, ideſt jure feudi tuendas; recte itaque feudum dicitur a fide, donec alia non melior exhibeatur origo, Conf. Struvi. 5. *j. f. Cap.* 11. *A.* 1. 3. *Hotom. diſp. feud.* 1. *Budæ. ad* 1. *berennius D. de evict.*

In Barbarorum ætate *feudum* crebro dicebatur, *fiſcus*, *militia*, *honor*, *miniſterium*, *gaudium*, *munus regium*, *beneficium regale*, (c) Wolfang. Teſtor *diſſert. de feudis imperii* 11. §. 2. *Struv. Hiſt. jur. feud. p.* 2. Freherus ad Conſt. Caroli III. *feodum*, *ſtipendium*, *commendatum*, Weſtphal diſſ. *de fatis*, & *nev. Stud. jur. feud.* §. 4., latine dici poſſet *clientela*, vel *beneficium*. Sæpe neceſſitas cogit nova ſcudere voces, novis inventis rebus, ſicut Romani, neceſſitate ſuadente, non pauca ab Hiſpanis, Græcis, Syris, Aegyptiis, Perſis, Afris, Britannis, Germanis, Gallis, ceteris vocabula mutuare cogebantur, flexuque Romano donare. Voſſi. *de Vit. Serm. lib.* 1. *c.* 7. Non dedignamur vocem *feudum* uſurpare, quo clientelam, prædium, vel quid aliud ſnb fidei conditione datum ſignificamus.

Quo autem ſeculo vox *feudi* nata ſit, eruditi diſſentiunt: alii

---

(c) Quamquam *beneficium* ſæpe differat a *feudo*, ut oſtendit Murat. *diſſert.* XI. & dicam *lib.* IV. *tit. de V. S.* ſed aſſidue pro feudo ſumitur; hinc diſſidium inter Frid. I. & Adrianum P. in hujus vocis interpretatione; Papa enim aſſeruit Imperium eſſe R. eccleſiæ beneficium, ideſt feudum; Fidericus his verbis inceſſus, reſcripſit, Papam eſſe mentitum, quare Adrianus legatos ad eum miſit, ut vocem *beneficium* more Pædagogi explicarent, Radev. *lib.* 1. *de G. Frid.* 1. *c.* 8. Chronic. Magnum Belgicum edit. Piſtor. *Cum ergo anno regni ſui* (Friderici) *quinto*, *Adrianus Papa miſiſſet ad eum in Galliam duos Cardinales legatos, cum literis ſuis, in quibus inter cetera continebatur*: (*beneficium Coronæ tibi contulimus*) *verbum* (*beneficium*) *quidam de Conſiliariis Imperatoris ex communi uſu exponendo, in Contumelia Imperatoris cedere aſſeruerunt. Qua de cauſſa Cardinalibus Imperator reſpondit: quod a ſolo Deo habemus, non Romano Pontifici, ſed ſoli Deo attribuimus* &c.

Digitized by Google

ſeculo VIII. & IX. ætate Carolidarum auditam fuiſſe negant. Nonnulli in Pipini, Caroli M., Hludovici Pii, Hlotharii I. Ludovici II. Caroli Calui, & Caroli Craſſi Impp. monumentis profitentur non inveniri, & omnia diplomata, in quibus *feudi* mentio occurrit, ante hanc ætatem falſa dijudicant. Plures ſeculo IX. notam aſſerunt, vid. joa. *Huemann. De Prima Vocis feudi orig.*, Gabaver *diſſ. de orig. feud. German.* §. 19. Ludewig. *de jur. clien. ſect.* I. *c.* II. § 4. inquit, hanc vocem nunquam ſe legiſſe in diplomatis ante ſeculum x. At licet recens ſit vox, *Res tamen ipſa ante nomen erat*, ut de Paroch. inquit Aug. tract. in joan.

§. II.

De Definitione feudi : error feudiſtæ.

FEudiſta in II. f. 23. feudum definit: *beneficium, quod ex benevolentia ita datur alicui, ut proprietas quidem rei immobilis beneficiatæ penes dantem remaneat: uſusfructus vero illius rei ita ad accipientem tranſeat, ut ad eum, heredeſque ſuos maſculos, vel fœminas (ſi de his nominatim dictum ſit) in perpetuum pertineat: ad hoc, ut ille, & ſui heredes fideliter Domino Serviant: ſive illud ſervitium nominatim quale eſſe debeat, ſit expreſſum, ſive indeterminate ſit promiſſum.*

Hæc definitio ſeu deſcriptio vapulat eruditorum ſermone; & merito. (1) Quamvis feudum dicatur beneficium in I. *f.* I. §. *ul.* I. *f.* 17. tamen feudum non eſt actio, ſed jus in re conſtitutum; (2) indoles beneficii eſt, non recipere conditionem, quum ſit legitimus humanitatis actus; ſed clientelæ annexa eſt fidelitas, & ineſt ſervitium; & qui fidelitatem recuſat præſtare, nulla ei faciunda erit inveſtitura II. *f.* 3. §. *nulla*: (3) beneficium non parit obligationem, quia eſt benevola actio: ſed ex feudo ultro citroque naſcitur obligatio, & naturalis, & civilis, qua Domino, & vaſallo mutua adquiruntur jura: (4) Perperam feudum definitur eſſe *res immobilis*, quum illud ſit jus in re immobili; ſeu poteſtas utendi fruendi re, immobili. (*d*) Male & feudum definitur *perpetuum*; olim

(*d*) Hinc errat Duare. *de feud. cap.* II. *n.* I. qui definit, per rem

olim feuda erant precaria, ſucceſſionem ignorabant, & nonniſi ſeculo IX. & X. ſucceſſionis jure regi viſa ſunt; & jure longobardico hodie adſunt feuda inſtar veterum feudorum, nempe *Guardiæ*, *Gaſtaldiæ*, etſiquæ ſunt I. *f.* 2. (*e*) Wiſſenbach *Compend. jur. feud. cap.* I. Hotom. ad II. *f.* 23, Vultej. de *feud. lib.* I. *c.* 2. Weſſenbec. de *feud. Cap.* I. *n.* 2. Feudiſtæ definitio antiquis placuit interpetibus, teſte Roſent. *Cap.* I. *concl.* I. *in Gloſ.*

Rectius H. Vultej. *loc. cit.* feudum definit: *uſusfructus quidam rei immobilis ſub conditione fidei*; quæ definitio primævæ feudorum origini, atque incremento convenit, ſemperque vera eſt. Dicitur *uſusfructus*, hoc eſt legalis potentia fundata in vaſallo, qui habet jus feudi II. *f.* 23. etſi plura ſint in uſufructu, quæ non ſunt in feudo, & viciſſim, ut infra dicam; quare feudum definitur, non ut quilibet uſusfructus, ſed ſpecies uſusfructus, a ſimplici uſufructu ſeparata, nempe propter fidem, ſervitium, in re immobili, vel æquipollenti conſtitutua. Denique ſub hac definitione comprehendi poſſunt etiam feuda *oblata*, quæ licet non ex Domini voluntate, ſed gratia ipſius vaſalli oriantur, tamen uſusfructus feudalis ſemper ſtatuitur.

Quæſitum eſt, an feudum ſit contractus? placuit eſſe contractum, quum ex eo Dominum inter, & vaſallum mutua naſcatur obligatio II. *f.* 7. atque omnis actus, ex quo συναλλαγμα ſeu ultro citroque deſcendit obligatio, proprie dicitur contractus *l.* 19. *D. de V. S.* qui eſt *conventio cum cauſſa* ideſt *virtute producendi obligationem jure civili illi actui tributam*. Vaſallus in fidelitate, plerumque in jurejurando, ſervitio, & iis, quæ in II. *f.* 7. continentur, ſuo ſeniori obligatur, & Dominus non pauca debet & ſuo vaſallo, ut *lib.* III. docebit, Zaſi. *P.* I. *n.* 5. Curt. *P.* II. *n.* 52. Scrad. *P.* II. *c.* 2. *n.* 2. 4. Giphan. *jur. feud. diſp.* I. *n.* 34. Neque arridet nonnullorum opinio, quæ inquit, eſſe contractum innominatum; habet enim formam, nomen, & naturam a jure longobardo; ex eo naſcitur civilis actio, Dominus inve-

---

rem immobilem ſub fide, vel obſequii Gratia, certo modo fruendam alicui conceſſam.

(*e*) Hoc vitio laborat definitio Cujacii in præfat. lib. I. *f.* in qua addit etiam vocem *perpetuum*.

Digitized by Google

inveſtituram facere cogitur, vaſallus præſtare fidelitatem, & in pleriſque non datur locus pænitentiæ, quamvis vaſſus poſſit illud refutare; at non infertur eſſe contractum innominatum; etenim hic feudalis contractus plura continet ſingularia, a ceteris contractibus jure Romano, vel gentium diſtincta, ut infra patebit Weſenb. de *feud. c.* 1. *n.* 7. Curt. *P.* 1. *q.* ix. Eſt itaque contractus nominatus, & quidem ſtricti juris, quia inventus eſt a conſuetudine, quæ eſt ſtricti juris, quum ex tacito populi conſenſu ſit nata, qui eſt Pactum *Zaſi. loc. cit. Jul.* clar. §. *feudum q.* iv. Giphan. *loc. cit. n.* 40.

CAP.

Digitized by Google

C A P. II.

DE ORIGINE, ET PROGRESSU JURIS FEUDALIS.

§. III.

De Clientelis Romanorum, & Militibus limitaneis.

ENucleata utraque feudi definitione, videndum nunc, quænam ſit ejus origo, in qua retegenda, tanta eſt opinandi libertas, ut veritatem expiſcari difficile ſit, inſtar Cabalæ Hebræorum, & Ægyptiaci Nili, cujus eo nobilior eſt curſus, & latitudo, quod origo latet. Hodie videmus feuda, ſed natales pene ignoramus. Nos vero, recenſitis celebrioribus opinionibus, noſtram exhibebimus.

Guliel. Budæ. in L. *berendius D. de evict.* feudorum originem a clientelis Romanorum, primum a Romulo inſtitutis accerſit, propter eam clientum in patronos obſervantiam, & fidem patronorum in clientes. Eum ſecutus eſt Vlr. Zaſius M. G. Iꝯtus in *P.* 1. *Epit. feud. & in l.* 2. *D.* de *O. J.* Sonsbec. *P.* 1. *n.* 32. Hannen. *lib.* 1. *de feud. c.* 1. *ceteri.*

Hæc clientelaris ſententia, ut deprimatur, inſpiciendum initio eſt: Vetuſtiſſima eſt clientelarum origo: nam ante urbem conditam, & Romuli tempora non modo apud Græcos viguit, *ſed Celtis*, Ægyptiis, Aſiaticis, atque Illyricis fuit, Mager. *de Advoc. Arm. c.* 6. *n.* 11. Bodin. *de Republ. lib.* 1. *c.* 7. Quod inſtitutum ad Romanos tranſiit primumque a Romulo imperatum, qui diviſo populo, juſſit, unumquemque Senatorem certum plebejorum numerum in ſuam ſuſcipere clientelam, ſeu difenſionem, optione cuique e plebe data, e Patriciis, quem vellet, Patronum ſibi ſeligere, ut ea, arctiſſimo, honeſtoque vinculo Patricios, & Plebejos colligaret. Hujuſmodi clientelæ ratio erat (1) clientes injuria affectos tueri, (2) ne Plebs a Potentioribus opprimeretur, neve in litibus, & contractus deciperetur (3) conſilio clientem erudire. (4) Clientum erat Patronis ad

ad egeſtatem redactis auxiliari, tam ad victum, quam ad dotem filiabus conſtituendam, (5) patronos ab hoſtibus vel vinculis redimere, & in bello adjuvare, licet clientelæ Militiæ onus annexum non eſſet, Claudia. *lib.* II. *in Rufi*. (6) Munera calendis Januarii Patronis offerre Ovid. *lib.* I. *faſt.* Mart. *lib.* VIII. obſequia præſtare, & ſi quæ ſunt ab eruditis enucleata, vid. Mager. *loc. cit.* P. Greg. *Synt. lib.* XLVII. *c.* 7. *n.* 16. Agel. *lib.* XX. *c.* I. (*f*).

Hæc Romanorum clientela longe diſtat ab eſſentia, & natura feudi: In clientela non adeſt prædium, vel quid aliud, ſed in feudali beneficio reperitur res ſub fidei nexu data: clientelæ injunctum non erat onus militiæ; at præcipua feudorum inſtitutio orta eſt a militia, in qua vaſallus ſuo ſeniori tenetur ſervire. Inter clientes, & patronos nulla erat juris neceſſitas, ſed amicitia, obſequium; ſed dominum inter, & vaſallum eſt hominium, & arctiſſima fidelitatis ratio, conf. Connan. *Comen. jur. civ. lib.* II. *c.* 9. Feudorum itaque origo a Romanorum clientelis non eſt repetenda.

Iſaac Caſaubo; jac. Gotofr., ceteri Viri præſtantes a terris *limitaneis*, & *fundis limitrophis* feudorum avocant originem, nixi auctoritate Lampridii in Alex. Severo, cujus hæc ſunt verba; *Sola, quæ de hoſtibus capta ſunt, limitaneis ducibus, & militibus donavit, ita ut eorum ita eſſent, ſi heredes illorum militarent, nec unquam ad privatos pertinerent, dicens, attentius eos militaturos, ſi etiam ſua rura defenderent. Addidit ſane his & animalia, & ſervos, ut poſſent colere, quod acceperant: ne per inopiam hominum, vel per ſenectutem poſſidentium deſererentur rura vicina barbariæ: quod turpiſſimum ille ducebat.* Ex his verbis Caſaubo. claram feudorum ſpeciem, & initia hujus juris recognoſcit, ſicut & ex Vopiſco *in Probo*. Jac. Gotofr. ad *l.* I. *C. Th. de Terr. limit.* Caſauboni amplectitur opinionem & perpendit terras illas, quæ militibus

(*f*) Quæ Romanorum clientela fuit particularis, & univerſalis, particularis dum privatus ſub defenſione alicujus ſe dabat; univerſalis ſi provincia, vel urbes aliquem Romanis patronum ſeligeret, ut Syracuſa Marcellos, Cappadocia Catonem, Samnites luſcinum habebant Val. Maxi. *lib.* IV. *c.* 3. Budæv. *ad l. herennius D. de evict.* Bodin. *cap.* VII. *de Rep. lib.* I.

Digitized by Google

litibus excolendæ dabantur, dici *læticas l. 9. c. Th. de Cenſit.* & illos lætos non alios eſſe, quam *lidos*, & leodes, atque adeo vaſallorum, & hominum genus militiæ adſcriptum.

Hujuſmodi ſententiæ debilitas, ut cognoſcatur, præcognoſcendum: R. Imperium cum aſſiduis barbarorum incurſionibus eſſet obnoxium, Imperatorum diligentia munitionibus clauſum erat, nempe caſtellis, vallis, limitibus, ripis, ſolitudinibus, foſſis, fluminibus, muris, & concædibus (g) *l. 2. C. de off. Præfat. Afr.* quorum cuſtodias præcipiunt Impp. in l. *ul. C. de off. milit.* jud. l. 2. *C. de ſeud. limit.* Ut Adrianus murum lxxx. millia paſſuum in Britannia primus condidit, qui Romanos a Barbaris divideret. Auguſtus novem Imperii limites conſtituit; qui ſub Alex. Severo XIII. erant; Juſtinianus omnem fere Europam muris munivit, ne Barbari in viſcera imperii irrumperent, & devaſtarent, vid. Bulenſ. *de Imperio R. lib. 3. cap. 9. & 10.*

Cuſtodiæ horum limitum præerant duces, Præfecti, & milites, qui idcirco *limitanei*, & *limitrophi* dicti ſunt, alii ad ripas fluminum, vel Euphratis, vel Danubii, vel Rheni, conſtituebantur, & *Ripuarii* appellati: alii promiſcuos imperii limites curabant, ad arcendos Hoſtium impetus, puta Perſarum, ſcytharum, Tartarorum, & ſimilium, qui imperii magnitudinem diripiebant, P. Ludewig. *lib. 1. jur. publ. opuſc.* 4. *c.* 2. §. 4. in not. conf. *Cuja.* 1. *obſ.* 25. *& tot. tit. C. de fund. limitro.* In Oriente erant XVI. præſidia, cum totidem Ducibus, in occidente cclxix. præſidia cum totidem Præfectis, Bulgen. *loc. cit.* His militibus Impp. Severus, & Probus omnia donabant, quæ ab hoſtibus caperent, videlicet prædia, hac lege, ut eorum eſſent, ſi heredes ipſorum militarent, neque ad privatos voluerunt ea pertinere. Curt. ut attentius rura ſua defendendo dimicarent; quum facilius quis ad prælium ſe ducit, ſi ſua prædiola a majoribus tranſmiſſa prædari videat. Denique

---

(g) Concædes erant ligna tranſverſa, quæ itinera intercludebant, quæ P. Diaco. *Conciſa* vocat, de his, inquit, Ammia. lib. XVI. *difficiles vias, & ſuapte natura clivoſas concędibus clauſere ſolerter, arboribus immenſi roboris cæſis.*

ut ex iis ſe alere poſſent. De his prædiis meminit Floren. *in l. 16. D. de* A. R. D.

Inpecta limitrophæ militiæ Cura, conſtat, cum feudis fere nihil comparari poſſe, & (1) in feudali clientela præſtatur hominium, ſeu fides, quæ eſt primæva feudi nota; non vero in ducibus limitaneis; (2) in feudis non agnoſcitur ſucceſſio, quæ labente ævo, eis deinde annexa eſt; ſed in his prædiis limitaneis erat ſucceſſio. (3) feuda utili tantum dominio poſſidentur; prædia autem limitropha, jure optumo, maxumo miles tenebat. (4) illa militum prædia ob operam, & ſudores jam præſtitos, dabantur; feuda ſunt præmia militiæ, tam actæ, quam agendæ, & dantur etiam iis, qui domi conſiliis, & juſtitiæ regula juvant Rempubl. (5) prædia limitanea veteranis concedebantur, & pleriſque emeritæ militiæ, qui reliquum vitæ publico beneficio ſuſtinerent; feuda juvenibus Robuſtis, qui militare valent. Denique feuda ex allodiis Principum, atque Imperatorum conſtituuntur. Et ſi a Romanis feudorum origo eſſet; cur ICti nullam de iis mentionem fecerint. Cuja. VIII. *obſ.* 14. Giphan. *tract. jur. feud. cap.* II. *n.* 13. Hotom. *diſput. feud. cap.* II. Boehmer. *de feud. eccl. c.* I. §. 3. Gebaver. *Diſſer. de orig. feud.* §. 6. *conſ.* Selden. *de Tit. Hon. P.* II. *c.* I. *n.* 20.

§. IV.

De Soldvriis Galliæ, militiis, & Actoribus Romanis.

FRanc. Connan. Pariſ. Senator clariſſimus *lib.* II. *Commen. cap.* 9. *n.* 6. feudorum natales a ſolduriis Gallorum repetit; nempe apud Gallos moris fuiſſe, ut qui opibus pollerent, multos habere devotos, quos ipſi patria lingua *Soldurios* vocabant; quorum hæc erat conditio, frui omnibus vitæ commodis ſimul cum Dominis; ſi Dominis aliquid per vim accidiſſet; Soldurii, aut eundem caſum ferrent, aut mortem ſibi conſciſcerent, ſicut noſtri Vaſalli jurant pro ſalute ſui Senioris. Soldurii erant jurejurando erga dominum devicti, quod ſi illum læderent, privatione fundi mulctabantur. Qua de re *Connanus* hos Soldurios comparat Vaſallis ligiis.

Diſplicet Connani theſis; (1) ex Cæſare *de B. G. lib* 3. con-

conſtat, Soldurios, quos ipſe modo *Clientes* appellat modo *devotos*, mortem ſibi intuliſſe, ſi eorum patronus occiſus; (*h*) quod in Vaſallo, etſi arctiſſima fide, inauditum eſt. (2) non liquet, an hi Soldurii prædia a ſuis patronis habuiſſent; ſed Vaſallo Dominus largitur prædia, vel jura; (3) hujuſmodi Soldurii dicebantur & *Ambacti*, ſeu ambaxi, hoc eſt ſervi conductitii, ut apud *Feſtum* ex lectione Scaligeri, & Dacerii, *ambactus apud Ennium ſervus dicitur* & male Paul. legit, *ambactus apud Ennium lingua Gallica actus dicitur*, ambactus igitur erat ſervus conductitius. (*i*) Sed Vaſallus eſt homo liber, patrimonio fruitur, tantum Seniori tenetur ad ea quæ tacite, vel expreſſe in jurejurando continentur, Giphan. *tract. Jur. feud. c.* 11. *n.* 23. Hotom. *diſp. feud. c.* 11. Bodin. *de Republ. lib.* 1. *cap.* VII.

Georg. Haloander *ad Nov.* LIII. *&* XCIII. accerſit a militiis Romanorum, quarum aſſidua eſt mentio in jure. Inquit enim ipſe: *R. Imperatores*, excuſſa ſenatus auctoritate, ut ejus, & populi animum allicerent, largitiones ſparſiſſe; ſed cum pecunia, & prædia ſatis non eſſent, cepiſſe donare officia, & præfecturas, quæ *militiæ* dicuntur, ad vitam uſque conceſſæ, atque ad heredes eorum tranſmiſſæ: feuda nil aliud ſunt, quam militaria beneficia, unde Vaſallus *miles* dicitur *l. f.* 19.

Haloander errat fere tota re, (1) in ea militia non eſt hominium, non prædium clientelare, non opera militaris, quæ omnia in feudo reperiuntur. (2) feuda non jure ſucceſſionis, ſed precario reguntur: in hac militia reperitur ſucceſſio etiam fæminarum capax, *l.* 30. *C. de Inoff. teſta* (3) ex lege Hlotharii, & Fri-

B 2

(*h*) Sicut moris erat apud Celtiberos, qui, cadente duce, ſuperſtites eſſe recuſabant, Val. Maxi. *lib.* II. *c.* I. *Celtiberi etiam nefas eſſe ducebant, prælio ſupereſſe, cum is occidiſſet pro cujus ſalute ſpiritum devoverant*, & paulo poſt *celebrat celtiberitam fidem*. Serv. in IV. Georg. v. 218. (*Pulchram mortem*) *glorioſam: quippe quæ pro Rege ſuſcipitur traxit autem hoc de celtiberorum more, qui ut in ſaluſtio legimus, ſe regibus devovent, & poſt eos vitam refutant*. P. Greg. *de Republ. lib. XXVI. cap.* 6. *n.* 3.

(*i*) Hinc errat P. Grego. *ſynt. lib.* XIV. *c.* 10. *n.* 16. qui inquit, hos Soldurios nulla mercede conductos *ſervitiis* vacaſſe.

Digitized by Google

& Friderici omnis feudorum prohibita eſt alienatio; ſed hæ militiæ alienari, vendi, pignorari poſſunt, ſuntque in commercio *d. l.* 30. *vid.* Taurell. *de milit. ex caſu*; (4) Socius militiæ ſuccedit Socio in imperiali largitione *l. un. C. ſi liberalit. Imper.* In feudo unus non ſuccedit alteri, niſi dictum ſit 11. *f.* 18. Wiſſemba. & Raguel. ad *d. l.* 30. Cuja. ad *Nov.*111. *Andr. in prælud. feud. n.* 41. Giphan. *loc. cit. n.* 10. Gebaver. *diſſer. de orig. feud. cap.* 11. §. 8.

Jac. Cuja. *in præf. lib.* 1. *feud. & VIII. obſ.* 14. deducit a moribus Populi R. quod fieri commodiſſime putat, ſi inſpiciatur ad procuratores, Actores, Cuſtodes, Conductores, precarios poſſeſſores, inſularios, & Emphytheuticarios, de quibus ſæpe mentio in jure. His poſſeſſio concedebatur ad tempus, quæ feudum *Guardiæ*, & *Gaſtaldiæ* vocata deinde eſt. Poſtea concedi cæpit in perpetuum, quam prius jure precario poſſidebant. De his actoribus prædiorum, ſeu colonis eſt *l. 6.* 18. *&* 19. *C. de Agric. l.* 4. *C. de Dignit. l.* 2. *C. de Epiſc. & Cler.*

Non arridet Cujac. (1) his actoribus nullum militiæ onus ne tenuiſſimum quidem injunctum erat. Vaſallus tamen vacat militiæ; (2) actorum, ſeu colonorum conditio ſervilis erat, (*k*) ſed Vaſallus eſt homo liber, ingenuus, & militaris 11. *f.* 26. §. 23. 11. *f.* 34. §. 4. (3) Vaſallus promittit hominium, non vero colonus, qui nulla vaſallitii mutua obligatione illigatur; (4) Colonus in prædio nullum fere juris habet; Vaſallus utitur fruitur dominio utili, Hotom. *loc. cit.* Cipha. *eo.* Fateor, ex adventu Barbarorum in Italia, Romanos actores colendis agris deſtinatos, potuiſſe a tuis dominis illos agros jure feudi ſuſcipere; ſed tunc non colonia, non agri cultura dicenda, ſed feudum.

Ani-

(*k*) Coloni adeo agris addicti erant, ut eos dimittere non poſſent, & *ſervi* terræ dicti *l. un. C. de colon. Thracen. l.* 14. *C. de Agric.* nefas erat ad artes, atque operas ſe conferre, idcirco Concil. Hiſpale 11. an. Chr. DCXX. *C.* 12. Clericos his ſervis comparat, *Scribitur enim in lege mundiali de colonis agrorum, ut ubi eſſe jam quiſque cæpit, ibi perduret. Non aliter & de clericis qui in agro Eccleſiæ operantur, canonum decreto præcipitur, ut ipſi permaneant, ubi eſſe ceperunt.*

Digitized by Google

Animadvertendum tamen eſt, Romanorum clientelas, limitaneos milites, Soldurios Gallorum, atque actores non paruam habere cum feudali clientela ſimilitudinem, propter magnam obſequii fidem, Reipubl. utilitatem, ſervitia, aliaſque venerationis notas. Neque id mirum, cùm nulla fere ars, ſcientia, vel jus adeo novum reperiatur, cujus veſtigia vetuſta ætas non agnoverit. Alias feudorum originum lubenter prætereo ſententias ſilentio jam emancipatas, ad communem opinio, devenio.

CAP.

Digitized by Google

CAP. III.

DE MORIBUS GERMANORUM.

§. V.

De Hiſtorica feudorum origine.

RE cepta eſt hodie opinio Eruditorum, feudales clientelas a Germaniæ populis primum exortas, H. Grot. de *J. B. & P. lib.* I. *c.* 3. §. 23. *& lib.* II. *c.* 7. §. 21. Weſenbec. *de feud. in proem.* Duar. *de feud. c.* 3. *n.* 4. Monta. *de feud. lib.* 1. *c.* 1. Scrad. P. II. *c.* 1. *n.* 2. Hotom. *diſp.* I. *&* II. Struv. *ſ. j. ſ. cap.* 1. *A.* 3. Car. Spener. *diſſert. de Primit Veſtig. feud.* §. *6.* Chriſt. Willerding. *diſſer. de Incong. applic. jur. longob. ad feud. Germ.* §. 4. Willel. Gaebel. *diſſer. de feud. extr. Curt. ſect.* 1. §. 8., Henr. Brocri. *diſſer. de Orig. ac font. jur. feud. Germ.* Giphan. *tract. jur. feud. c.* II. *n.* 1. *ceteri.*

Antequam hæc theſis confirmetur, duplicem diſtinguere feudorum originem opus eſt; primam appello *hiſtoricam*; ſecundam *Politicam*. Prius de hiſtorica: Quid ſub nomine Germanorum comprehendatur, docet Grot. loc. cit. *Nam Gothi, Vandali, Hunni, Franci, Burgundiones Angli, Saxones, nationes omnes Germanicæ, qui partes optimas imperii Romani bello occuparunt, ſuas ſinguli leges, aut mores de feudis, non minus, quam longobardi habuerunt*, Wolfang. Lazi. *de Migrat. Gent. lib.* 1. Inter Germaniæ populos recenſentur franci ideſt *homines liberi* (*l*) quorum ori-

(*l*) Male Giphan. *Gothos* fuiſſe Germaniæ populos, cum & ipſi ex eadem inſula Scanzia baltici maris exierint, ſicut longobardi, qui & Germani ſunt, ut Grotius, Procep. Pontan. & clare probat Bebeli. tract. *de laude, antiq. Imper.* &c. Germa. cap. XIX.

Digitized by Google

originem ita Siffrid. *Presbyt. epito. lib.* 1. *edit. Piſt.* deſcribit, *Quod regnum a Priamo nepote Priami Magni Trojani, mortuo apud Paduam ab Antenore proceſſit, ſicut Romani ab Aenea, ſed per Caeſarem ſubjectum fuit Romanis. Poſtea cum Valentinianus Imperator. quoſdam populos, qui* Alani *dicuntur, vincere non poſſet; fecit edictum, ut qui eos vincerent, decem annis a tributo liberi eſſent. Unde Theutonici hujus gloriae cupidi illos ſtrenue delent, & ideo* Franci *appellati ſunt.*

Hanc tamen francorum originem merito carpit Henr. Bebeli. *tract. de Laude, Antiquit., Imper. &c. German. cap. XIX.* (extat in Politit. Goldaſt. P. X. p. m. 552.) cum nulla in veteri hiſtoria de iis mentio occurrat, ſed recentis tantum Chronologiae inventum. Neque verum eſt, tempore Valentiniani in Germaniam tranſiiſſe, ſed multo ante, *D. Hieronym. in Vita Hilario.* edit. P. Caniſii, *Namque Candidatus Conſtantii Imperatoris, rutilus coma, & candore corporis indicans provinciam (inter Saxones quippe, & Alemannos gens eſt non tam lata, quam valida, apud Hiſtoricos Germania, nunc vero Francia vocatur) antiquo hoc eſt ab infantia poſſeſſus a daemone &c.* Franci proinde verae germanorum ſunt originis, Procop. *de bello Vandal. lib.* 1. *& lib.* 1. *de Bello Goth. franci quondam Germani vocantur.* Mutius *in Chron. Germa. lib.* 9. *edit. Piſto.* Adria. Vales. *lib.* 11. *Rer. franc.* vid. Babenberg. *Tra. de jure Reg. & Imp. Roman. cap.* 1. Lazi. *loc. cit.* (*m*) franci itaque vere tunc Germaniae populi, qui prima inter ceteras illius gentis dynaſtias feudalis clientelae fundamenta projecerunt.

Nam ſi Germanorum mores, quos eleganter *Tacitus*, & *Mutius* nobis exhibent, perveſtigamus, hanc juris prudentiae ſpeciem nulli populorum convenire, niſi generoſae Germanorum genti; & (r) Nulla natio armis magis vacavit praeclara, quam Germania, ſicut Legati Friſii apud Tacitum in Pompei theatro profeſſi ſunt,

(*m*) Ut Hincma. *epiſt. ad* Hincma. Lugdun. *c.* 1. *franci homines in eadem villa in ſuis proprietatibus commanentes dederunt.* Et in capit. Caroli Calui c. 26. *Pagenſes francos, qui caballos habent, vel habere poſſunt cum ſuis comitibus in hoſtem pergant* ubi ſirmund.

Digitized by Google

ſunt, *Nullos mortalium armis, aut fide ante Germanos eſſe.* & Aen. Sylvi. apud *Goldaſt. in Polit. imper. P. X. c. 38. p. m. 549.* eleganter agit de rara militari hujus gentis diſciplina, inter quæ, inquit, *Nati in Germania pueri prius equitare, quam loqui diſcunt, currentibus Equis immobiles hærent Sellis: lanceas dominorum longiores ferunt, frigore, ac ſole durati, nullo labore vincuntur.* Conf. *Henr. Bebelius* tract. de *laude, Anquit. Imper. &c. Germano.* & orat *ad Maximil. Imper.* Nec mirum: Nam, *ubi militaria ſeuda, ibi regionem eſſe oportet bellis occupatam, deinde militibus partim diſtributam, partim adſignatam incolis, utrique ſub ratione meri beneficii, & liberalitatis, & onere fidelitatis, & militarium, quoties opus fuerit, ſervitiorum,* recte advertit P. Ludewig. *lib. 1. Hiſt. opuſc. 3. cap. 18. in not.*

Feuda enim ex armata militia cauſſam trahunt, nempe ad referendos labores in bello impenſos inducta. In bello non modo præſtat fortitudo, quam fides, quæ ut arctius Dominum inter & dimicantem ſubditum cuſtodiretur, vinculum fidei, mercede conducta, inventum eſt. (2) Hæc fides in Germanis ab omnibus ferme celebratur, Muti. loc. cit. lib. 1. *Nec autem uſquam Germani fraternique animi magis apparent, quam in præliis, ubi vitæ, capitiſque agitur periculum. Hanc cauſſam* (cur nempe dicti ſint Germani) *nominis eſſe idonei ſunt auctores.*

Tacit. *lib. de M. G. Cum ventum in aciem, turpe Principi virtute vinci, turpe Comitatui virtutem Principis non adæquare. Jam vero infame in omnem vitam, ac probroſum, ſuperſtitem principi ſuo ex acie receſſiſſe. Illum defendere, tueri, ſua quoque fortia facta gloriæ ejus aſſignare, præcipuum ſacramentum eſt &c.* Si itaque ſumma fides, & ſumma in bello fortitudo Germanis erat, opus eſt liberalitatem in hujus populi Principibus agnoſcere, quam exercere coacti erant. Sed illius vetuſtæ ætatis ratio ferebat pecuniæ inopiam, idcirco prædia, regiones, Urbes, atque præfecturas ſub fidei ſacramento concedebant, dum vellent fidos ſibi clientes obligare. Deinde cum hoſticæ provinciæ occuparentur, vetus conſuetudo effecit, ut partes agrorum beneficiis diſtribuerentur. Atque his donati non milites tantum, ſed & in Aula comites, in Curiis judices & quotquot officia, aut miniſteria præſtarent Reipublicæ, ut recte Spener. *diſſer. de conſuetud. feud. matr.* §. 4.

(3) Si nomina feudalis clientelæ ſpectantur, Germanicæ ſunt originis, puta *Marchio* a *marck* voce germanica ideſt *limes*; *Vaſſus*

Vaſſus eſt vox Germano-Gallica, ideſt *Servilis*, Regin. in Chro. *ed. Piſt. de Thaſſilone loquens*: *leudes*, ſeu *leodes* nihil aliud ſunt, quam *fideles*, qui ſub fidei, & obſequii pacto, prædia, vel jura a Principe tenebant, Greg. Turon. *lib. 9. c. 20. Similiter convenit, ut leudes illi, qui Domino Gontchramno primitus præbuerunt, & ſi poſtea convincuntur ſe in parte alia tradidiſſe, de locis ubi commanere videntur, ut debeant removeri*. Lib. 4. *tit. de V. S.* 5. dicam. formulæ itaque, & nomina in feudali jure fere omnia germanica ſunt. Vid. Hoto. *commen. de Ver. feud.* Voſſi *in libris de Vit. Serm.*

(4) Apud francos, ſicut & longobardos, atque Alemannos alioſque ſeptemtrionis populos conſuetudo dominandi erat, *ut nemo terræ glebam, niſi eorum beneficio poſſideret*, Bodin. *de Republ. lib.* 11. *c.* 2. Selden. *de Tit. Hon. P. II. c.* 1. *n.* 20. probat Borea libus populis feudorum originem deberi; *Potentia, & Gloria Principuum erat multitudo devoventium illis vitam ſuam, & mortem, vinculum vero fidelitatis hujus erat præcipue traditio ejuſmodi terrarum, quæ jus feudale conſtituit inter dantem, & poſſidentem, confirmataque fuit, juramento poſſeſſoris, quo hic obligatus fuit ad fidelitatem præſtandam domino, & ei aſſiſtendum*. Gallia enim a francis adquiſita, non modo in perſonas, ſed etiam in earum bona jus, dominiumque adrogarunt, dum omnia illius regionis territoria ſub nexu feudali teneri vellent, atque ab iis recognoſci, Alteſer. de *Orig. feud. c.* 1. *Franci ſcilicet rerum potiti in Gallia prædia diviſere ducibus, & militibus, idque beneficiario jure ſub lege fidei, & ſervitii, priuſquam longobardi Italiam attigiſſent*. Hinc in eo regno Ducatus, Comitatus, Caſtellania audiri ceperunt, qui licet ad heredes non tranſirent, niſi ſupplici libello a Rege impetrarent, & niſi armorum tractationem profiterentur, nihilominus vera erant feuda, quorum eſſentia, non in ſucceſſione, ſed in fide conſiſtit, ut crebro advertit Adria. Vales. *Rer. franc. lib. II.* refert & *XIII. & XV. & XII.*

Valeſius enim *loc. cit. lib. XV.* Anno XXXI. regni Guntchramui Franco. Regis qui ſeculo *v. A. C.* 587. floruit, defuncto Theudofredo Tranſiurano duce, undeviceſimo ducatus, in ejus locum Wandalmario a Guntchramno fuiſſe ſubſtitutum, deinde concludit, *ex quo apparet jam tum Duces, ſeu Præfectos provinciarum nonnunquam perpetuos fuiſſe, atque dum viverent, beneficio, ac conceſſu Regum francorum eum honorem, ac poteſtatem obtinuiſſe.*

tinuiſſe. Cujus conſuetudinis veſtigia jamdum a Clodovæi temporibus, quem Succeſſores in conferendis beneficiis ſecuti ſunt, reperiemus, Struv. in *Hiſt. jur. feud.* §. 4., (*n*) Fateor tamen ſub Regibus primæ ſtirpis tenuia fuiſſe feudorum initia, ſed ſub Carolingiis præſertim Pipino, & Carolo M. latas, & fæcundiares extenderunt rationes; proinde nonnullorum patet error, qui feudorum ortum Carolo M. dumtaxat attribuunt. Hac ætate ſucceſſio, & alia clientelæ jura acceſſerunt; recte Buleng. in *Append.* de offic. Regni Gall. *Ludovicus Caroli Magni filius, primus agros ſuos & majorum in feudum hereditarium contulit. Sub Carolo Magno in Germania unus tantum Ducatus Bavarię fuit hereditarius, quia Taſſilo ſucceſſit patri. In Gallia ſolus Amoricę ducatus hereditarius fuit. Primi igitur Reges franci feuda uſurparunt, deinde longobardi. Sub Capetianis feuda in eam formam, quę hodieque obtinet redacta ſunt &c.* Confer. Baſtineller. *diſſer. de Pręjud. Princip. ex Abuſ. jur. feud. longob.* §. 10.

Celebris eſt in omnibus Germaniæ chronicis Dux Taſſilo cum Ducatu, quo fuebatur, tum felonia, qua ſæpe damnatus, Regino Prum. Abbas *lib.* II. *Chron. ed. Piſto. Et Rex Pipinus tenuit palatium ſuum in compendio, ibiquo Taſſilo venit Dux Bajoariorum, & ſuus effectus eſt per manus, ſacramentaque multa juravit Pipino, & filius ejus, ſupra corpus Sancti Dionyſii, Sancti Germani, & Sancti Martini ſimul, & homines natu majores ferunt.* & paulo poſt: *Anno Dominicæ incarnationis DCCLXIII. Rex Pipinus habuit placitum ſuum in Nivernis, & quarto ingreſſus eſt Aquitaniam, ibique Thaſſilo Bajoariornm poſtpoſitis ſacramentis fraudulenter ſe inde ſubduxit, omnia beneficia oblitus,* quę

(*n*) Ut Aureliano duci Milidunenſe Caſtrum feudali nexu a Clodovæo datum eſſe refert Aimon. lib. I. *de Reb. Geſt. franc. c.* 14. & poſt victoriam ab eodem Rege obtentam apud Tolbiacum, Alemanniæ regnum in ducatum verſum eſt; & deinde in mores francorum ivit deligere duces provinciarum ex nobili familia. Sic Agilolphingorum antiqua gens diu duces dedit, quo privilegio uſa eſt ea familia, *ut ſi quis fidus regno prudenſque ex eo progenitus compertus fuiſſe, non aliunde quiſquam aſciſceretur in Ducem*, inquit B. Renanus lib. II. *Per. German.*

Digitized by Google

quæ Rex avunculus ejus fecerat, & Bajoariam ingreſſus ſupradicti Regis faciem videre noluit. Plura infra de hoc Duce agit Regino, qui vocibus ad feudalem clientelam, verique vaſſi utitur, *Egoliſtin. in vita Caroli M.* A primis itaque Regni Galliæ initiis Reges viris fortitudine, prudentia, & conſilio domi, militiæque claris feuda ducatuum, & Comitatuum concedebant; atque his dignitatibus, & officiis feudalitas adnecti cæpit, Conſ. *Selden. de Tit. Hon. P.* II. *cap.* 1. *n.* 20. Imo & ipſimet Duces feuda a Principe accepta dividebant, ſuoſque creabant valvaſiſinos; hinc orta ſubfeuda, ſeu ſecundaria feuda, quorum origo vetuſta eſt, ut *lib. II.* dicam, quæ qui accipiebant, obligabantur Danti, & primario ſeniori, & dicebantur Milites militum, Equites Equitum, Vaſſalli Vaſſallorum, leudes leudorum, qui paſſim in *legibus Alemannicis*, & *Capp.* Regum Francorum occurrunt. Atque omnia feuda Germaniæ, aut *militaria* fuiſſe, aut *aulica*, *P. Ludevv. lib. I. Hiſtor. opuſc. III. c.* 18. *in not.* (4)

(5) Aliæ Europæ provinciæ, quæ a Francis germanico populo occupatæ non fuerunt, feuda nunquam agnovere; neque tot mores, & ſcriptæ leges hodie reperiuntur, quæ de feudis agunt, quam in his ſeptemtrionalibus; neque illud regimen, quod in devictas gentes exercebant, apud alias Nationes inveniri facile eſt; quum ipſis dominos perſonarum, dominium fere ἀοείςως & diſpoticum declararent, ut infra patebat.

Digitized by Google

CAP. IV.

DE ORIGINE FEUDORVM IN ALIIS REGNIS.

§. VI.

De Turis, Hiſpanis, Anglis, Polonis, & ceteris.

MAjeſtate R. Imperii delapſa ſub Auguſtulo in Occidente & paulatim in Oriente, corpus ejus in varias ſciſſum eſt Toparchias, ſingulas ſuis legibus viventes; alia orta fuerunt inſtituta, alia Regendi officia. Et primo Turcæ, feuda vel ab Europæis, vel ex proprio Politiæ inſtituto, agnoverunt. Quare provinciæ, vel Civitates a Satrapis poſſidentur, non jure hereditario, ut poſt obitum liberis, vel heredibus poſſint relinquere, niſi accedat conſenſus ſui Regis; & in Principis arbitrio eſt, poſſidentem eo beneficio privare, quod ſi ei non ademerit, ejus eſſe uſque ad mortem. Poſt obitum, ſi defuncti ſucceſſores velint pactum traditionis ſervare, nempe præbere tot milites, quot præſtabant poſſeſſores, admittuntur; ſecus, alii inveſtiri ſolent, Pet. Greg. Synt. *lib.* VI. *c.* II. *n.* 15. Soranzus *lib.* de Copiis Milit. Turc. *Quamvis enim Turcæ reditus non tam magni ſunt quam amplitudo imperii, & regionum fertilitas exigere videri poſſet, habet tamen in ſua ditione fructum majoris valoris, quam ſunt ipſi reditus, nempe multitudinem Timarrorum, vel feudorum: Vindicant enim ſibi Principes Ottomani agros, quos bello hoſtibus auferunt, prioribuſque Dominis talem partem (exiguam aut nullam) prout ipſis viſum eſt, relinquentes, reliquum in Timarra, quæ ſunt tamquam commendæ, repartiuntur, aut dant agros benemeritis militibus dum vivunt, ea lege, atque conditione, ut aliquot Equos, in belli uſus paratos alant. In eo ſita eſt omnis Prudentia Turcarum, & cura, quam de conſervando imperio habent.*

Hiſpaniæ Regnum a Gothis quondam poſſeſſum feudales clienteles etiam agnovit, ut ex pluribus Regalibus feudis, quæ in eo ſunt,

Digitized by Google

ſunt, conſtat, etſi frequentiores reperiantur majoratus, conſervandarum familiarum recens inventum, Molin. de *Primog. Hiſpan. lib.* 1. *c.* 13. *n.* 47. *& ſeqq.* Fontanell. *de Pact. Nupt. tom.* 1. *Gloſſ. XII. Olbanus de Actio: P. I. lib.* 3. *c.* 3.

Et Joa. *Laet in Deſcrip. Hiſpan. cap. XVI.*, inquit. *In Hiſpania neque Comites, neque Duces, neque Marchiones hereditarii fuerunt ante Henricum II. Regem Caſtellæ, qui regnum ſuum iniit anno* (1) CCCLXIX. *Hic primus inſtituit ſequentes Comites*, ubi recenſet feudatarios, qui antea uti ceteræ in Europa gentes tenebant feuda, videlicet jure precario, & nudi officiales.

Non recte igitur *Molin. de juſt. & iure diſp.* CCCCLXXXV. *n.* 1. quem ſequitur *Struv.* inquit *Quamvis frequens ſit uſus feudorum in Germania, in Gallia, & in Italia, nullus, aut fere nullus eſt uſus eorum in Hiſpaniis*. Nam & Ictis Hiſpanis patrium jus interpretantibus conſtat, Civitates, oppida, territoria, & jura incorporalia a Rege jure feudi concedi.

Anglia primum agnoſcere cepit feuda a Willelmo vulgo *conquiſtatore* Nortmanno, inquit Spelman. in *Gloſſ.* v. *feodum*, & P. Ludevvig. *lib.* 1. *Hiſtor. opuſc.* III. *c.* 18. in *not.* (6) *Quod ſi ergo verum eſt ante Wilhelmum Normannum Britanniam feuda neſciviſſe: pronam conſecutionem eſſe largior, eam & onera feudalia neſciviſſe, ideſt fructuariam tutelam. Ita enim loquuntur magni Nominis doctores Britannici: feudorum ſervitutes primus invexit in Britanniam noſtram Gulielmus ſenior conqueſtor nuncupatus, qui ea lege, e Normannia traducta, Angliam totam ſuis diviſit commilitibus (non totam exiſtimaverim, ſed pleramque, ſi fides habenda ſcriptoribus coævis) innuit hoc ipſum codex ejus agrarius*, & docet Thom. Smith. *de Republ. Anglo. lib.* 1. *c.* 17. *Poſt Wilhelmi Normanni adventum primum feudales hereditarii, & patrimoniales eſſe ceperunt; primo ſine loci nomine, deinde loci nomine adjecto, & tertio Comitatus denario (ideſt tertia parte multarum Regi ex placitis accreſcentium illis aſſignato.* Et ſi hoc mihi exploratum undique non ſit.

In Polonia, & Hungaria fere nulla reperiuntur feuda, ſed quiſque Nobilis poſſidet prædia ab omni nexu libera. In Holſatia, Sileſia, & pleriſque regnis ſeptemtrionem verſus, atque orientem feuda ignorantur. Tarde viſa ſunt in Franconia, Svevia, Thuringia, Weſtphalia, Bojoaria, & provinciis Rhenanis, ut ſcribit P. Ludevvig. *lib.* IV. *Diſſ. iur. Rom. & Germ. opuſ.*

v. in

Digitized by Google

v. in not. & lib. I. *Hiſt. opuſc. III. c.* 18. De Japonenſibus teſtatur Molin. *de Juſt. & Jure diſp.* CCCCLXXXV. *n.* 2. *Apud Japonenſes nihil videri eſſe frequentius , quam feuda . Cum enim bellis perpetuo in ea ingenti Inſula Principes inter ſe contendant, antiquo inter eos more , quæ unuſquiſque bello obtinet , continuo dividit inter ſuos Duces , & alios , quos diligit , cum onere ſibi ſerviendi in bello , & alia onera præſtandi , mutatque Dominus de uno loco in alium , auferendo ab eis , quæ poſſidebant , & alia eis largiendo . Majores autem dignaſtiæ ſub ſupremo aliquo Principe ita conſtituti ,, diviſa habent loca , quibus dominantur in alios ſibi inferiores , cum eiſdem oneribus ſibi inſerviendi in bello , & præſtandi alia onera , & illi , in alios , quouſque devenitur ad infimos tonos , quos ipſi vocant , qui ſimiliter dominatur unuſquiſque in ſuo oppido , & ſimili fere lege , ut Vaſalli ipſum comitentur in belſum , & ſervitia alia regalia præſtent. Mores tamen , & uſus feudorum non iidem , ſed diverſi in aliquibus ſunt apud ipſos , ab iis , qui in Germania , Gallia , & Italia vigent .*

§. VII.

De origine feudorum in Italia.

EX Notitia utriuſque Imperii ſatis conſtat , Italiam in XVII. diviſam fuiſſe provincias , quarum octo a Conſularibus regebantur , videlicet , Campania , Tuſcia cum Umbria , Picenum ſuburbicarium , flaminia cum Piceno annonario , Æmilia , Venetiæ , Liguria , & Sicilia . A Correctoribus duæ , Apulia cum Calabria ; Lucania cum Brutiis : A Præſidibus ſeptem , Samnium , Valeria , Sardinia , Corſica , Rhetia prima , Rhetia ſecunda , Alpes Cottiæ , vid. PHILIP. BERTER. *Pitha . Diat. I. cap. v.* Quæ Politiæ ſpecies a Gothis quoque præſertim a Theodorico eorum Rege fuit obſervata , donec A. C. DLIII. a Narſete Juſtiniani Duce , expulſi ; Longinus Narſetis ſucceſſor in Ravennæ Exarchatu , A. C. DLXVIII. novam Italiæ Provinciis normam dederit . Nam , poſtquam Conſulares , Correctores , & Præſides a Provinciis abſtulerit , vnicuique Civitati *Ducem* deſtinavit , qui Ravennæ Fxarchatui ſubiiciebatur .

Nar-

Digitized by Google

Narſetes vero ira percitus propter injurioſas Sophiæ Juſtini II. uxoris litteras, muneribus, ad Italiæ occupationem, Alboinum Longobardarum Regem invitavit, qui, relicta Pannonia, A.C. DLXVIII. eam ingreſſus eſt, & pene univerſam brevi adquiſivit. Hæc Natio ex Scanzia inſula primum exiit, novas quærendi ergo ſedes; quæ ſorte jacta, patrium ſolum, tot habitantium incapax reliquit, Warneſ. *de Geſtis Longob. lib.* 1. *c.* 3. Wolf. *Lazi. de Migr. Gent. lib. XII.*, merito Jornand. *de Geſt. Goth. Cap. IV.* Scantiam vocat *officinam gentium*, *& vaginam notionum*. (o) Quæque Longobardica dicta eſt a *Longis Barbis*, uti creditur; *Lang* enim longam, & *baert*, barbam ſignificat. Et Germanicæ gentis proles fuit præclara, Grot. *in Proleg. Hiſt. Goth.*, Bebel. *tract. de laud. Antiq. &c. Germ* XIX.

Longobardi itaque Italia potiti feuda primum induxerunt. Nam ſuis militibus, inſtar Germanorum politiæ, poſſeſſiones, & prædia, propter militaris operæ curam diviſerunt, Muti in *Chron. Germ. edit. Piſt.* de Alboino loquens, ſcribit, *Poſt hec Inſubriam, & Mediolanum capit, & ſic deinceps omnia diripit, agros inter ſuos dividit, quotidie ſine intermiſſione ex Germania plures ſequebantur, quibus omnibus poſſeſſiones dabantur*. Neque agros tantum Alboinus, ejuſque ſucceſſores nexu feudali donavit, ſed et Civitates, & oppida, tam quæ in finibus Italiæ erant, quam in meditullio reperiebantur. Subjugata enim Umbria, ejus Metropolim Spoletum, in Ducatum erexit, cui primum Ducem Faroaldum voluit præeſſe; qui celebrior præ ceteris Longobardorum ducatibus cepit recenſeri. In Liguriæ, & Venetiarum provinciis Duces quoque conſtituit, Paul. Warneſ. *lib. III. c.* 7. *Sigon. de Reg. Ital. ad A. DLXX.*

Præcipua enim Alboini cura fuit, eo modo ſuum imperium in Italia conſtituere, *ut partis ſua virtute opibus & quiete frui cives, & tueri eas omnino poſſent. Qua de re, ſuffragante populo, potentiori cuique urbi, & qui illi contiguus erat, tractui Ducem præfecit ipſum, terræ tractum* Ducatum *appellavit*, recte ait, Gon-

(o) Quamvis Bigno. ad leg. Sali. hoc etymon, ſicut et aliarum vocum barbaræ ætatis derideat, *longe itaque Romanas ejuſmodi barbararum appellationum etymologias ſugere debemus*.

Digitized by Google

Gonni. *Differ. de feud. Gaſtal.* §. *vi.* Proinde Giſulſum ſuum Nepotem Forojulienſi Civitati, ejuſque Regioni Ducem præfecit, qui ſpartam ſuſcepit, hac lege, vt ſibi liceret deligere Longobardorum familias, quæ ſponte ſuum ducatum incolerent, ne invitis imperaret, Warneſ. *de Geſt. longob. lib. II. c. 9.* Atque in diverſos ducatus, diviſa iam Italia, tantum terrarum Regi relictum fuit, quantum nominis veneratio, & poteſtatis ſplendor poſceret, Warneſ. *loc. cit. lib. 3. c. 16.* Hinc natum *Demanium* Regis, quod ipſe per ſervos, & jumenta colebat, extructis in villis hoc ſine ædificiis, quæ *caſas*, & *Curtes* illa ætas nuncupavit, unde feudum *Curtis*, & *extra Curtem*, vid. Pithe. *in Gloſſ. ad leg. Salic.* Bigno. *in Append. ad Marculf. cap.* 44. Caſtra etiam ſeu Caſtella pro regni ſecuritate conſtructa, ipſe Rex cuſtodienda dabat; proinde exorta feuda *Guardiæ*, & qui prædiis, rebuſque ejus præerat, Gaſtaldus, unde feudum *Caſtaldiæ*. Idque merito, vt omnia fere Italiæ territoria, & munera in recenti imperio, nexu fidelitatis, & fiduciariæ poſſeſſionis quiſque teneret.

Ducum hujuſmodi hæc erat conditio (1) non ſolo Principis arbitrio provincias regere, ſed aliquid proprii juris habere; (2) in eorum creatione Regis, & populi conſenſum requiri, qui in eo diſtrictu habitaret; (3) Ducatus eorum non jure hereditario, ſed temporario poſſideri, vti in Germaniæ populis, jam moris erat, quibus deinceps hereditaria tranſmiſſio adjuncta fuit; (4) non removeri a Ducatu, niſi ob Feloniam; (5) exercere juriſdictionem in ſubditos, ad operas adſtringere; hinc viſæ ſunt *Angarię*, & *parangarię*. aliaque jura, quæ deinde *ragalia* dicta fuerunt. (*p*) Denique jus in civitatibus dicebant, ſalvis ad Regem provocationibus. Ex his colligi poteſt, Italiam duplici poteſtate rectam, *immediata*. dum Regi tantum ſubiiciebatur, *mediata*, dum Ducibus parebat. Feudorum igitur veſtigia primum in Italia longobardi conſtituerunt, quæ per varias Civitatum con-

(*p*) Imo & circa ſacra non infima erat Ducum auctoritas, ut Joa. Abbas Patriarcha in Aquileja conſenſu Regis, & Giſulfi ordinatur, Warneſ. *lib.* 1v. *c.* 34. Gonni. *loc. cit.* §. 14.

Digitized by Google

conſuetudines diviſa, paulatim creverunt, Pancir. *Theſ. Var. lib.* 1. *c.* 90., Struv. *S. j. f. Cap.* 1. *A.* 3. *Grot. in Proleg. Hiſt. Goth.*

§. VIII.

De origine feudorum in Regno Neapolitano, & Siculo.

QUamvis Longobardi Italiam jure belli occupaſſent, provincias tamen, quæ hodie hoc regnum componunt, non ſtatim adquiſiverunt; quum hæ Ravennatenſi Exerchatui obedirent, & ille Orientis Imperatori; harum politia hæc erat, ut Civitatibus, & præclaris oppidis Duces, quos primum Longinus *inſtituit*, *præeſſent*, videlicet Neapoli, Surrento, Amalphi, Tarento, ceteris hujus regni Urbibus, quæ omnes græcorum legibus vivebunt, feudalis clientelæ prorſus ignaris. Donec Autaris III. Longobardorum Rex A. C. DLXXXIX. omnes hujus regni urbes, Neapoli, Amalphi, Gajeta, aliiſque circa mare exceptis Græcorum dominio adhuc ſubjectis, armis devicit, P. Janno. *lib. IV. Hiſt. jur. Civ. R. N. c.* 2. Et ſimul ducatum Beneventanum primus, ut creditur, inſtituit, cujus Zotonem creavit, omni ornatum poteſtate, ſibi tantum *jure ſuperioritatis reſervato*.

Inſtituto jam Beneventano ducatu, etſi initio tenui, poſtea tamen omnes XII. fere noſtri regni provincias amplexus eſt; & ut melius juſtitia populis adminiſtraretur in *Comitatus*, & *Gaſtaldias* diviſus eſt, qui jure feudi proceribus, & Nobilibus longobardorum concedi ſolebant. Comitis titulus audiri cepit ſub Grimoaldo Longob. Rege, qui Mitulam bello clarum Capuæ Comitem creavit; ex quo *Comitatus* in Regno nati primum ſunt; quorum hæc erat conditio (1) ut miniſteriales tantum eſſent, & in Civitate ſibi commiſſa jus dicebant; (2) jure precario regebantur, modo ad vitam uſque Vaſalli, modo ad ſtatutum tempus; (3) Exemplum refert Leo Oſtiens. in Chron. Monaſt. Mont. Caſin. edit. Abbat. de Nuce *lib.* 4. *cap.* 7. de feudo *ſuii* loquens inquit, *Tunc temporis Riccbardus, cui Cognomen de Aquila inditum eſt, ad hoc Monaſterium veniens Abbati*

noſtro jurejurando firmavit, quod Caſtrum ſuum non recognoſceret ab ulla Perſona, niſi tantum ab hoc Monaſterio Caſinenſi, & ex prædicto Caſtro ſerviret inde Sancto Benedicto, ſecundum tenorem, quem Goffridus Monius Deſiderio Abbati fecerat, ad mortem vero ſuam abſque alicujus contradictione, in hujus Cænobii actionem rediret. (*q*) Non poſſidebantur jure hereditario, quia erat dignitas regalis, animi induſtriam, & conſilium requirens, quæ ad heredes non tranſit; (4) Sæpe tamen ob res præclare geſtas, & eximiam defuncti vaſalli fidelitatem filiis etiam concedebantur, ne morte Patris pauperes evaderent, obtenta prius a Principe inveſtitura; (5) olim licet Comes munus tantum gubernandi in Civitate haberet, deinde beneficio Principis juriſdictionem, habere cepit. Hinc in Chartis dicitur, *Comes & dominus*, P. Janno. *loc. cit. lib.* VI. *c.* I. Pratil. *diſſer. de Comit. & Gaſtal. Capuæ*, (6) a Comitatu non removebantur, niſi propter Feloniam.

Gaſtaldi etiam ſub Grimoaldo inſtituti ſunt, qui primus Alzeconem Bulgarorum ducem, Sæpini, Boviani, & Aſerniæ Gaſtaldum creavit. Animadvertendum, apud Longobardos, alios Gaſtaldos Civitatum regimini, alios prædiis, Villis, Curtibus, & Rebus Regis fuiſſe præfectos, Gonni. *loc. cit.* §. 12. & conſtat ex *lib. II. Longob. tit.* IX. *l.* 2. *lib.* I. *tit.* 34. *l.* I. & infra dicam. Cuiac. inquit, Gaſtaldos non fuiſſe feudatarios; ſed tantum jure officii Regalis villas, & Civitates non jure feudi poſſediſſe; nihilominus, etſi initio, ſicut Comites erant miniſteriales, feudatarii deinceps beneficio Principis evaſerunt, quamvis inferioris eſſent conditionis Comitibus; quare Gaſtaldi Comitis no-

(*q*) De eodem feudo ſcribit in *lib.* 3. *cap.* 52. *His porro diebus, Deſiderius ante præſentiam Jordani Principis conceſſit Goffrido cognomento Monio diebus vitæ ſuæ Caſtrum Svienſe, in eo tenore, ut ipſum Caſtrum non recognoſceret, neque a Principe, neque ab ullo Homine niſi a prædicto Abbate, & Succeſſoribus ſuis & ſerviret inde huic Monaſterio, & ejus Abbatibus per rectitudinem. Ad mortem vero prædictum Caſtrum in loci hujus poteſtate rediret.*

nomen, & rem optabant, idcirco ſæpe legitur *dignitate Comes*, *munere Gaſtaldus*. Itaque in noſtro Regno territoria, agri, Civitates, & provinciæ ſub Longobardorum ditione jam jure ſeudi poſſidebantur, *Conſ. Jannon. loc. cit.* Etſi fides Pratillo præſtatur, primum hereditaria ſucceſſio in Gaſtaldiatu Aquini, Galatiæ, Aſerniæ, Teani, S. Agathæ, Teleſiæ inducta fuit. Ex quibus liquet, in hac ætate, feudorum leges, ſeu conſuetudines in Principum arbitrio ſitas, incrementum accepiſſe; quum fidelitas, ſucceſſio, militare ſeruitium, & felonia iam inducta eſſent.

Atque hæc feudalis clientelæ ſpecies ad ſeculum uſque XI. A. C. MXVI. manſit, quo Nortmanni more peregrinorum, primum numero 40., vel ut aliis placet, 100. Salernum pervenerunt, ævo Guaimari III, qui comiter eos excepit. Deinde ad eorum patriam redeuntes, cum aliis Concivibus iterum hoc Regnum petierunt, ſub longobardorum Principum, & Græcorum vexillis pugnantes. Accerſitis deinde & numero, & viribus, ædificant *Averſam*, quam titulo *Comitis* primum Rainulſus poſſedit. Magnam Apuliæ partem A. C. MXLI. adquiſiverunt, de qua inveſtitus fuit *Wilhelmus* vulgo dictus *bracciodiferro*, etiam titulo Comitis, A. C. MXLIII. Principatum Capuæ, A. C. MLXII. de quo Riccardus inveſtitus. Calabriam, quam *Ducis* titulo habuit Robert. Guiſcardus; quod *Ducis* nomen primum in Normannorum familia apud nos auditum eſt, Leo *Oſtien. lib.* III. *c.* 161. Principatum Salerni A. C. MLXXV.: Ducatum Beneventanum A. C. MLXXVII.: Ducatum Barenſem A. C. MLXX. Denique omnes Regni noſtri partes, expulſis Græcis, Saracenis, & Longobardis, occuparunt, primuſque Rogerius Rex A. C. MCXXIX. ſalutatus.

Nortmanni longobardorum leges retinuerunt, cum quæ ad jus privatum, tum ad jus publicum, cuius pars eſt jus feudale, pertinebant, quum ſuis moribus aptas experirentur; nec mirum, cum ipſi quoque a Germaniæ populis ortum traherent; apud quos fiduciariæ poſſeſſiones erant, vid. Franc. *de* Andr. *diſp. feudal. cap.* 11. §. 4. Et quia longobardis jus non fuit in plures Græcorum Civitates, idcirco expulſis Græcis, Nortmanni in eorum dominiis etiam induxerunt. Primum ab iis feudalibus moribus jus ſcriptum additum fuit.

Digitized by Google

C A P. V.

DE COLLECTIONE JURIS FEUDALIS.

§. IX.

De Aetate, atque Auctore Collectionis feudorum.

LOngobardi in Italia ad Rotharim uſque, tam in allodiis, quam in feudalibus jure non ſcripto vivebant; primus Rotharis his leges dedit A. C. DCXLIV. CIRO. *obſ. v. c.* 3. nihil tamen de feudis ſanxit. Tota enim feudalis juriſprudentia, ſicut in ceteris Europæ locis, moribus inhærebat, qui inter ſe diverſi erant. In Pavia, Cremona, Mediolani, Vaſallus poterat feudum ſine conſenſu Domini alienare, ſicut & Ticini 1. *f.* 27. Mantuæ vero, & Veronæ opus erat Domini conſenſu. Placentiæ, qui Vaſallum inveſtierat hoc pacto, ut ad ſucceſſorem non tranſiret, non poterat, eo vivo, alium de eodem feudo inveſtire; ſed Mediolani, & Cremonæ id permiſſum erat, *Cuiac. in pręf. lib.* 1. *feud.*, & oſtendit 11. *f.* 28. Quarum conſuetudinum fons duplex fuit, *Voluntas* Patroni inveſtientis, quæ pacta, & conditiones in inveſtitura pro arbitrio ponebat; & varia tunc temporis Sapientum *Reſponſa*.

Primus, qui de feudis leges tulerit, fuit CONRADUS SALICUS *Imp. Dux Francorum Orientalium*, Conventu Principum, & Vaſallorum apud Roncalias, uti Occidentis Imperatorum moris erat, A. C. MXXVI., antequam Romam pergeret, coronam Imperii a Pontificis manu accepturus, CUJA. *in* 1. *f.* 1. §. *cum vero Conradus*, *U. Cl.* FRANC. *de* ANDR. *in Diſput. Feud. cap. II.* §. 1. *n. 6.*, quam Legem refert. Sigon. de Reg. Ital. ad A. MXXVI. Murat. vero diſſert. XI. inquit, id accidiſſe A. C. MXXXVII. dum Conradus Mediolan. Civitatem obſideret dicam lib. 11. At, etſi Conradus de Clientelis his jus ſcriptum ſancire cæpiſſet, nihilominus, magna erat in judiciis confuſio, magna conſuetudinum diverſitas, quæ ſæpe diſſidia inducebat; unde de juris feudalis compilatione cogitatum fuit, uti tunc temporis

in

Digitized by Google

in qualibet diſciplina mos ferebat.

Quonam tempore hæc Conſuetudinum contigit Collectio? exploratum adhuc non eſt. Placet nonnullis A. C. MCLII., aliis vero intra A. MCLVIII. & MCLXVIII. Mihi tamen veroſimilis videtur, donec alia melior non reddatur, opinio Franc. *de* Andr. *loc. cit. cap. II.* §. *9. n.* 43. qui eam figit A. MCLXX. ſub Frider. I. Aenobarbo, privato tamen ſtudio, non tamen conſtat a quonam fuerit compilata: Alii ab incerto auctore; alii ab Hugolino; nonnulli ab Oberto, & Gerardo Coſſ. Mediolanenſibus, qui ævo Frider. I. floruerunt, accerſunt.

Ante Jac. Cuja. Interpretes, Obertum hujus Collectionis auctorem crediderunt, qui eam, ope Gerardi de Nigro vulgo *Capagiſto* aggreſſus eſt. Cuja. vero, auctorem *lib. II. & III.* ſuſpicatur eſſe Obertum, *lib. I.* eſſe Gerardum, *lib. IV.* ab incertis, & variis auctoribus compoſitum, ſicut ipſe jus feudale diviſit. Ratio *Cujacii eſt:* in lib. II. & III. aſſidue invenitur Oberti nomen, qui Anſelmum filium ſuum de re feudali inſtruit: In *lib. I.* referuntur ſententiæ, quæ Oberto diſplicuerunt, ut in 1. *F.* 8.: In *lib. IV.* Obertus, & Gerardus non tanquam juris clientelaris, ſed tanquam Civitatis Sapientes laudantur. Omnes itaque feudorum libri non Gerardo, & Obertotantum, ſed & aliis ſunt attribuendi.

Duare. *in Cap. I. de feud. n.* 4., Franc. Hotom. *in præfat. lib. I. feud.*, *&* Adam. Struv. *S. J. F. cap.* 1. *et v.* putant, hos libros nulli certo Auctori adſcribi poſſe. Nam Hotom. tam primum, quam ſecundum librum inſcribit, *Farrago juris Feudiſtici, ex variis Auctoribus collecta, &* Duaren. inquit; *Eſt ergo Rapſodia quædam conſtituta ex variis libris ſtudioſorum, qui in foro hoc Mediolanenſi verſabantur. At inter omnes convenit, privatum hominem fuiſſe, qui haſce conſuetudines ſine ulla legis condendæ auctoritate præſcripſerit.* Incertus tamen hujuſmodi compilator ſæpe Gerardi, & Oberti utitur auctoritate, eorum ſententias, quas in foro feudali forſan ferebant, exhibet; ſicut & fragmenta ex libris Oberti. Cum nemo dubitet, hunc Mediolan. Conſulem, atque Advocatum de *beneficiis* etiam ſcripſiſſe, quum crebro de iis eſſent controverſiæ in Lombardiæ Givitatibus, modo apud Curiæ Pares, modo Dominum, modo apud Judicem ordinarium. Quod opus miſit ad filium ſuum Anſelmum, quem inſtruit, clientelares cauſſas alias jure Romano, cujus illa in re vilis non erat auctoritas; alias

alias jure longobardo, ceteras ſecundum adprobatas Italiæ Conſuetudines II. f. 1. decidi poſſe. Inſtituti tamen ſui non eſſe omnes Curiarum in præcipuis Italiæ Civitatibus, atque oppidis mores comprehendere, cum ſuus libellus his ſatis non eſſet.

Non modo Obertus de *Beneficiis* ſcripſit, verum etiam Gerardus, ut innuitur in 11. *f.* 32. *&* 36. Ex quorum libellis noſter Feudiſta plura excerpſit, qui ævo Frider. 1. extabant, Boehm. *Commen. de ætat. vetut. collect. feud.* §. 11. Qua de re aſſerendum, hos libros, neque Gerardo, neque Oberto eſſe attribuendos: Si enim liber primus, ut putavit Cuja. eſſet Gerardi, qui Mediolanenſis fuit civis, & conſularis, equidem non tam acriter Mediolanenſes imperitiæ, & temeritatis accuſaſſet *in* 1. *f.* 13. *&* 7. Hotom. *loc. cit.* Monta. *in* 11. *f.* 55. *in prælud.* *n.* 3. Libri ſecundi ſolum XXIV. tituli ſunt Oberti, ideſt ſumpti ex ejus libello de *beneficiis*, reliqui ſunt incertorum Auctorum, continentque ſententias modo Oberti, modo Gerardi, modo aliorum Lombardiæ Sapientum. Ut *ex* 11. *f.* 51., 11. *f.* 23. 25. 28. 30. 32. 34. §. 2. 4. 36. Atque hæc Sapientum ἑτερότης ex triplici fonte nata videtur, Voluntate Patroni inveſtientis, Conventione Vaſalli inveſtiti, & Varia feudalitatis Natura, quæ tot vota in Italiæ Clientelis pepererunt.

Peracta hac morum feudalium collectione, Bononienſis Academiæ Interpretes publice legere, & Gloſſis illuſtrare cæperunt, regnante adhuc Friderico 1. inter quos fuit Bulgarus, Pyleus, aliique. Neque Bononienſes Magiſtri Friderici 1. vel 11. mandato receperunt, ſed uti Gratiani decreto accidit, uſu, & ſponte commentari aggreſſi ſunt. Forſitan, quia in tot diverſis, & judicandi, & moribus feudorum ille liber melior, & certior viſus eſt. Non itaque Frid. 11. juſſit publice legi, uti communiter creditum eſt, ex *Odofredi* auctoritate in Auth. *Caſſa C. de SS. Eccl.*, quum *Odofredus* nunquam ſcribat, a Friderico Bononiam librum feudorum fuiſſe tranſmiſſum. Etenim jam liber feudorum Bononiæ legebatur; Sed Odofredus tantum ſcribit, Fridericum DD. Bononienſibus miſiſſe *Conſtitutiones Imperatorum*, qui poſt Juſtinianum vixerunt, ut exemplo *Irnerii*, in libros Codicis, ubi opus eſſet, collocarent. Mentem Odofredi recte explicat Joan. Bapt. de Caccialup. (qui ſeculo XV. floruit) *in cap.* 1. *de feud. cogn. art.* 1. *n.* 4.

Odo-

Odofred. igitur in d. Auth. *caſſa* inquit: *Ut unum ſciatis; quod fuit compoſitum a Juſtiniano habet nona collatio. Poſtquam venit Imperator Fridericus junior, miſit has conſtitutiones ad civitatem iſtam Doctoribus legum, ut aptarent eas ſingulis legibus, ſub congruentibus titulis. Et ita fecerunt DD. dum convenerunt ad S. Petronium, qui iſtam aptaverunt ad legem iſtam. Poſtea quid fecerunt? D. Hugolinus poſuit librum feudalem, & omnes conſtitutiones Friderici antiqui, & junioris, & aliquas leges Conradi Imperatoris, & Lotharii, & vocatur decima collatio. Sed pauci ſunt qui habeant ita ordinate in libris ſuis.* Ex quibus colligitur ante Frid. II. jam notus erat liber feudorum, gloſſis etiam auctus, deinde ab Hugolino libris legum Romanarum adjunctus, & *decima collatio* dicitur (*r*) non juſſu Friderici, ſed privato ſtudio. (*s*)

§. X.

De feudalibus Imperatorum, atque aliorum legibus.

OCcidentalis dumtaxat Imperii Principes, de feudis plurima ſanxerunt; inter quos, uti dictum, eſt Conradus Salicus, qui de Succeſſione ſtatuit. Etenim conſtat, olim Vaſallos temporarios poſſeſſores fuiſſe; & feudum, exemplo precarii, Dominus revocare poterat; modo ad vitam, modo ad annum dabatur.

(*r*) Hujuſmodi viri in templo D. Petronii manda to Friderci collocant ejuſdem leges in auth. *Caſſa C. de SS. Eccl.*, auth. *Sacramenta puberum C. ſi adver. Vend.* Auth. *habita C. Ne fili. pro Patr.* & ſi quæ ſunt. Ex quibus patet authenticas noſtri Cod. non ab Irnerio tantum, ſed & a Martino, Azone, Rogerio, Bulgaro, Placentino, Pileo, Joanne, Bagarotto, Rofredo, Jacobo, Hugone a Porta Raven., Hugolino, ceteris fuiſſe excerptas, vid. Bynkersh. *Diat. de Auctorib. Authen. c.* 1.

(*s*) Duo Hugolini Bononiæ floruerunt; alter Hugolinus de Urſo eques Bononienſis; alter Hugolinus de Presbyteris, ſeu de Pretis legum Interpres in Academia Bonon., quem *Ardizo in ſum. c.* 1. vocat virum *ingenii acutiſſimi*.

Digitized by Google

tur. Paulatim, electione Domini ad unum ex filiis, & tandem ad omnes filios obtinuit extendi, quod hodie obſervatur in feudis juris francorum, in quibus vice Domini lex eligit ſtirpis maximum, & in feudis dignitatum, quæ individua ſunt 11. *f.* 10., donec Conradus Romam petens imperialis Coronæ accipiendæ cauſſa, precibus ſuorum Vaſallorum, lata lege, produxit ad Nepotes ex filio, *& ut frater fratri, ſine legitimo herede defuncto, in beneficio, quod eorum patris fuit ſuccedat* 1. f. 1. §. *cum vero*. Poſt Conradum, ad liberos uſque in infinitum; & in linea collaterali ad IV. gradum, poſtea ad VII. ut lib. II. dicam.

Diſſidium movet Franc. Hotom. *in* 1. *f.* 1., qui pro *Conrado* legit *Lotharium* I. Caroli M. Nepotem, cui ducentis amplius annis Succeſſionem nepotum, & fratrum attribuit. Idem vitium agnoſcit *in II. f.* 40. *16. &* 34. Hotomanni conjectura opponitur Hiſtoricis, & ſenſui omnium fere Interpretum, qui plerumque Conrado Salico clientelæ ſucceſſionem addicunt, præſertim Vippo *in vita ejus* edit. Piſto., *militum vero animos in hoc multum attraxit, quod antiqua beneficia Parentum nemini poſterorum auferri ſuſtinuit*, & dicam lib. II. Hæc tamen Conradi conſtitutio ob Hugolino in libris feudorum non fuit expoſita, ſed indicata, nec mirum, quum in LL. Longobardorum eſſet relata lib. II. tit. VIII. l. 4. *Præcipimus etiam, ut cum aliquis Miles, ſive de majoribus, ſive minoribus de hoc ſeculo migraverit, filius ejus beneficium tenere, ſi vero filios non habuerit, & habiaticum* (ideſt aviaticum, qui eſt nepos ex filio) *ex maſculo filio reliquerit, pari modo beneficium habeat, ſervato uſu Majorum valvaſorum in dandis equis, & armis ſuis ſenioribus. Si vero forte habiaticum ex filio non reliquerit, ſed fratrem legitimum* ex *parte patris reliquerit, ſed ſeniorem offenſum, habuerit; & ſibi vult ſatisfacere, & Miles ejus eſſe, beneficium, quod Patris fuit. habeat, ſervato uſu majorum Valvaſorum in dandis equis, & armis ſuis ſenioribus*. Hic Conradus auctor quoque eſt text. *in I. f.* 1. 2. *f.* 34. *&* 40. Cuja. ad 1. *f.* 1. Struv. *S. J. F. cap.* 1. *A. v. n.* 3.

Conradum excepit Henricus II. Imp., Germaniæ Regum hoc nomine tertius, Romæ a Clemente II. Coronam Imperii accepit A. C. MXLVII. Plures cauſſas feudi amittendi prius dubias recenſet, nempe mortem, vel vulnus domini, obſidium adulterium ejus uxoris, aut ſi contra ea, quæ in fidelitate continens

Digitized by Google

tinentur, commiſerit, & ſimilia, quibus Vaſallus judicio Parium feudo privatur. Quod ſi Dominus in probatione defecerit, Vaſallus *jurare* debet cum tribus paribus, vel cum XII. cognatis; *conf.* Cuja. *in v. f. p.* 1319. Henricus III. *in* II. *f.* 57. etiam enumerat Cauſſas, quibus cliens feudo cadit, ſcilicet inimicitias cum Domino, amicitias cum hoſte, machinationes, inſidias, ceteras. At privandus non eſt, niſi quinque teſtium judicio.

Lotharius III. edidit text. in 1. *f.* 19. qui Conradi legem de Succeſſione confirmat, ut in feudo paterno ſi Vaſallus ſine filio maſculo decedat, admittatur Nepos, ſi hic deeſt, ſuccedat frater, ideſt patruus. Nunquam enim frater ſuccedere valet, niſi deſcendat a primo acquirente, tam ex lege Conradi, quam Lotharii. Idem Lotharius auctor eſt 1. *f.* 20. ut frater non ſuccedat plerumque fratri in feudo novo; *&* 1. *f.* 21. ut Vaſallus *ſine cauſſæ* cognitione, ex legitimis culpis, non privetur feudo, ſicut Conradus, & Henricus ſanxerunt; & in 1. *f.* 22. in quo jubetur, Vaſallum annum, & menſem habere ad petendam inveſtituræ renovationem, ſive moriatur Dominus, ſive Vaſallus, niſi juſta impediatur Cauſſa, Cuja. *ad* I. *f.* 17. Struv. *ſ. j. f. cap.* I. *A. v.* 3. Franc. *de* Andr. *diſp. feud. cap.* II. §. 3.

Condit etiam Lothar. legem, quæ in II. *f.* 52. & in *lib.* 3. II. *Longob. tit. ul.* refertur, ut Vaſallus non poſſit feuda alienare ſine Domini conſenſu, ſecus & pretium, & feudum amittat; & Notarium poſt officii amiſſionem, infamiam incurrere. Quæ conſtitutio a Frid. I. aucta fuit, & quælibet juris tranſmiſſio in feudis vetita.

Fridericus I. Aenobarbus plura ſanxit de feudis, & primo in 1. f. 27. qui ad publicam Germaniæ pacem ſpectat, ob bella Civilia, quæ diu inter Germaniæ Principes de ducatu Saxoniæ dimicantes conflagrarunt; eamque exponit Cuja. *in v. f.* In II. *f.* 53. qui agit de Publica Italiæ pace tunc Mediolanenſibus in primo eorum bello pacta, ſtatuens, ut omnes ab anno XVIII. (quæ legitima eſt ætas jure Longobardorum) uſque ad an. LXX. jurent, ut *pacem teneant*, vid. Cuja. *in v. f. &* Radev. *lib.* 3. *c.* 14. *In* II. *f.* 55. in quo omnem feudi alienationem ſine Domini conſenſu prohibuit; ſub cujus nomine venit venditio, pignus, emphytheuſis, & omnis actus, quo vel proprietas, vel poſſeſſio transferatur, vel gravamen, vel ſervitus

ponatur, non tamen ſub ſubinfeudatio videtur prohibita, ſtatuta pæna. Atque hæc eſt illa conſtitutio in omnibus Europæ provinciis, ubi jus longobardicum pene viget, celeberrima.

Idem Imperator in II. *f.* 56. Reſtituit in Italia *Regalias*; Nam in omnibus Germaniæ, atque fere Italiæ provinciis, Comites, Duces, Marchiones, Civitates, Reſpublicæ, atque Epiſcopi regia Imperatorum jura, & quæ ſuprema erant, occupaverant, ut ex Alteſer. *lib.* 2. *de ducibus*, & Murat. *diſſer. XLVIII.* conſtat, & dicam *lib.* 2. In eo itaque textu regalias recenſet, quæ omnes pene minores ſunt. Has Imperatorum conſtitutiones peculiari libro Cuja. Scilicet *q uinto*, aliis adjectis ante auream bullam Caroli IV. comprehendit.

Has feudorum leges ſolebant Imperatores ſtatuere dum Italiam ad accipiendam imperii Coronam petebant, in Campis Roncaliæ ſupra Padum amæniſſimis, quos Radev., Ottho Fritig., Morena deſcribunt, & præſertim Sigon. de Reg. Ital. lib. VII. *Itaque ad Padum deſcendens in Campo quodam, qui Roncaliæ dicebatur non longe a Placentia conſidebat, ibique caſtra in hunc modum faciebat. Loco, aut natura plano, aut ſi inęqualis eſſet, manu, atque opere complanato, vallum in orbem, aut in quadrum ducebatur. Fabrorum, opificum, ac mercatorum turba ad uſus neceſſarios ſequens exercitum cum ſuis tentoriis, & Tabernis, ſi quadrata erant Caſtra, Suburbiorum, ſi rotunda, muri exterioris ſpeciem afferebat. Intra Caſtra vicis apte diſtinctis, vias dirimebant, plateaſque, & portas effingebant. Et quaſi urbs quędam repentina exiſteret. In medio Regis tabernaculum locabatur, templo ſimillimum. Circaque Principes, ut quiſque dignitate præſtabat, tentoria ſua figebant. His Caſtris locatis, Rex ad ſtipitem pręaltum ſcutum ſuſpendebat, eoque omnes feuda habentes ad excubias Regis ex inſtituto agentes, per Præconem publicum evocabat. Eademque ratione, qui in Comitatu ejus Principes erant, ſinguli ſingulos ſibi addictos valvaſores citabant. Poſtridie, qui non adfuiſſet, feudo mulctabatur. Inde Conventu inſtituto Civitatum legatos, gratulantes excipiebat, vel excuſantes, aut expoſtulantes audiebat, atque eorum controverſias, juriſconſultis adhibitis, cognoſcebat, ac leges, ſi erat opus, ferebat. Erat autem moris, ut primos dies, in jure dicundo conſumeret, alteros paci inter Civitates conſtituendæ dicaret, extremis jura feudorum cognoſceret, ac novis legibus ſtabiliret.*

Præ-

Digitized by Google

Præter Italiæ Iſtorum ſcita, atque Impp. edicta, etiam in libris feudorum, adſunt Epiſtola Philiberti *Epiſcopi Carnot.* & conſtitutio Urbani Papæ. Philibertus vir doctrina, & ſanctitate clarus, floruit ſub Henr. I. Imp. anno plus minus Chriſti Milleſimo decimo: qui precibus Wilhelmi Aquitaniæ Ducis compoſuit formam jurisjurandi fidelitatis, quam ſuo Domino Vaſallus debet exhibere, II. *f. 6.* Natal. Alex. *H. E. ſeculo XI., & XII. cap. v. art.* 1., A. Aug. *in Dial. de Emen. Gratia. lib.* 2. *9.* & refertur in *can. de forma XXII. q.* 5. Urbanus II. in Concil. Placentiæ A. C. MXCIV. vetuit in feudum dari *titulos*, ideſt prædia clericis conceſſa, unde ſe alere poſſent, dicam *lib.* 2.

Pontifices exemplo Imperatorum non pauca de feudis ſtatuerunt; præſertim cum R. Eccleſia latifundis Principum liberalitate fuerit locupletata, quæ jure feudi aliis concedebat, ſicut & aliis Eccleſiis moris erat ſubinfeudare, ſibique Valvaſinos adquirere, ut Innoc. III. *in cap.* VII. *de conſtit.* de non alienando Eccleſiæ feudo ſine ſolemnitatibus: in *cap. 7. de his, quæ fiunt a Prel.* de Decimis in feudum conceſſis: *In cap.* 1. de feudo in pignus dato: *cap.* 2. *eo.* de Rebus Eccleſiæ infeudandis vel non: *In cap. 6. de Donat. Int. Vir.* de feudo in dotem dando: *In cap. X. de Penis*, ut Vaſallus tenens feudum ab Eccleſia, ſi Prælatum occiderit, feudo cadat; Ipſemet etiam Innoc. aliqua de feudis in ſuis Epiſt. reſpondit. Alexand. III. *in cap. 5. de judic.* conſtituit forum Vaſalli, ſive laici, ſive Eccleſiaſtici, eſſe tribunal Patroni; idem diſpoſuit in *cap. 6. & 7.* de for. Comp. quæ latiſſime exponit Ludolph. Scrad. *de feud. P.* X. *ſect.* 1. 2. 3. & 4. Honor. III. *in cap. LIII. de Sent. Excom.* ut Poteſtas, quæ jus condit contra Eccleſiæ libertatem, privetur feudis, quæ ab Eccleſia tenet. Alexand. IV. *in cap. fin.* §. *ſane quamvis* de *Decim. in 6.* de modo, quo decimæ ſint infeudandæ; Pancir. *Var. lect.* 1. *cap.* 90. Recte itaque dicimus, jus feudorum partim reſponſis Prudentum, partim Conſtitutionibus Impp., partim Pontificum, & magiſtratuum edictis, partim Conſuetudine Conſtare.

Denique jac. Ardizo, jac. Alverot. Hotom. & Cuja. addiderunt Capp. Extrao., quæ juvant, non probant, niſi conveniant textibus Collectionis feudalis. Eaque ex moribus longobardorum excerpta ſuſpicio eſt; atque a *tit.* 58. *lib.* 2. *f. edit.* vulgatæ incipiunt.

Digitized by Google

§. XI.

De legibus feudalibus Regni Neapolitani.

SUpra dictum eſt, Longobardos in noſtris Regionibus jus clientelare primum induxiſſe, quod in variis conſuetudinibus tunc coercebatur; idcirco jure non ſcripto *Comites*, & *Gaſtaldi*, qui provincias urbes, & oppida regni regebant, utebantur. Neque adventu Normannicæ gentis aliqua lex feudalis ſcripta viſa eſt; etſi ſuſpicari poſſimus, præter conſuetudines feudales tunc in regno vigentes, ipſam alias addidiſſe, quas ex Germania accipere potuit, ut ſatis innuit Hugo Falcand. dum petitionem a Proceribus factam narrat Regi Willelmo, ut exoletis novis, quas ſanxerat, legibus *reſtitueret conſuetudines*, *quas avus ejus Rogerius Comes*, *& Robertus Guiſcardus prius introductas obſervaverat*, *& obſervari præceperat*.

Hujuſmodi feudales mores, quos Nortmanni ſibi cuderunt, & vim in Sicilia, atque Apulia habebant, deſcripti erant in quibuſdam libris, quos illa ætas dixit *defetarios*. Sed cum in incendio Panormitano eſſent combuſti, quod magnopere Willelmo I. diſplicuit, opera Matthæi Notarii, qui hos memoria tenebat, ſunt reſtituti. Magnum enim regiis juribus damnum jactura horum librorum afferre poterat, in quibus, *Terrarum*, *feudorumque diſtinctiones*, *ritus*, *& inſtituta Curiæ continebantur*, inquit, Hugo Falcand., Conſ. *Inveg. Hiſt. Panor. an.* MCLXI. Normanni igitur ad Rogerium uſque Primum eorum Regem peculiaribus utebantur inſtitutis in feudorum conceſſionibus, & in dominia a Græcis, & Saracenis prius retenta induxerunt. Quemadmodum, dum Angliam occuparunt, in eam feuda etiam intulere; & ſi ſedulo leges Rogerii, Guliel. I. expendamus, ſimillimas experimur moribus Germaniæ populorum, qui in devictas regiones ſtatim jus clientelæ, jura fidelitatis, ſive uti fas eſt loqui, *dependentiæ* figebant. Non minus itaque Lombardiæ Civitates jure non ſcripto, & variis feudorum moribus, vivebant, quam Regnum Neap. a Nortmannis *jure belli* ad quiſitum.

Primus qui feudales leges apud nos tulit fuit Roger. I. qui in Conſt. *ſcire volumus* lib. 3. I. vetuit feudatariis, ſive laicis, ſive Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiaſticis, imo etiam principibus, (qui tunc erat Rogerius dux Apuliæ, Anſuſus Princeps Capuæ, & Tancredus Princeps Tarenti) feuda, atque jura regalia alienare, vel minuere. Et Quamvis Imp. Lotharius 3. A. C. MCXXXVII. olim Dux Saxoniæ, unde *Saxonicus* dictus, Romæ conſtitutionem ediderit in 2. f. 52. qua omnis feudorum fuit interdicta alienatio, tamen Rogerius immitis Hoſtis Lotharii, nunquam in Siciliæ, & Apuliæ regno vim legis habere permiſit, quare coactus, ipſe vetuit alienationem, quam in Conſt. *ſi quis baro lib.* 3. 13. reſtrinxit, ut Baro, vel miles poſſet conſtituere dotarium ſuæ uxori ſuper uno ex tribus feudis, quæ poſſidet, ſine Regis licentia: ſi pauciora habet, dotarium ſecundum feudorum qualitatem, & quantitatem, ſit in pecunia. Nunquam tamen conſtituet dotarium ſuper illo Caſtro, a quo Baro aſſumpſit nomen.

Præter hæc, Rogerius primum induxit *jus francorum* in feudali Succeſſione, quod in tota Italia prius ignotum erat. Succeſſio enim in feudis Italiæ lege Conradi Salici, & Lotharii regebatur. Hinc diſtinctio juris *francorum*, & *Longobardorum*. Jus franco. maximum ſtirpi in Succeſſione præferebat; quæ lex, quam Juſtinus vocat *jus gentium*, placuit & Germaniæ populis, & omnibus dinaſtiis, ut major natu in feudis, & regnis ſolus ſuccederet. Jus Longobardorum omnes filios ad Succeſſionem admittebat, exceptis feudis regalibus, quæ individua ſunt 2. *f.* 10. 2. *f.* 55. Jus franc. hodie apud nos ſervatur; ſed an in regno ſit jus ſpeciale, an generale vid. de Roſa *in prælud. feud. Lect. VIII.* Conf. Franc. de Andr. *Diſp. feud. cap.* 11. §. *6.* dicam *lib.* 11.

Rogerium excepit MCLIV. Guliel. I. qui tres de feudis conſtitutiones edidit: Prima agit de Dotario uxoris ſuper feudo ſui viri, juramento aſſecurationis, quod ea Succeſſori ſui viri præſtare tenetur *de Vita, membris, & captura*. De obligatione Vaſallorum præſtandi hoc jusjurandum Mulieri, etſi uſufructuariæ, ſine præjudicio Baronis, & viciſſim, Conſt. *Mulier lib.*3.16. (*t*) Se-

(*t*) Jure Longob. filiæ etiam inopi ex feudo nihil debetur; ſed jure German. filia inops ex feudo dotatur; & quidem in annalibus, & Chartis frequentius occurrit, dotis, vel dotarii con-

Digitized by Google

Secunda eſt de dotandis ſororibus Baronis, qui, deficiente alaude, poteſt dotem ſtatuere ſuper uno ex tribus feudis, quæ poſſidet; ſi unum; tunc dos debet eſſe in pecunia. Modo matrimonium conſenſu Regis Contrahatur, qui vicem gerit aſſenſus in feudorum alienatione requiſiti, ſecus dotis aſſignatio nulla eſt, nulla conventio, Conſt. *fratribus lib.* 3. 17. Tertia reprimit Baronum, & Prælatorum avaritiam in exigendis adjutoriis a Vaſallis, atque intra hos fines coercet, nempe pro redimendo Barone in Regis exercitu ab hoſtibus capto; pro adſcribendo militiæ filium ſuum, pro collocanda filia, vel Sorore; pro emtione Terræ in regis ſervitium. Prælati, pro Conſecratione, vocatione ad Concilium, vel Regem, vel ad Apocriſarii munus, vel pro haſpitio Regis. Atque id *moderate*, inquit, Guliel. in Conſt. *quamplurimum lib.* 3. 20. Quæ Nortmannica feudalis fiducia Germaniæ populis ſimillima eſt, Conf. Alteſer. *De Ducibus lib.* 11.

Exſtincta Norman. Stirpe, Regnum ad Svevos tranſiit ſub Frid. II. qui A. MCCXXXI. opera P. de Vineis jus patrium collegit, de feudis hæc tulit. Vetuit omnem feudi alienationem, exceptis excandentiis, ſine aſſenſu Regis, & cuique jus dedit a contractu reſiliendi Conſt. *Conſtitutionem D. M. lib.* 3. 5. modo feudum non detur in dotarium, tunc aſſenſu Cæſaris opus non eſt; idcirco ſi unum habet feudum, dotarium erit in pecuia, ſi unum, & dimidium, in dimidio; ſi plura, in uno, Conſt. *licentiam lib.* 3. 16. Feudatariis pupillis voluit ipſe Balium dare, qui obligetur, finita tutela, rationem reddere, deducto Salario, & ne-

---

conſtitutio in Baroniis, Principatibus, atque integris Dynaſtiis P. Ludew. *lib.* 11. *feud. opuſc.* 1. *cap.* 2. §. 1. (*ll*) *&* *lib.* 1. *jur. publ. opuſc.* 4. *diſſert.* 4. Leo Oſtien. *lib.* IV. *Chron.* Caſin. *cap* 25. qui plurimum d. conſt. illuſtrat, inquit, *Quod videlicet Oppidum* (Pontis Curvi) *idem Gualguanus nomine dotis uxori ſuæ dedit, & moriens dereliquit: ſed illa debitam ſecuritatem dicto Principi* (Riccardo ſecundo) *facere contempſit, & contra voluntatem ſuam hoſtibus ipſius ſe junxit, & guerram ſibi fecit, & negotium cum eis commiſit, & annonam eis tribuit, ob quam culpam prædictum Oppidum in Principis juriſdictionem, & poteſtatem evenit &c.*

Digitized by Google

& neceſſariis expenſis, & ſervitio Regali Curiæ; ſive Vaſallus naturaliter, ſive Civiliter mortuus ſit, ideſt ſorijudicatus Conſt. *minoribus lib.* 3. 30. Conſt. *Si quando lib.* 2. 7. Baronibus permiſit juramentum aſſecurationis exigere a ſuis Vaſallis, de vita, honore, ſecreto, membris, ſalva fidelitate Regis. (*u*) Permiſit etiam petere adjutoria a Vaſallis, in caſibus quos expreſſit in Conſt. *Domini lib.* 3. 18. Conſt. *Comitibus lib.* 3. 21. (*x*) Enumerat Cauſſas, quibus Subvaſallus ſubfeudo cadat, Conſt. *ſi Vaſallus lib.* 3. 19. De inveſtitura Valvaſini ſtatuit, mortuo Barone, qui ſubfeudum tenebat, Regi denunciandum, ut alium de eodem ſubfeudo inveſtiat, ſoluto laudemio Baroni, a quo feudum tenuit, ideſt X. uncias Conſt. *poſt mortem lib.* 3. 25.

Præſcriptionem XXX. declaravit modum eſſe legitimum adquirendi feudum, ſi adeſt præſens adverſarius, bona fides, & præſtatio ſervitii R. Curiæ. At in præſcriptione contra fiſcum tantum centum annos admiſit Conſt. *Conſuetudinem pravam lib.* 3. 38. Conſt. *quadragenalem lib.* 3. 39. In ſucceſſione feudorum præfert fæminis mares, cum onore paragii; quibus deficientibus ſuccedunt fæminæ, quæ ſi minores ſint, conſenſu Regis Balium uſque ad XV. an. habent, & deinde nubant, Conſt. in *Aliquibus lib.* 3. 26. In Succeſſione feudorum, ſine quaternata *ſimpliciter*

(*u*) Hoc jurisjurandi genus & in ll. noſtris, & Exterorum aſſidue occurrit, proprieque Dominum inter, & Vaſallum præſtatur, Riccard. Hagulſtaden. Epiſt. LVIII., (quem laudat Dufreſne) *Ego Henricus aſſecurabo Regi Francorum, ſicut Domino, vitam ſuam, & membra ſua, & terrenum honorem ſuum. Si ipſe mihi aſſecuraverit ſicut Homini, & fideli ſuo vitam meam, & membra mea, & terras meas, quam mihi conventionavit, de quibus Homo ſuus ſum.*

(*x*) In ll. municipalibus noſtri Regni, Galliæ, Germaniæ, Angliæ, ceteris, obvium eſt *Adjutorium*, ideſt præſtatio; quam facit Vaſallus Domino, Paris *ad A.* 1252. Eſtque duplex *legitimum*, & *liberum*. Primum a lege, vel præſcriptione inductum: Secundum ex liberalitate. Et caſus, quos noſtra expreſſit Conſtitutio paſſim apud exteros populos occurrunt vid. Hincm. Rhemen. *ad Cler. Laudun. Conſ.* Willel. Apul. *lib.* 3.

Digitized by Google

citer ſint, ſive *ſecundum quid*, ut poſterior ætas locuta eſt, deſcendentes in infinitum, Collaterales ad III. grad. Conſt. *ut de Succeſſionibus lib.* 3. 27. Ex quibus liquet jus noſtrum feudale ſub Nortmannis, & Svevis magnopere auctum, quodque a Germaniæ populis, & variis conſuetudinibus originem trahit.

§. XII.

De Legibus feudalibus ſub Andegavenſibus, atque ad noſtra uſque tempora.

A Svevis Regnum tranſiit ad Andega. Sub Carolo I. qui nihil de feudis ſtatuit; ſed plura ejus filius Carolus II. De Servitiis ſanxit, feudatarios, tribus menſibus, propriis ſumptibus teneri Domino ſervire, ultra id tempus, expenſis Domini Cap. *item ſtatuimus quod Comites, Barones*. Adjutorium quilibet Baro a Vaſallis exigat, ſine Regis licentia, *moderatum*; ſecus pæna dupli, quod indebite extortum eſt, puniendus Cap. *item ſtatuimus quod Comites, Barones*, idcirco in Cap. *Comites Barones* modum exigendi ſtatuit. Cuique Feudatario jus dedit nuptias contrahendi Cap. *item ſtatuimus, quod licitum*. Judex Competens in Cauſis Baronum, ſint Compares id eſt Convaſalli, Cap. *item ſtatuimus, quod ſi Comites*. Quilibet feudatarius poſſet ſuper feudo ſuæ uxori dotarium conſtituere ſine licentia regis, quod uxor tam in proprietate, quam uſufructu adquirit, ſi filii non extent, præmortuo viro, Cap. *Mulier dotarium*. Juſſit quoque Carol. II. ut ſi in inveſtitura dictum ſit pro *ſe, & heredibus ex ſuo corpore legitime deſcendentibus*, etiam frater fratri ſuccedat, quod ante in regno non obtinuit Cap. *conſiderantes*.

Carolo II., qui obiit A. C. MCCCIX., ſucceſſit Robertus ejus filius; ſi enim Baro a regia Curia vocatus, vel ut ſerviat, vel ut adoham ſolvat, vel ut copiam ſui Domino faciat, & recuſet venire, quadruplicatum ſolvat ſervitium, vel adoham Cap. *Volumus tuam*. Barones tenentur intra annum, & diem a morte defuncti Vaſalli coram Rege ſe exhibere, eique ligium juramentum præſtare, ſive ſint majores natu, ſive omnes filii, qui jure longob. vivunt. atque ſi poſt annum, & diem non compareant, feudo privantur. Hæc duo Capp. de feudis edidit Rober-

bertus, qui aſſidue detentus, ejus filius natu major Carolus dux Calabriæ, & Vicarius Regni condidit Cap. *Ex preſumptuoſe*, Barone ſine legitimo herede defunćto, fiſcum accipere feudi poſſeſſionem, donec compareat legitimus heres. Denique Roberto qui obiit A. C. MCCCXLIII. ejus filia *Joanna I.* Succeſſit, eique Carolus III. qui de feud. edidit Cap. *emergentium rerum* hodie apud nos non ſervatum. Donec *Joann. II.* celebrem condiderit pragm. quæ *Philingeria* dicitur, A. C. MCCCCXVIII. qua ſtatutum, ſororem jure francorum viventem, excludi a Succeſſione fratris, ſi de ejus bonis fuerit dotata: viventem vero jure Longob., ſat erit ſi a communi Patre fuerit dotata.

Sub Joanna II. exſtinćtum eſt regnum Andega. quod CLXXVII. an. duravit, atque ad Aragonenſes translatum ſub Alphonſo I. qui de feudis nihil ſanxit; ſed ejus Succeſſor *Ferdinandus* an. C. MDV. ut pro dotis mulieribus intelligeretur præſtitus aſſenſus in bonis feudalibus *Pragm. II. de feud.* cum ſæpe mulieres Baronibus nuptæ dotes dabant, quarum ſecuritas ex feudorum obligatione dipendet, quæ ſine Regis aſſenſu legibus Regni obligari non poſſunt; ſexus itaque imbecillitati precibus hujus Civitatis Ferdinandus motus ita reſcripſit. Atque non modo pro dote, ſed etiam anteſato præſtitum aſſenſum intelligi ſanxit Carolus V. A. C. MDXXXIX. *prag.* VIII. *de feud.*, in mulierum favorem, & eorum, quibus faciunda erit dotium reſtitutio, ut juſſit *Philip.* II. *A. C.* MDLXXXVI.

Et quoniam inveſtituræ ſolemnitas in hoc Regno exolevit, in ejus vicem ſucceſſit Vaſallorum Aſſecuratio, & juramentum ligium, quod Baro infra Annum præſtare tenetur, dum nempe titulo emptionis, donationis aliove feuda emit, *Granvela* A. C. MDLXXI. ſanxit in pragm. XIX. *eo.* feuda alienari non poſſunt ſive aſſenſu, vel Regis, vel Proregis; at Prorex nequit aſſentiri, ſi feudum alienetur in manum mortuam; Aut ſi ducatus, Marchionatus, Comitatus, vel quodvis magni momenti feudum; Aut ſi alienatur a feudatario, qui legitimo caret Succeſſore, ex lege *Caroli V.* A. C. MDXXXI. in Pragm. IV. *eo.* Feuda a Patre donata filiis contemplatione metrimonii, intelliguntur teneri a filiis uti feuda antiqua ex *Prag. XV.* A. C. MDLVII. *Caroli V.* quare, mortuo filio ſine liberis, ſuccedat Pater. Feudorum refutationes intra ſtatutum tempus ſunt regiſtrandæ, in Codicibus R. Cameræ, ſecus Refutatio erit nulla,

Digitized by Google

ex Pragm. XX. *Pro. Marques* A. C. MDLXXIX.

Feudalis Succeſſio poſtremis noſtri Regni legibus plurimum aucta eſt, atque a jure longobardo ſe removit. Nam in collaterali linea patruus ſuccedit Nepoti ex Pragm. VI. *Caroli* V. A. C. MDXXXI. & etiam Amita tam in feudis antiquis, quam novis, ut Prudentes docent. Defertur & Succeſſio fratribus Patruelibus, qui per maſculinam lineam proveniunt a primo ſtipite ex Pragm. XI. *Caroli* V. MDXLVIII. At ex lege *Philip.* IV. A. C. MDCLV. in Pragm. XXXIV. hodie ſuccedunt tam fratres patrueles per lineam maſculinam, invicem, quam & ſorores. Et ſorores fratribus patruelibus & fratres amitini, vel ſororini, mutuo ſuccedunt, ſive a linea maſculina, ſive fæminea deſcendant, ad quartum uſque Gradum, deinde precibus Baronum, ad quintum in linea Collaterali A. MDCCXX. die 25. Maii. Denique plura jus noſtrum feudale de Vaſallorum poteſtate ſanxit, quæ *lib.* II. docebit.

Ex his cuique conſtat, Regnum Neap. vario uſum fuiſſe feudali jure a Nortmannis ad noſtra uſque tempora, in quo vehementer natura ejus immutata eſt, nempe ſervitia, teſtamenti factio, ſucceſſio, dotarii, atque dotis conſtitutio, inveſtitura, relevium, matrimonii venia, vel prohibitio, legatum, aſſenſuum ſolemnitates, Vaſallorum aſſecuratio, ritus Refutationum, hypotheca, & poſſeſſio, vulgo *tenuta*, conceptio inveſtituræ, præſtatio ligii homagii, modus alienationis, vita, Militia, Longobardorum feudis fere ignota, deinde apud nos invecta. Cujus mutationis cauſſas tres adgnoſco, (1) nimia fuit Principum noſtrorum liberalitas: (2) audax ſupplicantium intentio, qui ſæpe vel Barones, vel quorum intererat, eſſe ſolebant, ut majus jus, & lucrum in feudo, & in familia, haberent, & conſervarent præſertim ſub Auſtriacis, Carolo V. Imp. Philip. II. III. IV. & Carolo VI. (3) abſentia Regum, qui pecunia indigentes, ab hoc regno exigebant, idcirco vel ſponte, vel ſupplici libello gratias, & privilegia Vaſallis concedere moris erat. Quæ conceſſiones non tanquam de feudali jure, ſed allodiali concipiebant & proinde hodie tanta eſt feudi affinitas, & ſimilitudo cum allodio, ut vix ſecerni voleant.

§. XIII.

§. XIII.

De Legibus feudalibus Regni Siciliæ.

SUb Nortmannis, Svevis, & initio imperii Andeg. Regnum Siciliæ, & Neapolis eodem regebatur jure, & collectio Frid. II. Conſtitutionum in utroque vim legis habebat. Atque antequam Rogerius leges feudales ſanxiſſet, duplici jure feudali utebatur; non ſcripto videlicet, ex Lombardiæ Civitatibus, viciniſque Longobardorum moribus; & jure ſcripto, quod libris *defetariis* ſervabatur. At A. C. MCCLXXXII. opera Joannis Procidæ, & Conjuratorum, interfectis Andegavenſium Militibus, Regnum *Siciliæ* ad Aragonenſes tranſiit, primo ſub *Petro*, atque a Regno Neap. ſeparatum, cepitque propriis legibus vivere, quæ de feudis, plura ſanxerunt, eaque *Marius Muta* illius Regni Ictus collegit, ad Alphonſum uſque I.

Vaſallus in Regno Siciliæ poteſt feudum alienare, permutare, pignori dare, donare, aliove modo deſponere ſine Regis conſenſu ex cap. *volentes* XXVIII. *Reg. Federici*, etiam ſi feudum ſit titulatum. Si vero Vaſallus velit illud dividere, vel ad Eccleſias, vel Uuiverſitates, ideſt manus mortuas transferre, vel in perſonam non æque dignam, tunc Regis opus eſt conſenſu. (y)

Nec refert, an hæc alienatio fiat inter vivos, an Cauſſa mortis; quum hac in re jure illius regni feudum natura allodii aſſumpſerit. Nec diſtinguitur, an feudum ſit novum, an antiquum. Deſcendentes, ſervata ſexus & ætatis ratione, & jure francorum viventes in infinitum ſuccedunt. Collaterales ad ſeptimum uſque gradum admittuntur, ſive feudum perveniat ab aliquo ex Parentibus, ſive ex aliquo non communi Parente, ex cap. *aliquem* Reg. *Jacobi*.

(y) Quia manus mortuæ poſſeſſio immortalis eſt, & nunquam daretur devolutio. Hinc Principes a vetuſtis eorum Principatuum initiis prohibuerunt, bona vel feudalia, vel allodialia his locis donari, vid. Bodin. *de Republic. lib. v. cap.* 2. de Praxi hujus Regni dicam lib. III.

De Servitiis Vaſalli ſtatutum eſt, tribus menſibus, cum debito militum numero, obligari Domino ſervire, ſi bellum fuerit intra regnum: ſi enim extra Regni fines, Vaſallus nullo ſervitii onere tenetur. Hoc tamen ſervitium, ſi nequit Vaſallus præſtare, Domino in regno dimicanti, pro ſingulis militibus, quos debet, trium menſium ſpatio, auri uncias tres, & dimidium R. Curiæ ſolvere ſanxit *R. Jacobus in cap.* XXXIX. Ab hoc ſervitio eſt immunis ſubfeudatarius, quia non a R. Curia, ſed a Barone feudum recognoſcit, ex *cap.* XXXIV. *R. Jacobi.* Neque Baroni eſt obligatio comitandi Regem extra regnum; niſi pugnet in regno, forſan pro oppido, vel Civitate adipiſcenda; Rex tamen, poſt quam tribus menſibus Baro ſumptu ſuo ſervivit, ſuppeditat Sumptus ſpatio trium menſium, quibus elapſis, ab exercitu Vaſallus diſcedere poteſt, ex cap. XXIX. *R. Feder.*

Defuncto Vaſallo, Succeſſor in Comitatu, Baronia, aut feudo tenetur perſolvere relevium, nempe decem argenti marchas, ſi feudum tribus componatur Caſtellis, & pro qualibet terra; vel villa, quam Cives degunt, quatuor marchas; pro Caſtro, quod nemo colit, duas marchas: pro feudo plano, unam marcham; modo qui ſuccedit, fuerit ex linea deſcendenti. Si enim ſuccedunt Collaterales, a primo ſtipite non profecti, relevii tunc quantitas erit dimidium fructuum, quos feuda reddere ſolent, eo anno, quo feudatarius obierit, quæ ſolutio intra ſex menſes faciunda, tam ab iis, qui ſunt lineæ deſcendentis, quam Collateralis, ex *cap. LX. R. Martini, & Joan.*

De ſubfeudatarii morte ſancitum eſt: Si ſine legitimis heredibus moriatur, vel proſcriptus, poſſit Dominus a quo feudum cognoſcit, de eo idoneam perſonam inveſtire, etſi Regis aſſenſus non adſit. At ſi Baro retrofeudum, uti Galli appellant, intra annum concedere neglexerit, jus eſt Regi alterum inveſtire, qui nihilominus erit Valvaſinus Baronis, ex *Cap. XXXV. R. Jacobi.* Tempus petendæ inveſtituræ ſtatuitur annus menſis, hebdomas, & dies a morte Baronis, quo Succeſſor, præſtito homagio R. Curiæ, illud etiam a ſuis Vaſallis petere valet. Si intra hoc tempus non petat, pœna erit, ſolutio fructuum unius anni, ideſt annatæ, Fiſco deferendæ. Si vero Prorex in mora eſt hominium recipiendi, inveſtitura intelligitur præſtita, nihilque requiritur, niſi relevii ſolutio, ex *Cap. Alphonſi* CCCCLII. Ad petendum

Digitized by Google

dum autem ob Regis mortem vel Baronis, hominiúm, ſancitus etiam eſt annus & dies, intra quos ſi non petat, ſolvere debet fructus feudi duorum annorum, & contumacia creſcente, elapſis tribus menſibus, feudo cadit, *ex Cap. R. Jcan. XII.* Atque juramenti præſtatio vicem gerit abuſivæ inveſtituræ.

Circa tutelam feudalem, lex eſt, poſſe Baronem in teſtamento, ſine Regis licentia ſuo pupillo conſtituere Balium, vel furioſo, vel mentecapto; ſicut quilibet paganus ſuo pupillo ſtatuit tutorem. Aut ſi Baro dedit Balium, ſed ſe excuſavit, vel teſtamentum fecit, & non dedit, vel inteſtatus obiit, Mundeburdium accipiunt Proximiores ex *Cap.* CCCLXXXVIII. *R. Alphonſi*. Denique deficiente feudali linea feudum aperitur Fiſco, qui poſſidet, donec legitimus compareat Succeſſor, ex *Cap.* CCCXC. *R. Alphonſi*.

Hæc Siculorum feudalis Nomotheſia, videtur magis ad jus primævum clientelæ, ſi excipias, accedere, præſentim de Retrofeudis, Succeſſione, inveſtitura, hominio, ſervitiis, etſi quæ ſunt; quamvis permittat, inſalutato Rege, feudum alienare; quod jus ortum in eo Regno opinor, ut animos ſuorum fidelium Reges ſibi magis allicerent, atque ab onere petendi aſſenſum liberarent. Cum initio ageretur de illius Inſulæ recuperatione, quæ potius Baronum conciliatione, quam armis indigebat. Hoc jure hodie utuntur Siculi, quo deficiente, Regni conſtitutionibus vivunt.

§. XIV.

De Politica feudorum origine.

ACtum ſupra eſt de hiſtorica juris clientelaris origine; inſpicere nunc ſupereſt, quænam fuerit ratio, quæve mens Principum feuda inveniendi. Equidem prima ratio fuit, *devictos populos, vel proprios ſubditos arctiori vinculo fidei, & amoris obſtringere erga Principem*. Secunda *virtutis præmium*. Tertia *Imperii conſervatio*. Quarta Principum *liberalitas*. Quinta *Redintegratio Poteſtatis*. Vetuſtiſſima, & cum Imperio nata ratio Prima eſt, Populis devictis, non modo priſtinam diminuere libertatem, ſed etiam agros, & eorum prædia a victore recognoſcere; ut ex Roma-

Digitized by Google

manis, & Barbaris exploratum eſt. Olim Romanorum agros ex hoſtibus captos moris erat, aut totos publicare, aut in victorem populum partiri, aut aſſignare veteranis, aut per Cenſores locare, aut priſtinis dominis relinquere, ſed cum vectigali *l.* 15. §. 2. *D. de R. V. l.* 11. *D. de Evict.* Conf. Gotof. *ad l.* 20. §. 1. *D. de Captiv.* Conf. Buleng. *de Vectig. Pop. Rom. lib.* IV. *cap.* V. (z) Princeps enim ſæpe gratia, amore, amicitia, vel quorundam dignitate motus devicto populo relinquebat prædia, ſed cum onere tributi, quod in recognitionem accepti beneficii, & domini pendebatur, ut majori fidei nexu, & amicitiæ vinculo, & ſubjectonis conditione Victori parerent.

Hæc Romanorum Politia, adeo poſt Imperii ruinam, & Barbarorum increbuit incurſiones, ut in cujuſque privati perſona, & bonis

(z) Generalis in Europa invaluit lex, ex Barbaris orta, ut perſonæ etiam ſub Dominio Imperantis eſſent, quæ a noſtris quoque Regib us fuit recepta. Nam non modo perſonas ſimul cum diſtrictu, & territorio alienabant, vel venditionis, vel donationis, aut permutationis titulo; ſed etiam ſine territorio. Pauca hic referam exempla, quæ plurima apud Leonem Oſtien. Ugell., Falcand., ceteros noſtri regni Hiſtoricos viſuntur. Leo Oſt. *lib.* 1. *cap.* 14. inquit, Hildebrandum Ducem Spoleti donaſſe Monaſterio Caſſin. Curtem, & *familias multas cum omnibus ſubſtantiis earum. lib.* 1. *cap.* 34. narrat, Abbatem Mont. Caſſin. donationem feciſſe *cum Colonis*, & *ſervis*, & *ancillis; ut* & *lib.* 4. *cap.* 67. *Lib.* 1. *cap.* 3. *cap.* 44. Scribit, Robertum Ducem, Capta Civitate Tarento, obtuliſſe Monaſterium ejuſdem Divitatis B. Benedicto, & *quatuor*, & *centum familias hominum*. Ugell. in Ital. Sacr. to. IX. de Epiſc. ſquillac. teſtatur, Rogerium Siciliæ Comitem A. MXCVI. conceſſiſſe Eccleſiæ Squillacenſi *Villanos*, & *presbyteros græcos*, *cum filiis*, & *filiabus eorum*. Nec non etiam Riccardum Roberti Dapiferum, inquit donaſſe Eccleſiæ Neocaſtr. terræ tractum, *cum Villanis* & *filiis eorum*, & *filiabus tam Uxoratis*, *quam non Uxoratis*. Hinc Frid. II. in Conſt. *quia frebuenter lib.* 3. 9. vocat ſe *Dominum perſonam*. Ex quo natæ ſunt apud nos *Angariæ*, & *parangariæ*: dicam *lib.* 11.

Digitized by Google

bonis dominatum vindicaret. Hunni primum a Scythiæ oris, Europam pene totam armis, & ferro devaſtarent, victos populos ad dominatum rerum omnium ſic aſſuefecerunt, ut nemo agros, & prædia jure ſuo, ſed eorum beneficio poſſideret; Cives ad adſcriptitiæ conditionis onus reducebant; Eiſque facultas erat ad agros colendos damnandi, vel aliis donandi, aut vendendi. Moſchovitæ enim ſe Regis *Chlopas* ideſt *ſervos* appellant. *Sultanus* ideſt *Dominus* Turcarum perſonarum, & bonorum omnium ſe dominum & appellat, & exequitur. Longobardi, Saxones, Gothi, Burgundi, Angli, ceteræ Germaniæ gentes, R. Imperium lacerantes, ſe rerum omnium Dominos oſtendentes, meliora in devicto populo prædia, quæ deinde *demania* dicta ſunt, reſervarunt; reliqua ſub fiduciæ lege, juramento, & fidelitatis vinculo reliquerunt, ita Mutius *in Chron. German. lib.* 5. edit. Piſto. de Odoacro Italiæ Incubatore, inquit, *Odoacer in imperando non fuit infelix, Italos mancipiorum loco habuit, Germanis militibus, quorum armis ad illum locum pervenerat, donavit magna*, ut & ſupra de Alboino dictum eſt. (*a*)

Neque tamen ſatis fuit devicto populo clientelarem imponere conditionem, ſed, ut integerrima ſervaretur fidelitas, agros, & latifundia dividebant, & *precario* jure largiebantur; idcirco Vaſallus, non modo timore feudi amiſſionis, verum & fidelitatis ſervandæ Cauſſa nihil contra Victorem moliri cogitabat; Ita Carolus V., Subjugatis Pervanorum regionibus, exceptis ſervis, ſub ſe omnia teneri voluit, & prædia poſſeſſoribus fruenda reliquit, Bodin. *de Republ. lib.* 11. *cap.* 2. Poſtea feudali poſſeſſioni quædam innexa eſt qualitas naturalis, quam ætas poſterior nunquam ſprevit, nempe *Succeſſio*, non ſimul, neque undique, ſed nunc citius, nunc ſero in Europæ provinciis exorta, quæ Vaſallum cohibebat promiſſam Patrono fidem ſervare, hac nixum ſpe; ● prædiatorium beneficium ad filios, poſt ejus mortem, tranſiret. At, quia fidelitas Patris, non eſt fidelitas filii, ficut & me-

(*a*) Occupato enim jure belli territorio, Victori liberum eſt, illud privatis deſtinare dominiis. Quum naturalis ratio ſuadeat, illi cedere territorium, cujus auſpiciis res geritur. Ziegl. *de Jur. Maieſt. lib.* 1. *cap.* 33. §. 73.

Digitized by Google

merita, & valor; quare *Inveſtituræ*, tam poſt defunctum Vaſallum, quam Regis mor e n, *renovatio* inventa eſt, quæ eſt ſignum reverentiæ, obſequii, atque ſervandæ fidei nota. Hac enim arte Cives perpetua obligationis fide in officio continebant.

Altera naturalis feudorum origo eſt *virtutis præmium*: Cum enim feudalis poſſeſſio belli, & armorum *filia* dici poſſit, merito, qui ſe, & ſua pro Reipubl. & Principis ſalute exponit, præmio cenſendus erit dignus, ut ad fortia facta lubenter excitaretur. Hinc Impp. Romani limitaneis militibus agros prope Imperii limites conceſſerunt ad victum, hac lege, ut eos tuerentur. Quem morem Franci, Longobardi, Carolus M., ceteri Alemaniæ populi imitati ſunt, quos *Marchiones* dixerunt, Ludewig. *lib.* 1. *jur. public. Opuſc. IV. cap.* 11. §. 2., *lib.* 1. dicam, conf. Abbas de Nuce *ad Chron. Leon. Oſtien. lib.* 1. *cap.* 18. Sigon. de *Reg. Ital.* de Caro. M. loquens, inquit, *Regni limites atque oppida Comitibus adminiſtranda commiſit, atque eis omnem publicam, & privatam jurisdictionem mandavit. Limites Marchas vocarunt. Unde Præfecti Marcharum Comites, ac Marchiones dicti.* Vid. Franz. *orat. de orig. feud.* Neque Romani honorum petionem admittebant, niſi ſaltem decennium militaſſent, & ne quis a Militia deterreretur, beneficiis, immunitatibus, & vacationibus a Reipubl. muneribus cumulari oportere putarunt, Bodin. *de Republ. lib.* 5. *cap.* 5.

Quæ ratio Barbaris adeo ſedit, ut non modo prædia, provincias, & præfecturas ſuis militibus largiebantur ſub nexu feudali, ſed & aulica officia, & jura, a quibus tot feudorum genera exorta ſunt. Gentes enim Germaniæ propter ætatis paupertatem, & patrii ſoli deſtitutionem, cum pecunia indigerent, militibus, quorum opera magnos terrarum tractus adquiſiverant, prædia, & Civitates donabant, ut de Turcis, inquit, Soranz. *de Milit. Corp. Turc.* Ubique enim, & ſemper ſcitum illud obtinuit, *Neminem virtutem amplecti, ſi præmia tollantur*, Iuven. *Satir. X.*, *l.* 3. *C. de Tyron. l.* 1. *C. de Agent.*, Plato *lib. IX. de Repub.* S. Aug. *de Civ. Dei lib.* 5. *cap.* 12. *Via virtus eſt, qua nititur tanquam ad poſſeſſionis finem, ideſt ad Gloriam, Honorem, Imperium. Hoc inſitum habuiſſe Romanos, etiam deorum apud illos ædes indicant, quas conjunctiſſimas conſtituerunt Virtutis, & Honoris.*

Altera eſt imperii *Conſervatio*, quæ eſt ſecreta Principis, & pene divina Gubernatio, ad Societatis utilitatem inſtituta, qua devictæ Gentis animum, & Imperii ſui obſequium dulciter ſibi Con-

Conciliat, & conjugit, ad cujus adquiſitionem, Principes, duplici uſi ſunt præſidio, primum eſt *fides*, quam ſubditi tenentur & exhibere; quæ cum ſatis non eſſet, cogitatum eſt de Majori fidelitatis vinculo vetuſtis Populis ignoto, atque a Barbaris invento, quod *Hominium*, *homagium*, ideſt fidelitatem, obſequium, obedientiam Religionis vi compoſitam, atque Vallatam, dixerunt, & qui illud præſtat, *Vaſallus* appellatus. Romani enim, qui Reges, vel Populos ſubjecerant, plerumque tributarios fecerunt, ſed hanc fiduciam, ac ſtrictius jusjurandum, quod a Vaſallo exigitur, neſciverunt. Hinc alia eſt *fides ſubditi*, quam præſtat Principi ratione Imperii, quo Princeps utitur; alia eſt *fides Vaſalli*, quam ſubire tenetur, Feudo a Principe, vel alio, accepto. In Vaſallo duplex erga Principem eſt obligatio, uti ſubditus, & uti Vaſallus, prima æterna eſt, ſecunda tamdiu durat, quamdiu manet feudum. Hinc populis natura ad libertatem pronis, abſque violentia ſub ſpe beneficii inſenſibile ſervitutis jugum impoſuerunt. Imo ſæpe hoc Vaſalli hominium undique perfectum viſum non eſt, idcirco repertum eſt aliud hominum genus, qui *Vaſalli ligii* dicti ſunt, ideſt, qui pro ſalute, & dignitate ſenioris, arma contra *omnes* tenentur capere. Orta hac Duplici in Principis juriſdictione fidelitate, majus Præſidium, major ſecuritas, & Conſervatio adjuncta eſt Principatui, qui non tantum armis, quam fide Militum ſubſtinetur, & prædium a Principe ſubdito conceſſum *feudum* a *fide* dicitur, & Vaſallus *fidelis*. Inventio itaque feudorum, tenaciſſimum militaris diſciplinæ, & Imperii vinculum eſt, conf. Lipſi. *Politic. lib. 5. cap. 9.* Ziegl. *de Jur. Majeſt. lib.* 1. *cap. XXVII. §. 6.*

Quarta eſt Principum *Liberalitas*, quæ magnopere eum commendat; videlicet qua Eccleſias Cathedrales feudis locupletavit, & Milites, vel toga indutis prædia, Civitates, atque Oppida ſub fidei, non cujuslibet, ſed feudalis, liberaliter conceſſit, ideo feudum vocatur *beneficium*, quod eſt, quaſi *auctoramentum*, quum beneficiarios ſibi creat milites ſub conditione militaris operæ; quæ antiqua fuit Principum voluntas, licet deinde aliæ ſervitiorum ſpecies inventæ. Hinc feudum natura ſua eſt militare, & olim ſolis Nobilibus, qui militare tantum poterant, datum, Hotom. *Diſp. feud.* 1. Franc. Roye *lib.* 11. *de Jurib. Honor. Eccl. cap. XI.*, Ut ex ejus fructibus ſe, & Milites pro Domini Servitio

Digitized by Google

vitio alerent II. *f.* 52. (*b*) Ex hac itaque Principum liberalitate nata ſunt, lucrum, & dignitas in Vaſallo, & in Principe Militare ſervitium, Comitatus, & Splendor, quibus in bello opus eſt, conf. Buleng. *In Append. de off. Reg. Gall. tit. de feudis*.

Quinta eſt Poteſtatis *Redintegratio*: Dum enim Provinciæ, vel Civitatis Dux nolit Principem recognoſcere, ſed regale exercere Imperium, cui ipſemet Princeps nequit obniti, jure feudi ſaltem inveſtit. In Univerſa fere Germania, Duces, Comites, Marchiones, atque Epiſcopi, qui civitatum curas tenebant, tanta utebantur poteſtate, ut omnia Imperatoris jura uſurpaverint, ut ex Alteſer. *de Ducib. lib.* II. *tot. conſtat*, Conrig. *Exerc. IV.* dicam *lib.* I. Quare decretum fuit, ut præter dignitatem, & adminiſtrationem, etiam jus ſuperioritatis his concederetur, non Dominii, ſed jure feudi, ne ob omni Imperio ſe eximerent. *Et eſt ſane hoc etiam nunc Imperii quoddam retinaculum, ut quas provincias avelli ſibi, & conſervari amplius non poſſe perſentiſcit, feudi jure eas extraneis largiatur, cum ſatius ſit, imbecilliore aliquo largiatur, quam omnino nullo vinculo eas retinere*, recte, inquit Ziegl. *de Jur. Majeſt. lib.* I. *cap. XXVIII.* §. 7.

Ex quibus duo colligi datum eſt, (1) reperta hac clientelæ ratione, nova Nobilitas majoribus ignota, inducta fuit, quæ inveſtituræ feudalis collatione adquiritur, ex juribus præſertim rei inhærentibus. (2) Orta & nova rerum diviſio, in *Proprias*, & *Fiſcales*. Propriæ dicebantur, quæ nullius juri obnoxiæ erant, ſed jure optimo poſſidebantur. Fiſcales, quæ a Rege, vel ab aliis ita concedebantur, ut certis legibus, & ſervitiis tenerentur Bigno. *ad Marculf. lib.* I. *cap.* 2. dicam *lib.* II.

§. XV.

(*b*) Hinc Turcæ feudum vocant Timar, ſeu *honorarium prædiorum fructum*. Quæ Timarra ſunt veluti Commendæ, quas ea lege dant, *ut aliquot equos in belli uſus paratos alant*, teſte Soranz. *de Cop. Milit. Turc.* feudum enim proprie eſt ſtipendium, improprie prædium, Abbas de Nuce ad *lib.* 4. *Leo. Oſtien. cap. CXVII.*

Digitized by Google

§. XV.

De uſu, atque Auctoritate juris feudalis.

HÆc juris feudalis Rapſodia nunquam ab Imperatore, vel Frideri. I., vel II., aliove fuit adprobata, præſertim cum leges tunc conderentur, non ſolius Imperatoris auctoritate, ſed conſenſu Primatum, & judicum Regni, ut Ottho. II. Henricus II. Lothar. II. ceteri, Sicut & in Alemannia, & Francia etiam moris erat, vid. Murat. *diſſert. XII.* At, etſi expreſſus Principum conſenſus non adfuerit, nihilominus tacitus non defuit; dum coram eis, in judiciis, in foro, atque Academiis hujuſmodi Conſuetudines fuerint receptæ. Hinc hodie vim legis *habent*, etiam ex temporis lapſu, cujus memoria non eſt; obligantque laicos, & Eccleſiaſticos. Pontificum vero feudales decretales tantam vim vindicant, quantam & jus Canonicum, Struv. *ſ. j. f. cap.* I. *A.* 7. *Roſent. cap.* I. 9. *Gipban. diſp.* II. *jur. feud. n.* 70.

Capp. vero Extraordinaria, quæ poſt II. *f.* 58. referuntur, aliquam in Cauſſis dubiis feudorum habent auctoritatem, quæ ab hac Rapſodia deciſæ non ſunt, & ad declarandos juris feudalis textus non parum valent; quum etiam ex moribus Longobardorum deſumta præſumantur, licet in Academiis non cognita. Non placet itaque *Cuja. ad* 4. *f.* 73. qui eandem his tribuit auctoritatem, quam feudorum Conſuetudinibus. Recte igitur Chriſtin. ad Conſuetud. feud. in præfat. inquit, *Apud omnes enim Europæ populos feudis nihil frequentius, nec de his leviores, aut pauciores, quam de allodiis controverſiæ oriuntur.* In Germania hodie *Opes Procerum abſoluunt feudi clientelares. Quæ allodialia, ſeu Civium ſunt propria, vel in ancipitis fortunæ nominibus verſantur, vel in Crepundiis, vel in ædificiis, vel Villis rerum vacuis, vel in agrorum aliquot jugeribus, cenſuum, ac tributorum onere, ita Exhauſtis, ut vix aliud poſſeſſori relinquant, quam operas, & ſervitutem*, teſtatur Ludew. *lib.* II. *feud. Opuſc. III. in proem. not.* [*ff*] Quamvis hæc juris Collectio ali-

quibus provinciis ſero, nonnullis citius cognata fuerit; (c) quæ moribus inter ſe variis ante vivebant, & ſæpe jure ſcripto, ſed brevi.

§. XVI.

De uſu, & auctoritate juris feudalis in Regno Neapolitano, & Siculo.

ALtius vero repetendum, quomodo juris hæc Collectio in Neapolis, Siculoque Regno ceperit cognoſci. Longobardi Italia, & noſtris Regionibus potiti, prius jure non ſcripto viventes, deinde, acceptis legibus, a Rothari ſeptimo in Italia Rege, A. DCXLIV. Vel ut aliis DCXLIII. Italos iiſdem rexerunt, quæ tantam adquiſiverunt auctoritatem, præſertim apud nos, ut *jus Commune, jus dominans* diceretur, neque jus Romanum ſervabatur, niſi deficiente Longobardo, quod in judiciis, in contractibus, teſtamentis, ceteriſque conventionibus locum habebat, unde *Carolus de Tocco* prope Beneventum, qui ſub Guliel. I. A. C. MCLXII. M. Curiæ judex creatus, primus Gloſſis illuſtravit. (d) Sub Svevis *Andr. Bonellus ſeu de Barulo* compoſuit opuſculum de Differentiis juris Romani, & Longobar-

---

(c) Ante ſeculum XII. in Germaniæ feudis vigebant mores & conſuetudines; ſeculo XII. ibi receptum fuit jus Longob., ut exemplis probat Baſtinell. *differ. de Præjud. Princ. ex ab uſu jur. feud. Longob.* Quare non aſſentior qui ſecul. XV. inquit fuiſſe in Germ. cognitum. In Saxonia ſeculo XVI. Hodie adorant uti idolum.

(d) Carolus de Tocco magnus Ictus non modo apud nos, ſed & apud exteros æſtimatus fuit, quique Bononiæ Placentinum, Joannem, Bagarottum, & Ottonem Papienſem Irnerii diſcipulos audivit, ut ſæpe ipſemet in Commentariis ad LL. Longob. fatetur.

Digitized by Google

gobardi. (e) *Blaſius Morcone*, ſub Roberto etiam aliqua de his legibus, interpretatus eſt: Denique ſub Carolo V. A. MDXXXVIII. Joa. Bapt. Nenna Iċtus Barenſis librum edidit, in quo obſcuriores legum hujuſmodi voces declaravit, P. Jann. *Hiſt. Div. R. N. lib. X. cap.* 11. §. 1.

Quamvis enim Longobardorum Regnum in Italia imperium a Carolo M. fuerit extinċtum, tamen eorum leges integras reliquit, aliaſque, ſicut & Pipinus, Ludovicus, Ottho, Conradus, ceteri, adjunxerunt, quas compilator juris Longobardici in unum volumen coegit. Neque Nortmanni, Svevi, Andegavenſes & qui ſunt, contempſerunt, ſed ab his plurima accepiſſe nemo negat. (f)

Neque dumtaxat apud nos jus Longobard. de *allodiis* ſervatum fuit, ſed etiam de *feudis*, quæ ante adventum Nortmannorum dividua erant; donec Nortmanni jus francorum, quo *ſolus natu* major admittitur, inducerent. Hujuſmodi Franci, quos magnopere Nortmanni dilexerunt, feudis, & magnis territoriis locupletarunt, in regno propriis moribus, quos a Francia

---

(e) In quo omnes, ut ipſe, inquit, differentias juris Longobardici, & Romani collegit, ne Advocatis magnopere juri Romano vacantibus occaſio daretur errandi, qui propter juris Longobardi ignorantiam, Cauſſa cadebant. *Vidi enim ſæpe magnos Advocatos in jure Romano valde expertes, verecumdatos a minimis advocatis jus Longobardorum ſcientibus*, ait de Barolo *loc. cit. in præfat.* ubi exemplum refert cujuſdam magni Advocati, qui ob imperitiam illius juris viċtus, & confuſus ab Advocatello Longob. callente.

(f) Patet ex Conſt. *puritatem lib.* 1. 63. in qua Willel. I. jubet, jus dicendum (1) ſecundum Regni Conſtitutiones, (2) juxta adprobatas conſuetudines, (3) ſecundum jus Longobardum, quam *commune* appellat, & Romanum. Frid. in Conſt. *proſequentes lib.* 11. 32. de Baronibus loquens, inquit, *Ii qui franci non ſunt, ſed communi jure utuntur.* De hoc jure meminit etiam in Conſt. *duram, & diram lib.* 1. 48., Conſtit. *violentias lib.* 1. 25. Conſt. in *aliquibus lib.* 3. 26. Sub Carolo I. & II. eadem fere erat hujus juris auċtoritas, teſte Gloſſographo in

cia adduxerant, vivebant, ut ex Conſt. *Monomachiam lib.* 11. 33. Conſt. *Speciale lib.* 11. 17. Conſt. *Ut de Succeſſionibus lib.* 3. 27. d. Conſt. *proſequentes*, liquet (g) Hinc omnes feudatarii erant, vel Franci, aut Longobardi: Franci jure *primogenituræ*, Longobardi *æqualitatis* in feudorum Succeſſione utebantur, neque feudales cauſſas, ſucceſſiones, inveſtituras, & felonias jure ſcripto, ſed conſuetudine decidere moris erat; donec Roger. I. & in allodiis, & in feudis novas primum Longobardorum legibus conſtitutiones addiderit.

Neque collectio juris feudalis innotuit apud nos, niſi dum Gulielmus Conſtantiam amitam nuptui tradidit Henrico Germaniæ Regi, Friderici filio, ut poſſet poſt mortem ſuam, in regno ſibi ſuccedere, & omne cum R. Imperatoribus, de regno diſſidium ceſſaret. Barones tamen imperium Henrici exoſi, *Tancredum* elegerunt. Qua de re veroſimile eſt, hos uſus feudales noſtris non innotuiſſe, niſi poſtquam Henricus Germanis, & Lombardis ſtipatus, expulſis Nortmannis, A. MCXCIV. regno potitus eſt. Nullam tamen hæc Collectio vim legis habuit, ne ſub Frider. quidem II. qui conſtitutiones Regni condidit, neque unquam hos libros adprobavit. Satis enim noſtro regno conſultum erat, legibus feudalibus Nortmannorum, & Svevorum, nihilque deſiderari poterat, quum ſucceſſio, inveſtitura, felonia, Baronum auctoritas, aliaque, ut ſupra dictum eſt, ſtatuta fuiſſent. At ſi deficeret jus noſtrum municipale, tunc vim ſuam hujuſmodi uſus habebant, ut ex Gloſſogr. in Conſt. ut de *Succeſſio-*

---

in proem. *Conſtit.* & in Conſt. *Ut Univerſis lib.* 1. 47. Conſ. Franc. de *Andr. diſput. feud. cap.* 11. §. 5. Sub Aragonenſibus vero, plurimum hujus regni legibus auctis, cedere jus Longobardicum opus fuit. Ex his Conſtat duplex jus in Regno à Normannis ad Andegavenſes viguiſſe, *Longobardicum*, quo præſertim Proceres, & Barones vivebant, & *Conſtitutiones* noſtrorum Regum.

(g) Noſter Rogerius cum adquirenda Apulia, & Sicilia plurimum virtute francorum uſus eſt, quibus Baronias, & feuda idcirco conceſſit; imo Guliel. II. francum ſui regni Cancellarium creavit, teſte Falcando, Franc. *de Andr. loc. cit.* §. 6.

Digitized by Google

teſſionibus lib. 3. 27. ver. injuriam nullus.

Dicunt aliqui, quod liber ille de uſibus feudorum, non obtineat in regno Siciliæ. Nam ſi bene inſpicias quæcumque per Regni Conſtitutionem circa feuda, & Vaſallos dicuntur, ſicut eſt de feudis non minuendis, vel diſtrahendis, de Dominis aſſecurandis, de felonia, ex Guardio, & aliis multis ab inde proceſſerunt, licet ſuper his Conſtitutiones regni, in nonnullis addant articulis, & immutent. Illa etiam conſuetudo in Regno hactenus obtinens, ut filiæ non ſuccederent in feudis, quæ tollitur, ſupra proxim. in aliquibus &c. erat de illa colla. 10. *de Uſi. feud. in* 1. *f.* 1. 5. *hoc autem &c.* Igitur primo Conſtitutiones Regni, deinde conſuetudines Longobardorum, deficiente jure municipali ab A. MCCXXXI. quo Conſtitutionum collectio facta eſt, obſervari apud nos cæperunt. Sub Andega. Aragon., ceteris ad noſtra uſque tempora tantam adquiſiverunt auctoritatem, adeo certatim Icti, atque Advocati hujus regni ſcriptis illuſtrarunt, ut nulla inventa adhuc eſt Gens, quæ tot peperit feudiſtas, vel vicit, quam Regnum Neap. Nec mirum: quum apud nos infinita propemodum ſit Baronum multitudo; nec ulla glebæ pars, nec jura fere omnia Regis ſint, quæ ſub feudali nexu non jaceant, & obediant. Quippe ſicut Scævola, cum de jure prædiatorio conſuleretur, ſuos Conſultores mittebat ad Furium, & Caſcellium prædiatores; ita ad Prudentes, alii jure clientelari conſulti, hujus regni mittere debent.

Animadvertendum tamen eſt, in applicatione feudalis juriſprudentiæ has regulas ſectandas: (1) Inſpicienda eſt inveſtituræ forma 1. *f.* 1. 11. *f.* 2. §. 1. ll. *f.* 18. & 48. pacta, leges, & verba: (2) jus particulare ſeu loci Conſuetudo: (3) jus commune feudorum arg. 11. *f.* 1. (4) lex Civilis, vel Canonica 11. *f.* 1. (5) ſimilitudo, quam feudum cum aliis contractibus habet, *l.* 32. *D. de ll.* Quintil. in declamationibus, *Si quid damnatione, ſi quid ultione dignum non habet lex manifeſta, debet judex ſequi juri proximum.* Aggen. de limit. Agro. *Si loci natura permittit, ſervari rationem oportet, ſin autem rationi proximum*: (6) communis Interpp. opinio rationi innixta. *vid. Ziegl. de jurib. Majeſt. lib.* 1. *cap.* 6. Chriſtin. ad *Conſuetud. feud. deci.* 1. *n.* 4. 5. 6. Struv. *S. J. F. Cap.* 1. *A.* 8. & *ſeqq.* Addo & ego *inſpectionem* naturæ feudi, non modo ſi quæſtio eſt de feudis unius

Re-

Digitized by Google

Regni, vel provinciæ, ſed etiam diverſarum; ita Chriſt. Baſtineller. *diſſer. de Prejud. Princip. ex Abuſu jur. feud. Longob.* §. *6. & ſeqq.* ubi probat leges feudales Italiæ, non poſſe applicari feudis Germaniæ.

Ex his, quæ de feudali, & Politica Hiſtoria enucleata ſunt, colligere datum eſt, hanc nobiliſſimam juris artem Majoribus ignotam, in Barbarorum armis, & incurſionibus ortam tantum eſſe; qui inter ruinas, jura reliquerunt; Recte Plin. in Panegys. *Habet has vices Conditio Mortalium, ut adverſa ex ſecundis, ex adverſis ſecunda naſcantur. Occultat utrorumque ſemina Deus, & plerumque bonorum, malorumque Cauſſa ſub diverſa ſpecie latent.*

Et merito præ ceteris juris partibus præſtantior exiſtimanda, quæ *non de Stillicidiis, Cloacis, glande legenda, aliiſque minutiis, ſed de Imperiis, Regnis, ducatibus, marchionatibus, Comitatibus, Baroniis Nobilibus, Territoriis, & diſtrictibus eorumque ſingulorum* inquit Chriſtin. *loc. cit. in præfat.*

§. XVII.

De Interpretibus juris feudalis.

STatim ac illa juris feudalis Rapſodia prodiit, meruit Interpp.; quorum aliqui gloſſas, alii ſummas, alii Commentaria ediderunt. Inter Gloſſographos recenſentur *Bulgarus* & *Pileus*, ſub Frid. I. Bulgarius dicitur fuiſſe Bononienſis, docuit tamen Bononiæ jus civile, & feudale, atque ob eloquentiam *os aureum* dixerunt. Sepe a Friderico ad decidenda Imperii jura accerſitus; præerat Bononiæ Cauſſis Appellationum; ejuſque reſponſa ob æquitatem in Italia in vim legis tranſierunt. (*b*) *Pileus* a Modæcia

(*b*) Sicut eſt illa vetuſtas praxis, de qua Pancir. de Clar. Interpp. *lib.* 11. *cap.* 15. *Inter illa preclarum hoc ejus decretum fuit, ut uxori, quam maritus in teſtamento bonorum*

dæcia Mediol. agri Caſtro A MCLXX. Bononiæ docuit. Eadem ætate floruit *Rogerius* ſummas ſcripſit XX. chartis tantum conſtantem. *Columbinus* poſt hos edidit Gloſſas, ſed *tanta eruditione*, inquit Pancir., ut nemo poſt eum quicquam addere auſus fuerit. *Jac. de Ardizone* Veronenſis, diſcipulus Azonis, qui A. MCC. obiit, teſte Franc. de Andr. *diſp. feud. cap.* 3. §. 1. *n.* 5. deinde ab Hugolino Presbytero eruditus, ut ipſemet fatetur in *ſum. cap.* 1., ſcripſit ſummam in CLII. Capp., Opus quidem eximium, cui nihil deeſſe videtur.

Inter Commentatores ſunt *jac. de Belviſio*, qui Bononiæ docuit A. MCCCXX., vixit ævo Joa. Andreæ, & mutuo ſe laudant; Neapoli deinde jus feudale interpretatus eſt, fuit Conſiliarius Regis Roberti, octies legit libros feudorum, ut ipſemet teſtis eſt in 1. *f.* 1. cumque Piſtor in *lib.* 11. *QQ.* 1. *n.* 82. vocat Interpretem *maximæ auctoritatis*.

Andreas Rampinus Eſernitanus vulgo *Iſernia*, floruit ſub Joanna I., Roberto, & Carolo II. Major dignitate, ſed maximus ſcientia juris Romani, & feudalis; a feudiſtis merito vocatus *Monarcha*, *Evangeliſta*, *Auriga*, *Theologus maximus*, *excelſus juris Doctor*. In Regno Caroli II. fuit Advocatus fiſcalis; poſtea Judex M. C., deinde Magiſter Cam. Ratio., quod munus etiam ſub Roberto exercuit. Sub Joanna I. Conſiliarii, & Locumtenentis dignitatem occupavit. Scripſit ſuper feudis ſub finem regni Caroli II. Sub Roberto compoſuit commentaria ſuper Conſtit. Regni A. MCCCXXIII. Aemulum habuit Baldum, Bartoli diſcipulum, cum quo congreſſus eſt, ſed Baldus confuſus abſceſſit, atque in ſenili idcirco ætate de feudis ſcripſit, Lipar. in *Vita Andr.*, Franc. de Andr. *in diſp. feud. cap.* 1. §. 6.

A Baldo ſæpe arguitur inconſtantiæ; ſed Lipar., de Andr. & Janno. recte arcanum noſtri Andreæ aperuerunt: Nam Rex Ro-

H ber-

---

norum dominam, & fructuariam eſſe voluit, ſtantibus filiis, ex conjecta mente defuncti, alimenta tantum debeantur, quod cum jure inductum non ſit, in Curia tamen Bulgari obtinuit, & ubique in Italia obſervatur.

Digitized by Google

bertus, cum honores, & dignitates Bartholomæo de Capua conferret, atque Andream de Capua æmulum fere contemneret, qui Magiſtri Ration. munus, in quo ſub illo Rege vixit, tantum ſuſtinuit, ideo de Regaliis male ſenſit, dum Conſtitutiones Regni ſub eo interpretatus eſt: at dum de feudis ſcripſit, regnante Carolo II., Regalium jurium extitit Defenſor; quem appellat *Carolum II. inclytum Regem*, *Carolum I. Magnum Regem Divæ memoriæ*. In notis Conſtitutionum de Roberto non meminit, *etiam cum non tantum occaſio*, *ſed neceſſitas fuiſſet illius mentionem faciendi*, inquit de Andr. *loc. cit. n.* 34. Et cum in Conſt. *Statuimus lib.* 1. 38. nominare voluerit, *inglorioſum* relinquit. Denique hujuſmodi feudiſta tantæ apud nos, & Exteros eſt auctoritatis, ut ejus opinio fere vim legis obtineat. Quum nemini dubium ſit; majorem nos a ſuis feudalibus Commentariis ſcientiam excipere, quam ab ipſa feudali Farragine; licet eum de obſcuritate accuſet Alverotus. Obiit A. MCCCLIII. interfectus a Barone Theutonico, contra quem jus dixit.

Jacobus Alvero. Patavinus, Auditor Saliceti in jure Civili, & Zabarellæ in jure Canonico, doctiſſimas Interpretationes Academiæ Patavinæ dicatas ſuper feudis nobis reliquit, qui ceteros doctrina, & claritate antecellit. Obiit A. MCCCCLIII. ætatis ſuæ LXVIII. *Matthæus de Afflictis* Neapolitanus, magnus, feudorum Interpres in noſtro Gymnaſio, perpetuum Sacri Conſilii Decus, & omnium noſtrorum, quot quot ante, & poſt ipſum ſcripſerunt procul dubio doctiſſimus, ut teſte Franc. de Andr. *diſp. feud. cap.* 1. §. 8. *n.* 42. Sub Rege Ferdinando I. ſuper feudis ſcripſit, ſimul cum Andreæ Commentariis A. MCCCCLXXV. ætatis ſuæ XXXII., abſolvit An. MCCCCLXXX. Obiit An. MDXXIII., prope An. LXXX. ætatis ſuæ, vid. P. Janno. Hiſt. *Jur. Civil. lib. XXVIII. cap.* 5., Pancir. de *Clar. Leg. Interpp. lib.* 11. *cap.* 108. Judicium Franc. de Andr. *loc. cit. n.* 44. eſt, *Inter omnes, qui poſt Afflictum integra Commentaria in feuda edidere, pauci ſunt, qui cum illo poſſint comparari; qui præferi, certe nullus*.

Bartholo. Camerarius, Beneventanus magnus feudorum Interpres, triennio ſuper Andreæ Commentariis laboravit, XVI. horis ſtudio vacans, ut ipſe, inquit, & idcirco oculum amiſit. In noſtro Gymnaſio XXIV. an. feudorum libros enucleavit ſicut ipſemet fatetur in ſuo Reſponſo, *Annis vigintiquatuor publice*

con-

conductus & magna cum mercede Neapoli, ubi feuda vigent, librum feudorum legi, ubi (notum eſt) etiam Doctores togati jam me audire veniebant, ubi ſæpe doctiſſimum Conſilium juſtitiæ libros meos audire voluit &c. Natus An. MCDXCVII. fuit Præſes R. Cameræ, deinde a Carolo V. ejuſdem Cameræ creatus Locumtenens. Defecit tamen a ſuo Cæſare, francorum amore captus, Petro Toleto Suſpectus evaſit; quare, proſcriptis ſuis bonis, Pariſienſem adiit Civitatem, poſtea Romam petiit, a Paulo IV. Cæſaris hoſte comiter exceptus. Scripſit in II. *f.* 55. in I. *f.* 8. 24. 25. in II. *f.* 33. 32. 45. & 50. In Theologia, de Purgatorio, Prædeſtinatione, Jejunio, libero arbitrio, & eleemoſyna. Obiit A. MDLXIV. vid. Bilocta *in ejus vita*, Franc. de Andr. *loc. cit. cap.* I. §. II. H. Piſto. QQ. *lib.* II. I. 5. 59.

Præter hos magni nominis feudiſtas, recenſentur & Franc. Curtius Senior Mediola; diſcipulum habuit Albertum Brunum, abiit A. MCCCCXCV. Franc. Curtius Junior, Senioris ex Sorore nepos, Ticini & docuit, & de feudis ſcripſit. Ulri. Zaſius Magnus Germaniæ Ictus, & Feudiſta, obiit A. MDCCCV. Franc. Sonsbec., Thomas de Marinis Capuanus, Marinus Freccia Neapol. Patritius. Franc. Hotom. perpetuus Feudiſtæ Cenſor, qui, cum legum Romanarum imbutus eſſet Caodore, barbariem in libris feudorum viſus eſt videre. Guliel. Hannetonius, Camil. de Curte, Cumia Siculus, ſicut & P. de Grego., noſter Montanus. H. Piſtor in ſuis aureis QQ. ad jus feudale ſpectantibus; Huber. Giphan. in Ant. jur. feud. & Tract., Matth. Weſenb. Paris de Puteo Ferdinandi I. Magiſter. H. Roſenta. potius lectione, quam acumine Clarus, in ſuis duobus Voluminibus de Cauſſis feudi amittendi, judiciis, & Alienationibus præclara nobis reliquit. Ludolph. Scrader. in ejus opere primas tenent, quæ de Paribus Curiæ, tutelis, atque Alienationibus dixit. Georg. Adam Struvi. in eruditis Syntagm. jur. feud., aliique Sexcenti. At nulla Ditio tot peperit Feudiſtas, quam Parthenopæa, qui & Reſponſis, & Commentariis ceteros erudierunt; Nam in hoc Regno nullus eſt Terræ Tractus, cui Baronia non ſit annexa; quare cottidianæ, vel de Succeſſione, aſſenſu, adoha, Relevio, aſſecurationibus, vel Baronum juribus, ceteris controverſiæ oriuntur. His itaque aſſiduis Ictorum Interpretationibus magnopere jus clientelare auctum eſt; a quibus, fateor, me plura didiciſſe, quem ab ipſiſmet feudorum Auctoribus.

C A P. VI.

DE DIVISIONE FEUDORUM.

§. XVIII.

De Origine, & ratione Diviſionis:

ENucleata feudorum definitione, atque Origine ſupereſt diviſio, quæ quidem a Feudiſtis, iratis Logicæ legibus, concepta eſt, quum non in ſpecies inter ſe ſeparatas, ſed in accidentia potius fuerit diſcerpta. Tunc non eſt *dividere* ſed *frangere*, inquit, Tull. de fin. *lib.* 11. *cap.* 9. & Seneca Epiſt. XC. *Idem enim vitii habet nimia, quod nulla diviſio: Simile confuſio eſt, quicquid in pulverem ſectum eſt*. Quemadmodum dividere Hominem in urbanum, atque agreſtem, Doctum, atque ignarum, magnum, & parvum. Quippe nequit dici diviſio, ſed partitio: Nam diviſio eſt Generis in ſpecies per differentias contrarias, ac oppoſitas.

Recepta nihilominus eſt diviſio feudorum in *Propria*, atque *Impropria*. Propria vocantur, quæ eſſentiam, naturam, & accidentia habent. Nam ſi ab aſſentia deflectunt, non naſcitur feudum, ſed quid aliud: ſi a natura divertunt, impropria evadunt; Si accidentia mutantur, quia hæc naturam, & rerum eſſentias non lædunt, ideo feudum remanet proprium. Beck. *diſſert. de feud. fæmi.* §. 9. 10. & 13. Siegel *diſſert. de feud. fæmin.* §. 2. & 3. Boehmer. *diſſert. de feud. eccl. cap.* 11. §. 9. Hæc diviſio, ſi Rationis libertati locus dandus eſſet, inſulſe videtur conflata, quia non eſt generis æquivoci, in ſua æquivocata, ut Schola loquitur. Ita in phyſicis homo vivus, & Homo pictus: in ethicis verum bonum, & bonum apparens: in jure teſtamentum falſum, & verum. Homo pictus, nec nomen, nec eſſentiam, ſicut & bonum apparens, & teſtamentum falſum, habent.

Adhuc tamen hodie in hac diſtinctione ſubſiſtimus; & Feudiſtæ in ſeparatione feudi proprii, & improprii, ad duplicem Clientelæ perfectionem, eſſentialem nempe, & integratem reſpexerunt. Illud, cui utraque perfectio inhæret, dixerunt *proprium,*

ſim-

ſimplex, rectum; quod autem eſſentialem haberet, & integrali deficeret, appellarunt *improprium, imperfectum, irregulare*. Quemadmodum Homo integer, & Homo mutilatus; Feudum enim poteſt in uno a perfectione Clientelari diſcedere, in reliquis eam ſectari, Thom. Ludewig. *diſſert. de feudis Improp.* §. 8. Animadvertendum tamen eſt, hanc feudorum perfectionem non jam a primæva eorum origine proficiſci, ſed a natura noviter efformata, videlicet, dum tractu temporis Succeſſionem impetrarunt, & in univerſum adeo nova forma eis annexa eſt, ut ita noviter effigiata propriam rationem adquiſivit; atque hodie illa feuda, quæ morte Vaſalli expirant, ad impropria referuntur, Boehm. *loc. cit.* Antiquitus enim pauca erant feuda impropria, ſed, cum ſucceſſio, ſervitii ſpecies, & id genus adjuncta ſint, ſi ab iſtis declinant, impropria cenſentur.

Origo hujus Diviſionis ex tribus manet Fontibus, (1) ex Inveſtiturarum Pactis, (2) Indigentia, (3) Conſuetudine. Diverſa enim Inveſtiturarum verba, pacta, & conditiones, diverſas, & ſeparatas feudorum ſpecies conſtituunt; idcirco Inveſtituræ tenor omni feudi natura potentior eſt, magiſque inſpiciendus, quam ipſamet generalis feudi natura, H. Piſtor *lib.* 11. *QQ.* 1. *n.* 5. Indigentia, quoniam, quum ſatis non eſſent prædia, vel ruſtica, vel urbana militibus jure fidelitatis concedenda, Principum Liberalitas ſuper pecunia, annuis reditibus, nominibus, aliiſque juribus cepit conſtituere; hinc feudum *Cameræ, Canevæ, Soldatæ,* & ſimilia. Conſuetudo, quæ eſt fæcundiſſima feudorum mater, cui, etſi ratio non ſuffragatur, modo abſit peccatum, valet. Jus enim feudale, antequam litteris mandaretur, inconſtans erat; & quot Nationes, quot Regna, quot provinciæ, quot urbes, tot fere feudorum genera videbantur, Nicol. Zaepffel. *diſſer. de orig. feud. oblat. &c.* 41. Neque id mirum, *cum natura novas deproperat edere formas* 11. *f.* 24.

Ad feuda propria, exploſis aliorum diviſionibus, pertinent, feudum novum, & antiquum, nobile, & ignobile, Regale, & non Regale, Eccleſiaſticum, & Seculare, ligium, & non ligium, emptitium, & maſculinum, Curtis, & extra curtem, oblatum. Inter impropria recenſetur feudum pecuniarium, pignoratitium, francum, fæmininum, Guardiæ, & Gaſtaldiæ, Soldatæ, & Cenſuale, Cameræ, & Cavenæ, habitationis, & Juriſdictionis, Advocatiæ, hereditarium, & ex pacto, & providentia, & nonnullæ ſpecies.

CAP.

C A P. VII.

DE FEUDIS PROPRIIS.

§. XIX.

De feudo novo, atque antiquo.

PRima hæc feudorum Diviſio ab *acquiſitionis* ratione concepta eſt, II. *f.* 3. II. *f.* 12. 15. & 94. cujus uſus in alienatione, Succeſſione, atque amiſſione plurimi exiſtimatur. Feudum itaque novum eſt, *quod a primo Aquirente initium habuit, & adhuc Succeſſione ad alios non pervenit*; Finge: Sejus primum de feudo Sabiniano inveſtitus eſt, quamdiu ex Sej perſona ulterius non ſit propagatum, etſi centum apud eum annis reſideat, novum ſemper appellatur, II. *f.* 32. II. *f.* 15. & 18. Giphan. *Jur. feud. diſput.* II. *n.* 115., Welenbec. *de feud. cap.* II. *n.* 6.

Feudum Antiquum eſt, *quod a perſona primi Adquirentis ad ejus Deſcendentes tranſiit*, hoc eſt; quod primo ab uno ex majoribus noſtris, qui communis agnationis fuerit caput, adquiſitum eſt I. *f.* 8. §. I. II. *f.* 2. Male Interpp. diſtinguunt feudum paternum ab antiquo: & paternum illud vocant, quod a Patre, vel aliquo aſcendentium ad quartum uſque gradum *incluſive* fuit obtentum; antiquum vero dicunt, quod ab aliquo Aſcendente ultra quartum Gradum ſit quæſitum. Nam in jure feudali voces *paternum antiquum*, ſive *vetus* ponuntur ad differentiam feudi novi II. *f.* 3. II. *f.* 32. atque uſus earum promiſcuus eſt.

Præterea vox *Paternum* ſtricte oſtendit illud feudum, quod a Patre, vel aliquo ad quartum uſque gradum deſcendit; large continet, quod ab avo, proavo, abavo, atavo, uſque ad tritavum, ultra quem vocantur *Majores*, ſeu *Superiores*, (i) *l.* I. *D.* de

---

(i) Servi. *lib.* VIII. Aen. *Minores non dicamus, niſi quoties graduum deficit nomen, ut puta filius, nepos, pronepos, abnepos, adnepos,*

Digitized by Google

de V. S., ſive ſint mares, ſive Feminæ. At ſemper paternum dicitur, nec ſpeciem mutat, nec nomen, quod *Commune, & cum Patre eſt, & cum omnibus, quos hæc neceſſitudo conjugit*, inquit Donat. in *Teren. Hecyra.* Parentes enim in jure Cano. *cap. xxvii. de Sponſal.*, in jure Civili *l.* 4. §. 2. *D. de in jus Vocand.* in media ætate, Marculf. *lib.* II. *cap.* 14. in jure feudali, I. *f.* 24. II. *f.* 33. II. *f.* 50. *ibi, uſque in infinitum ſi feudum ſit paternum: paternum autem voco quicumque ex Superioribus id adquiſivit*, ſumuntur pro quibuſcumque propinquis, vel conſanguinitate junctis. Igitur ſtatim ac feudum tranſiit ad Succeſſorem, induit naturam feudi antiqui, ſive Paterni, H. Piſtor *lib.* II. *QQ. v. n.* 3. Hanneto. *lib.* I. *cap.* 3., Sonsbec. *P.* III. *n.* 4. Tho. de Marin. *de feud. ex P. & P. tit.* 3., Struv. S. J. F. *cap.* 3. *A.* 2. *n.* I.

§. XX.

De mutatione feudi novi, atque Antiqui.

HÆc feudi novi, atque antiqui *qualitas* non adeo adfixa eſt, ut nullo pacto, vel lege mutari valeat; ſæpe enim feudum novum tranſit in paternum, & viciſſim; idque tribus potiſſimum contingit modis, *Voluntate, refutatione*, & *felonia*. Volumtate videlicet Inveſtientis; finge: ſi Princeps, vel qui jure infeudare poteſt, inveſtit Mævium de feudo novo, ſed nomine antiqui, tunc receptum eſt, in hac novi feudi inveſtitura, omnes feudi antiqui relucere qualitates, non aliter, ac ſi ab aliquo ex Majoribus Mævii profectum, adquiſitumque eſſet, quum univerſa feudalis machina inveſtientium pactis nitatur, quæque capax eſt novas feudorum ſpecies gignendi, Andr. *in* II. *f.* 16. *n.* II., Alver. *in* II. *f.* 14. *n.* 3., Curt. *P.* I. *quæſt.* 8. *n.* 8. *& ſeqq.* vid. Scrad. *P.* II. *cap.* 3. *n.* 64., quia quiſque rei ſuæ legem dicit, quam vult *l.* 21. *C. Mand.*

Hinc

---

pos, ubi iſti gradus defecerint, merito jam dicimus minores: Sicut etiam majores dicimus, poſt patris, aut, proavi, abavi, atavique vocabulum.

Hinc patet, Prælatum Eccleſiæ, non poſſe feudum novum jure antiqui concedere, quia non eſt bonorum Eccleſiæ Dominus, non moderator, niſi adſint ſolemnitates, quæ in rerum Eccleſiæ alienatione requiruntur; etiamſi feudum illud ſit ſolitum concedi, quum damnum inferatur Eccleſiæ, Jac. a S. Georg. *de feudis* §. *feudum*, Curt. *loc. cit.*, Struv. *Obſer. feud. cap.* 111. 3. Nam non tam cito ad Eccleſiam devolveretur, quum per tot gradus tranſire deberet; & Prælato meliorem inſtar Vaſalli, & Fructuarii, conditionem Eccleſiæ, non deteriorem facere datum eſt.

Quamvis autem feudum novum ſola Inveſtientis Voluntate, & pacto poſſit in antiquum migrare, tamen non poteſt feudum antiquum in novum mutari, *quia ſi feudum antiquum efficeretur novum, fieret præjudicium agnatis transverſalibus, qui non Succederent in feudo novo*, inquit, Curt. *loc. cit. n.* 11., niſi omnes agnati conſenſiant, vel ratum habeant, quorum conſenſus ipſis tantum obeſt, non vero eorum liberis, qui non tenentur ſequi voluntatem defuncti. Regula enim juris feudalis eſt, conſenſum unius agnati poſſe mutare naturam feudi, ſed in damnum dumtaxat ipſius conſenſientis, non eorum, qui in Inveſtitura ſunt comprehenſi, 11. *f.* 24. ibi Alvero. *n.* 3. *&* 4., Andr. *in* 11. *f.* 45. *n. 6.* Tho. de Marin. *de feud. ex P. & P. antiq.*, Cuja. *in* 11. *f.* 14. *in fin.* Quoniam jus agnatis quæſitum ex veteri Inveſtitura, non poteſt tolli ſine eorum culpa *l. fin. D. de Pact.* 11. *f.* 39. & quotiens res, vel jura noſtra ſunt ad alios transferenda, opus eſt noſtra voluntate *l.* 11. *D. de R. S. l.* 1. *C. de Vendit. Rer. Fiſcal.* Denique feudum antiquum eſt munus, non patris, vel agnati, ſed generationis, Giphan. *Diſp. jur. feud.* 11. *n.* 125., unde Cuja., Hotom., ceteri vocant *Genearchicum*.

Feudum antiquum ex Refutatione evadit novum, de qua Interpp. diſſentiunt. At diſtinguendum: Aut Vaſallus decrepitæ forſan ætatis, hac lege, Seniori refutat Feudum, ut ejus filii *Cajus*, & *Sempronius* de eodem inveſtiantur; mortuo Refutante, Cajus ſine legitimo herede, hoc eſt maſculo decedit, feudum remanet antiquum, & Sempronius frater ſuccedit 11. *f.* 14. quia in Inveſtitura ambo erant comprehenſi, ex qua natura feudi mutari non poteſt, auferendo jus filiis quæſitum. Aut refutatur Domino, hac lege, ut filius Refutantis, vel agnatus, tanquam de feudo novo inveſtiantur, tunc ex quo antiquo evadit

dit novum, dumtaxat in perſona Refutantis, ut ipſe in eo non ſuccedat, cum juri ſuo ceſſit, tum quia natura feudi novi eſt, ut agnatus agnato non ſuccedat, 1. *f.* 8. *in fin.* In ceteris vero remanent feudi antiqui qualitates. 11. *f.* 49. Vel refutatio cedit favori alicujus perſonæ, ut ea inveſtiatur, puta filius fratris, aut agnati, eorumve heredum, ea non parit novum feudum, quia Refutans ita juri ſuo renunciaſſe intelligitur, ut, deficientibus illis, quorum gratia Refutatio fuit peracta, ipſe ſuccedat, impediatque, quominus feudum aperiatur Domino 11. *f.* 26. §. *ult.* 11. *f.* 49. Jac. a S. Georg. §. *& unus ex dictis n.* 6. *& ſeq. Scrad. P.* 11. *cap.* 3. *n.* 59., Struv. S. J. F. *cap.* 12. *A.* 14. 2., & alibi redibit Sermo.

Felonia quoque feudum paternum tranſit in novum, finge: Vaſallus crimen commiſit privatione feudi dignum, & judicis ſententia reus eſt declaratus, ſi Dominus remittit crimen, & Vaſallus adhuc poſſidet, ſervitia, atque Inveſtituræ renovationem recipit; natura quidem feudi antiqui non extinguitur, *arg.* 11. *f.* 14. quia conſenſu Domini, ſicut cenſetur remiſſum crimen, ita & patientia, intelligitur remanſiſſe antiqui feudi natura. At ſi poſt crimen commiſſum, Patronus ex gratia inveſtit Vaſallum de feudo novo, quod prius erat antiquum, tunc feudi natura immutatur & novum evadit. Quæ mutatio illis tantum nocet, quibus felonia Vaſalli obeſſe poteſt. Ex his colligendum, commiſſo crimine, & etiam lite conteſtata, ſed adhuc judex non pronunciavit, ſi Patronus ante ſententiam illud remittit, feudum antiquum nunquam in novum tranſit, quia non crimen, non litis conteſtatio, ſed ſententia reum facit, & pænam conſtituit; ante enim judicis ſententiam Vaſallus non amiſit feudum, igitur nec ejus antiqua qualitas ab eo receſſit. Roſent. *cap.* 11. 18. Struv. *S. J. F. cap.* 3. *A.* 2.

Emtione; videlicet ſi Vaſallus vendit feudum antiquum, ex cujus pretio, emit aliud feudum; etſi pecunia ex antiquo redacta ſit, nihilominus feudum emtum, novum eſt, non antiquum. Aliud enim eſt res, aliud pretium ejus rei; ut fundus ex pecunia dotali emtus, non eſt dotalis *l.* 12. *C. de jur. dot.* quia doti datus non eſt. Sicut pretium ex re Furtiva redactum, non eſt furtivum *l.* 48. §. *ul. D. de furt.*, Res ex numis pignori datis emptæ, non dicuntur oppignoratæ *l.* 7. §. *ul. D. Qui potio. in pign. Cujac. tract.* 11. *ad Africa. l.* 23. *D. de Reb. Cred. Gotofr. ad*

 d. l. 48.

Digitized by Google

d. l. 48. Wiſſenbac. *ad l.* 14. *D. de V. S.* 7. Nam feudalitas illi prædio, vel juribus annexa, non reperitur in feudo noviter emto; hinc non obſtat regula, ſubrogatum ſapere naturam ejus, in cujus locum ſubrogatur, quæ nihil agit, ſi diverſa adjungatur qualitas, Scrad. *P.* 11. *cap.* 3., Roſent. *cap.* 11. 16., Struv. *S. J. F. cap.* 3. *A.* 2. 6. Præterea Domino directo, noceret, ſi feudum in ſuo Vaſallo emtore antiquum potius eſſet, quam novum; quoniam devolutio non tam facile daretur. Et nemo ſine culpa, & voluntate damnum ferre debet.

Excipiendum eſt; ſi emtor profeſſus eſt, & pecunia illius feudi, aliud antiquum emere, tunc novum non eſt, ſed remanet in antiqua qualitate, modo adſit conſenſus eorum, puta Domini, Venditoris, & Agnatorum, quorum intereſt.

§. XXI.

De Differentiis, atque Effectibus feudi novi, atque Antiqui.

HÆc præcipua feudorum partitio effectibus, & differentiis ſecernitur, & (1) Nemo poteſt feudum novum conſtituere, niſi qui liberam habet ſuarum rerum adminiſtrationem, qua excluditur pupillus, minor, Prodigus, & cui mens non eſt ſana; ſed feudum antiquum, hujuſmodi perſonæ concedere valent, quum hæc Conceſſio non dicatur alienatio, nec nova Inveſtituræ, verum antiquæ renovatio, & confirmatio, & tacitam ſequi Defuncti voluntatem, Thom. de Mari. *de feud. ex Pac. & Pro. antiq. n.* 15. (2) Feudum novum alienari poteſt tantum conſenſu Domini, & Vaſalli; feudum antiquum requirit conſenſum Vaſalli alienatis, ejus Agnatorum, & conſenſum Domini, quia omnes in inveſtitura vocati habent jus quæſitum; neque unus accipit ex beneficio alterius, ſed quiſque ad ſucceſſionem jure proprio accedit, omneſque a primo Acquirente, & Principe infeudante jus repetunt, 11. *f.* 39. 11. *f.* 3. §. *ſed etiam*, Giphan. *jur. feud. Diſp.* 11. *n.* 126., Conſ. Curt. *P.* 3. 4. *n.* 146. Hinc agnati habent jus prothimeſeos, jus retractus, & jus delatæ Succeſſionis, P. Ludew. *lib.* 11. *feud. Opuſc.* 3. *Diff.* 20. (*qq*). & dicam *lib.* 3.

(3) Feu-

Digitized by Google

(3) Feudum novum non poteſt acquiri ſine inveſtitura, I. *f.* 25. Antiquum expoſcit dumtaxat ſucceſſionem, etſi intra annum, & diem petenda ſit inveſtitura, II. *f.* I. I. *f.* 14. Neque nova exigitur traditio ab iis, qui volunt ſuccedere, quum primus Adquirens ſatis habuerit, ſed tantum opus eſt antiquæ traditionis renovatione, hoc eſt recognitione, moribus in obſequii ſignum inducta. (4) In feudo novo non ſuccedunt Collaterales, ſed tantum diſcendentes I. *f.* I. *ſin autem unus*, I. *f.* 20., II. *f.* 50., niſi dictum ſit. In feudo antiquo admittitur Succeſſio Collateralis II. *f.* 50. II. *f.* II., *vid. Frid.* Mantzel. *diſſer. an.* 1735. *De eo, quod refert eſſe vere antiquum, vel novum jure antiqui conceſſum.*

(5) Ad probandam novi feudi Inveſtituram, Pares Curiæ, ideſt Convaſalli admittuntur; ſed in probatione Inveſtituræ veteris feudi omnes, exceptis fæminis, poſſunt eſſe teſtes II. *f.* 32. Ratio differentiæ eſt in II. *f.* 58. *Idcirco Pares neceſſarii ſunt in inſtrumento inveſtituræ, & non alii: ne quid excogitetur falſitatis in perniciem Domini, aliis teſtibus inductis, corruptis forte pecunia, vel odio, vel gratia, quæ non ſunt Suſpicanda in Paribus.* Dum enim jus Longobardum loquitur de Inveſtitura, perpendit feudum novum, quia in antiquo non eſt Inveſtitura, ſed renovatio veteris, *Curt P.* I. *quæſt.* 8. *num.* 7. Gaill. II. *obſer.* 50. *n.* 4. P. Chriſtin. *ad conſuetud. feud. deciſ.* I. *n.* 18. *& ſeqq.*

§. XXII.

De Feudo Nobili, atque ignobili.

FEudum novum, & antiquum, de quo diximus, poteſt eſſe vel Nobile, vel Ignobile, quæ diviſio ex *qualitatis* conſideratione ſumpta eſt, & relucet *in* II. *f.* IO. I. *f.* 14. Nobile feudum eſt, *quo quis, ex conceſſione, poteſtate, & voluntate concedentis, inveſtitus, nobilitatem, ejuſque jura conſequitur.* Quodnam autem illud ſit, Interpp., ſe implicant: Eleganter Forner. *de feud. cap* I. Hoeping. *de jure Inſign. cap.* 8. §. 3. *n.* 270. & Struv. *S. J. F. cap.* 3. *A.* 5. probant, ad Conſtituendum hoc feudi genus opus eſſe, & poteſtate Concedentis, & voluntate. Nobilitas enim non adhæret Territorio, non juribus in feudum con-

Digitized by Google

ceſſis, ſed perſonæ innititur. Recte Bodin. *de Republ. lib.* 3. *cap.* 8. *Certe majoribus noſtris abſurdum viſum eſt, quam a ſe non haberent, a jure prædiatorio dignitatem expiſcari, & perſonas ipſas rebus quaſi picturam tabulæ cedere.* Feudum eodem jure, quo cetera prædia cenſentur, quod attinet ad jus perſonarum; neque nobilior eſt Opifex, quam qui hereditario fruitur ducatu. Proinde feudum nobile ex duplici oritur fonte, *voluntate*, & *poteſtate* illius, qui concedit, Chriſtin. *de feud. deciſ.* 11. *num.* 42. Quum res, & poſſeſſiones non poſſint Homini dignitatem afferre, qui longe illi pretioſior eſt, *l.* 44. *D. de Aedil. edict.* Ant. Perez *ad tit. C. de Dignit. n.* 40. Gaſp. Ziegl. *de Jur. Majeſt. lib.* 1. *cap.* 28. §. 27. Hoeping. *loc. cit. n.* 277.

Ex his patet, inveſtitum de Ducatu, marchionatu, Comitatu, aliove feudo majori, non conſequi nobilitatem, niſi dictum ſit; quia nobilitas eſt *Civilis qualitas in ſola honoris ſupra plebem eminentia conſiſtens*, inquit, Huber. *de Jur. Civ. lib.* 11. *cap.* 5. §. 2. Moribus vero noſtris depravatis nobilitas ex opibus, & copiis naſcitur; quæ opinio adeo radices egit, ut, ſicut opibus naſci nobilitatem, ita inopia obliterari exploratum ſit, Bodin. *loc. cit.* Præſertim, cum beneficiis hujuſmodi annexa fuerint jura, & juriſdictiones, quæ eminentiam quandam præſeferunt. Hinc, eo ipſo, dux, Marchio, & Comes quis factus fuerit, ſtatim dignitatem obtinet; & feudum ſe habet ſicut organum, atque inſtrumentum, quo ſummus Princeps iſtam dignitatem voluit conferre. Porro feudum diſtinctum eſt a nobilitate; & niſi decipiam, Principes dum dignitates largiebantur, compertum iis erat, illas non poſſe ſuſtineri, niſi adeſſent divitiæ, & poteſtas, quæ nobilitatis ſunt præſidia. Qua de re factum eſt, conceſſo feudo, adquiri vel expreſſa, vel tacita Principis mente, nobilitatem.

Feudum Nobile non modo poteſt conferre Imperator, cui proprie jus conferendi nobilitatem datum eſt, ſed & Comites, Duces, Marchiones, qui regni *Capitanei* dicuntur, & majores Valvaſores, 1. *f.* 1. & 7. 11. *f.* 10., ubi Cuja. & *ad* 1. *f.* 1. Alver. *ad d.* 11. *f.* 10. §. *ceteri n.* 1. Sonsbec. *P.* 3. *n.* 12. Sicut & inveſtitus a majore, vel minore Valvaſore de feudo, nobilis eſt, modo longam annorum ſeriem in feudi poſſeſſione enumeret, ſi nempe ab antiquo in familia reſedit, quia nobilitas plerumque ex claritate, & vetuſtate majorum componitur. Conſ. Ariſtot.

lib. 11.

Digitized by Google

lib. 11. *Rheto. cap.* 15., & Ziegl. *de Jur. Maješt. lib.* 1. *cap.* 28. §. 24., P. Greg. Synt. *lib.* 6. *cap.* 4. Ex his tamen gradibus, non æqualis oritur nobilitas; major a Principe, minor a Duce, Marchione, vel Comite, mediocris ſi ab iſtorum Vaſallis conceditur, Zaſi. *P.* 3. *n.* 4. Recte Connan. *Commen.* 2. 9. *n.* 6. *Multi enim ſunt Vaſallorum gradus, multæ, diverſæque dignitates eorum; & ut quiſque longius abeſt a ſupremo Domino, ita fere deterioris eſt conditionis. Neque enim Conſentaneum fuerit, prædium inferius, meliore jure eſſe, quam Superius, cui ſervit.* (*k*)

Feudum ignobile eſt, ſeu burgenſe, *quod abſque nobilitate, ejuſque juribus conceditur*, Struv. *S. J. F. cap.* 3. *A.* 5., puta ſi a minimis Valvaſoribus, vel a plebe, vel penitus privatis conceditur; *vel qui ab antiquis temporibus beneficium non tenent, licet noviter a Capitaneis, ſeu Valvaſoribus acquiſierint, plebei nihilominus ſunt*, inquit, feudiſta *in* 11. *f.* 10. Unde jure longob. non omne feudum poſſeſſorem nobilitat, Cuja. *loc. cit.* Sonsbec. *P.* 3. *n.* 14. Hodie tamen cum ſolius S. Principis ſit rebus feudalitatem, ut ita dicam, ſuperaddere; idcirco omne feudum nobile ſolet eſſe.

§. XXIII.

De Feudo Regali, & non regali.

SPecies feudi nobilis eſt *regale*, quod majorem nobilitatem, & jura præſefert, & licet magis, vel minus non mutent ſpeciem, tamen propter plures hujus feudi proprietates, diſtinctam merito parit ſpeciem. Feudum regale eſt, *quod a Supremi Principis auctoritate, ſimul cum dignitate regali conceditur*. Vel ut deſcribit Henr. Bunau Eques Miſniæ in Exami. *Diſſertat.* *Pu-*

(*k*) Cum enim S. Princeps poſſit inveſtire aliquem de Ducatu, Comitatu &c. cui ex tacita ejus voluntate annexa cenſetur regalis dignitas; ipſe inveſtitus recte valet eam in alium transferre, & ſubinveſtitus etiam participat, quia Princeps non vetat ſubinſeudationem Hildebrand. *de feud. Clypeari* §. 21.

Digitized by Google

Pucholtzii cap. 3. §. 8., eſſe illuſtris dignitatis, eminentioriſque nobilitatis ſpeciem, territorio, vel ipſi feudo cognominis, plerumque ab Imperatore vel expreſſe, vel tacite beneficiario titulo conceſſam. Quemadmodum ſunt electoratus, ducatus, Comitatus, Marchionatus, Baronia, (licet jure Longobardo ignota) vicecomitatus, & regnum, II. *f.* 10. (*l*) ut regna Daniæ, Poloniæ, Bohemiæ, &c.

Origo feudorum regalium eſt: antequam hominium, juramentum fidelitatis, ſervitia ſub nexu fidei invenirentur; in Imperio, aliiſque provinciis Imperio non ſubjectis, juſtitiæ adminiſtratio, & regimen per hos Duces, vel Comites, tantum officii titulo exercebatur. Deinde Principes, vel neceſſitate coacti, vel ob exigendum arctius fidelitatis vinculum, illas provincias, & pagos jure feudi conceſſerunt, quod *regale* dictum eſt, quia, licet olim perſonalem Dumtaxat tribuiſſet dignitatem regalem, non exercitium jurium, lapſu tamen temporis, & annexam dignitatem, & juriſdictionis poteſtatem, vel Principis conceſſione expreſſa, vel conniventia, aut uſurpatione. Sic Ziegl. *de Jur. Majeſt. lib.* 1. *cap.* 5. §. 19. de Imperii Germanici Principibus inquit, *Quicquid enim ſanciunt, & edicunt, id edicunt, quia ſunt Duces, Marchiones, Comites. At dignitates has una cum territorio, & territoriali poteſtate annexa, accipiunt in feudum a Cæſare. Dependentem igitur hactenus habent legis ferendæ poteſtatem. Sed eſt ea tamen viciſſim tam libera, ut conſtitutiones ab unoquoque in ſuo territorio latæ nec confirmatione opus habent, nec ab Imperatore reſcindi poſſint, dum tamen de iis rebus ſint, quæ per receſſus imperii nondum ſunt determinatæ.*

Recte igitur his feudis datum eſt nomen *regale*, quia de his Inveſtiti, omnem poteſtatem, atque omne jus in territorio, ſive diſtrictu ipſis jure clientelæ conceſſo, habebant, perinde ac Imperator, & Rex in ſuo imperio, & regno, utitur, exceptis, quæ Supre-

(*l*) Burgandiæ eſſe ſolent feuda imperii Cuja. *in* 1. *f.* 1. Gipha. Tract. *jur. feud. cap.* 4. *n.* 22. Et imperii feuda ſunt Dux Mantuæ, Dux Sabaudiæ, Dux Mutiæ, Dux Hetruriæ, Mirandulæ, cetera, de quibus Lunig. Ital. Diplom. *to.* 11. *p.* 2257. dicam *lib.* 1.

Digitized by Google

Supremæ poteſtatis præeminentiam, Coronam, & Majeſtatem pertinent, *Scrad. P.* 11. *cap.* 3. *n.* 3. Sonsbec. *P.* 3. *n.* 7. Giphan *jur. ſeud. diſp.* 11. *n.* 148., Freder. Wiſſman. *diſſer. de feud. Brunsvic. ſect.* 1. Imo etiam maxima Principum regalia poſſidebant, Hotom. *lib.* 11. *Obſer.* 16. *Summus ordo eſt Principum, & Procerum qui lingua illorum* (Longobardorum) *Capitanei regni Duces, Marchiones, & Comites appellati ſunt. Et a Rege tum illis bonoribus afficiebantur, tum etiam Italiæ oppidis, ac vicis, locupletum etiam Victorum arcibus, ac Villis donabantur. Quæ feuda, quia partem aliquam regiæ dignitatis obtinebant (qui enim Duces, & Marchiones nunc appellantur, Reguli olim fuerunt) iccirco regalia dicta ſunt. Itaque poteſtas eis data eſt cudendæ pecuniæ, creandorum Magiſtratuum, Salinarum, & Fodinarum exercendarum, Caducorum, confiſcationum, earumque functionum, quæ Angariæ, & Parangariæ appellantur.*

Feudum non Regale eſt, *quod non tribuit dignitatem regalem, ſive conferatur ab eo, qui Superiorem non recognoſcit, ſive ab aliquo inferiore Principe.* Si nempe quis inveſtiatur de plebe aliqua ideſt pago, ſeu vicis aliquot 11. *f.* 10., vel de manſo, ideſt agro, qui certa conſtat menſura. Animadvertendum tamen eſt, Pagum in Latio, & Barbarorum legibus ſignificare, non villam, ſed ditionem, provinciam, & regionem, in qua ſunt tot Civitates, pluresve Villæ, Mabilon. de Re *Diplom. lib.* 11. *cap.* 7. *Pagus vix, ac ne vix quidem in vetuſtis inſtrumentis pro vico, aut villa, ſed pro Civitate, agroque circumpoſito, ac pro Regione, ac tractu*, vid. Berther. *Pithan. diatr.* 1. *cap.* 6. conf. Serv. *ad lib.* 11. *Georg. p. m.* 59., dicam *lib.* 4. *tit. de V. S.* In d. tamen 11. *f.* 10. non ſumitur pro provincia, ſecus eſſet inveſtitura de Ducatu, aut comitatu, ſed pro vico, in quo ſunt accolæ, in qua ſignificatione ſæpe occurrit. Unde ſicut Regio, quæ eſt plurium Civitatum, Duci, Civitas, quæ plurium pagorum Comiti, Compages, ita vicus, ſive pagus, qui eſt plurium familiarum complexus, Valvaſori Committitur.

§. XXIV.

§. XXIV.

De Natura feudi regalis.

NAtura, ſeu Proprietas hujus feudi eſt (1) ut concedatur a ſupremo Principe, qui Superiorem non recognoſcit: (2) ut in eo non admittetur ſucceſſio, nec filius patri, nec frater fratri ſuccedat, 1. *f.* 14., niſi heres ab Imperatore, vel Rege iterum inveſtiatur, *d. tit.* 14., quia in dignitatibus, vel publicis juribus, non ſucceſſio, ſed merita, non ſanguis, ſed virtus, & capacitas, per electionem locum occupare debent, Plini. *in Panegyr. cap.* 8., Galba Imp. apud Tacit. *lib.* 1. Electio enim in omnibus officiis, & Ditionibus antiquior eſt, licet Succeſſio receptior obſervetur, Lipſi. *Polit. lib.* 11. *cap.* 4. Sicut & in beneficiis Eccleſiaſticis non cognoſcitur jus Sanguinis, ſeu propinquitatis, quæ ad feudorum naturam ſatis accedunt. At uſu inductum eſt, ut in Feudis quoque Regalibus Succeſſio admittaretur *d. tit.* 14.

(3) Præterea feudum regale non dividitur, ſed ad unum ex familia, qui maximus ſtirpis eſt, ſpectat, 11. *f.* 55., & cecinit Gunth.

Marchia, ſive Comitis poſſeſſio, ſive Ducatus
Integra permaneant: Feudalia cetera multis
Participanda patent, Domino dum quiſque fidele
Spondeat obſequium, jurandaque fœdera præſtat.

Cujus multiplex eſt ratio, nempe Conſervatio Familiæ Splendor domus, Honor Reipubl. Dignitates namque regiæ, aliorumque Principatuum diviſionem non recipiunt, cum diviſio ſecum ferat diminutionem virium, dignitatis, & rixarum occaſionem, conf. P. Greg. *de Repub. lib. xxv. cap.* 1., idcirco jus primogenituræ vocatur a Juſtino *lib. xvi.* jus gentium, *Finito bello, Ptolemæus cum magna rerum geſtarum gloria moritur. Is contra jus gentium minimo natu ex filiis ante infirmitatem regnum tradiderat &c.* Conf. Camer. *in* 11. *f.* 55. §. *præterea pag.* 100. Denique naturale vitium eſt, negligi, quod communiter poſſidetur; hinc excidium Longobardorum ex diviſione ſuæ Ditionis in Italia evenit. Nihil etiam egregium eſt, quod multitudine non vileſcat;

leſcat; ſubditiſque damnum eſſet; pluribus parere dominis Gail. 11. *obſer.* 37., *conſ. Curt. P.* 4. *n.* 122.

Quæri ſolet, quiſnam primus induxit, feuda hujuſmodi debere eſſe individua? Hotom. *in* 11. *f.* 55. §. *præterea*, putat *Frid. I.* Aenobarbum: & vocem *de cetero* in textu poſitam perpendit, quaſi antea fuiſſent *dividua*, ut ſæpe in regnis, magnisque ditionibus diviſio in Tetrarchias, & Decadarchias permiſſa videtur. Sed Gaſp. Klock. *de Aerar. lib.* 11. *cap.* 37. rectius, inquit, Fridericum *in d.* §. potius abuſum tollere, quam novam legem condere voluiſſe; qui abuſus in Italia, ævo *Frid.* eſſe poterat, in qua quiſque, & honores, & titulos, & juriſdictionem captabat, ut ſupra dictum eſt.

Prætereundum non eſt, etiam feudum, de quo Principes, vel Imperii Duces aliquem inveſtiunt, *regale* appellari poſſe, dum ſubinfeudatus, ideſt Valvaſinus aliquid de regali dignitate aſſumit, ex tacita Imperatoris voluntate, qui ſubinfeudationem in Ducatu non prohibet, ut ſupra *de feudo Nobili* dictum eſt. Tanta enim eſt dignitas ejus, qui regale confert feudum, eamque jure proprio, (ſeu ut de ſe teſtatus Imp. Commod. *Simul me ſol vidit Hominem, & Regem*, Herod. *lib.* 1. *Hiſt.*) habet, ut aliis collata, accipiens poſſit aliis committere, ideſt communicare *l.* 5. *D. de Juriſdict.*, Hildebrand. *diſſert. de feudo Clypea.* §. 21. Giphan. *loc. cit. n.* 150. Hinc infertur, feudum regale, aliud eſſe *immediatum*, quod nempe primo ab Imperatore, vel Rege provenit, aliud *mediatum*, quod a Capitaneis regni inveſtitur.

§. XXV.

De Feudis Eccleſiaſticis.

Feudum *Regale* aliud eſt Seculare, ut Ducatus, Archiducatus, Comitatus, Electoratus, & Baronia, de quibus ſupra actum eſt, aliud Eccleſiaſticum, cujus nunc origo, definitio, & deinde natura erit perſcrutanda. Feudum Eccleſiaſticum duplici modo poteſt perpendi: vel Eccleſia a Principe, aliove inveſtitur de prædio, Caſtro, Civitate, Provincia, aut juribus, & tunc ipſa evadit Principis, ideſt Imperii *Vaſalla*; vel Inveſtituram contrahit de bonis ſuis, ſibique velit *Vaſſos* adquirere, & tunc

Digitized by Google

erit *Domina*. De prima inſpectione hic agendum nobis eſt, de Infeudatione autem bonorum Eccleſiæ *lib.* 11. dicam. (*m*)

Feudum Eccleſiaſt. etſi illud proprie appelletur, *quod in re Eccleſiaſtica conſtituitur*, ſicut Seculare, quod in re profana conſiſtit, quum perſonæ vel inveſtientis, vel inveſtitæ conditio in feudi erectione nihil fere conſideretur, ut variam, diverſamque poſſit cudere Clientelæ ſpeciem; Nam Clericus, qui a Seculari Domino de prædio, aliave re eſt jure feudi inveſtitus, feudum *Seculare* dicitur *cap. 6. de foro compet.*, aut ſi Clericus bona ſua velit ſub nexu fidelitatis concedere 11. *f.* 35. Nihilominus improprie feudum Eccleſiaſticum nuncupamus, quod Eccleſia a Seculari Domino cognoſcit, Struv. *S. J. F. cap.* 3. *A.* 4., Duare. *de feud. cap.* 20., Boehmer. *diſſert. de feud. Eccleſ. cap.* 11. §. 5., quamvis ambo eundem habeant *finem*, nempe ſervitium ſive Militare, ſive alterius ſpeciei. In primis itaque detegere oportet fontes, ex quibus feuda in Eccleſias, Monaſteria, alioſque ſacros Cœtus fluxerunt, quos novem agnoſco, videlicet Principum Liberalitatem, fidelium devotionem, peccatorum Redemptionem, Dy-

---

(*m*) Aliud bonorum genus viſum eſt in Eccleſia ſeculo 4. *& ſeqq.* alia juriſdictionis ſpecies, *dominica* nempe; quamvis enim ante hanc ætatem Epiſcopi Civitatum, & populorum eſſent Gubernatores, ut exemplis probat Thomaſ. *de V. & N. E. D. P.* 3. *lib.* 1. *cap.* 26., eos tamen non jure feudi poſſidebant, ſed ſimplicis adminiſtrationis. De hac enim ætate ſcribit Adria. Vales. *lib.* 12. Rerum Franco. in Chlotario, *Tum autem tanta erat apud Francos Epiſcoporum auctoritas, tantaque potentia, ut non modo animarum, ſed etiam corporum curam gererent, & urbes, populoſque ſibi commiſſos, quibus liberet, tradere poſſe crederentur. Hi ſimul at Antiſtites conſtituti eſſent, portarum ſuæ quiſque urbis Claves accipiebant, etſi non pace, ſaltem bello apud ſe conditas ſervare conſueverant*. Inductis vero feudis nulla fere Civitas, pagus, oppidum, aut jus erat, quod non ab Epiſcopis, atque Abbatibus jure poſſideretur; atque Eccleſiaſticæ juriſdictioni ſecularis quoque adjungi cepit, Epiſcopis de Principatibus inveſtitis, quorum tantum crevit potentia, ut ad eam compeſcendam unum Cæſaribus ſuperfuit frænum, nempe libera Epiſcopatuum atque Abbatiarum Collatio, Conrig. Exerc. 4. *De Ducibus* §. 26.

Dynaſtiarum Potentiam, indomitam Populorum Indolem, Monarchorum Scientiam, Epiſcoporum ambitionem, Emtionem, & Succeſſionem, de quibus brevi.

Quoniam Clientelaris poſſeſſionis origo a Francis Germanicæ Gentis ſobole natales cognoſcit, qui primum allodialibus feudalitatem inſerere ceperunt, idcirco primi & exiſtimandi ſunt, qui Eccleſias feudalibus latiſundiis, Caſtris, Provinciis, & temporali juriſdictione locupletaſſe celebrantur. Clodoveus enim, in cujus ætate *Beneficii* nomen primum auditum eſt (*n*) *Jura regia Eccleſiis manu liberali conceſſit, ut conſtat ex teſtamento Sancti Remigii apud Flodoardum. Cujus exemplum imitati ſunt Reges primæ Stirpis. Pipinus quoque, qui ſecundæ Stirpis auctor fuit, eandem liberalitatem exercuit*, inquit, P. de Marca *de Concord. lib.* 8. *cap.* 19. §. 2., Natal. Alex. H. E. *ſeculo XIII. & XIV.*, *diſſert.* 8. *art.* 3. §. 2., Adria. Valeſi. *lib.* 6. *Rer. Franco.* Clodoveus enim Narbonem Provinciam diviſit in novem Comitatus pro numero Epiſcoporum, eamque cum vaſtaſſent Saraceni, iis ejectis, Reges franci, Eccleſias ab illis obtritas cum non potuiſſent reſtaurare, ideo Comitatus Epiſcopali ſedi attribuerunt, ut Archiepiſcopo Narbonenſi conceſſa fuit Comitatus Narbonenſis portio, Mimatenſi Epiſcopo ceſſit fere totus Gabalorum Comitatus, Magalonenſi Antiſtiti magna ejuſdem Comitatus pars addicta eſt, Thomas. *P.* 3. *lib.* 1. *cap.* 31. *de V. & N. E. D.*

Nullus enim Princeps, Imperator, Dux, vel Comes, in Gallia, Germania, aliiſque erat Ditionibus, ſeculo præſertim ſexto, & ſeptimo, qui Eccleſias liberali manu, & Monaſteria non conſtrueret, & feudis deinde ditaret, uti teſtatur Ziegl. *de Epiſcop. Milit. cap.* 7. §. 2., *Poſſidebant jam Epiſcopi vel ex conceſſione Principum, vel ex donatione Piorum, fundos, villas, agros, ſilvas, & latiſundia alia, ex quibus immenſam vim opum ſibi comparare, atque reditibus cum quovis inter ditiores laicos certare poterant. Datæ*

(*n*) Clodoveus enim agros cuidam Aureliano in beneficium dedit; *Unde cum Clodoveus regnum ſuum uſque ſequanam, atque poſtmodum uſque Ligerim fluvios ampliaſſet: Milidunum Caſtrum eidem Aureliano cum totius Ducatu Regionis, jure beneficii conceſſit*, ait Aimoin. *lib.* 1. *cap.* 14. Atque hac ætate nata eſt illa rerum diviſio in propria, ſeu allodia, & fiſcalia eu beneficia fiſci, Turon. *lib.* 9. *cap.* 38.

eis inſuper fuerat poteſtas de quibusvis cauſſis civilibus inter laicos judicandi, committebantur illis ardua in rebus publicis negotia, neque quicquam facile ſine Epiſcopi, aut Clerici alicujus præſentia expediebantur, ſive Pietas id ſuaſiſſet, ſive fiducia, quam unuſquiſque erga viros Sanctitatem, & morum innocentiam profitentes gerebat.

Ante Carolum M. temporali Dominio, fundiſque feudalibus fruebantur etiam tum Epiſcopi, atque Abbates; ut Dagobertus I. Rex conceſſit omnia fiſci jura, & cenſum, & quicquid ex Turonenſi Civitate exigebat, Epiſcopo ejuſdem urbis Thomaſi. *loc. cit. cap.* 28. *n.* 4. Sub ſtirpe vero Carolina nullum fuit jus regale, nullus Comitatus, Ducatus, vel Dynaſtia erat, aut inſtituebatur, de quibus Epiſcopi, & Abbates non inveſtirentur. Habebant enim jus cudendæ Monetæ, ut Monaſterium S. Medardi, & Eccleſia Cenomanenſis ex Privilegiis Ludovicii Pii, & antea habuere a Carolo M., & Pipino; eodem jure uſus eſt Archiepiſcopus Remenſis, Epiſcopus Auguſtudonenſis, ceteri, Mabilon. *de Re Diplom. lib.* 11. *cap. 6. n. 6.*, Jus argentifodinæ, jus belli gerendi, jus leges ferendi, Magiſtratus creandi, non raro jus gladii, & ſimilia, quæ ſeculo hoc VII. Imperatorum liberalitate poſſidebant.

Carolus M. plurimos erexit Epiſcopatus, atque Archiepiſcopatus, plures inſtituit Cathedrales Eccleſias, quas allodiis, & feudis dotavit, nempe Oſnaburgenſem, Paderbonenſem, Monaſterienſem, Bremenſem, Mindenſem, Verdenſem, & fertur tot condidiſſe Monaſteria, quot ſunt Alphabeti litteræ, Theod. a Niem *de Privileg., & jur. Imper.*, Muti. *in Chron. German. lib.* 8., & conſtat ex edicto ejuſdem Regis de Epiſcoporum immunitatibus a bellicis expeditionibus ipſum illuſtria feuda ſub onere ſervitii Militaris conceſſiſſe, Hincmar. *opuſc. xlvi.*, & *Epiſt. XXIX.* Sub ſecunda deinde Regum francorum Dynaſtia, nulla fere reperiebatur Eccleſia, ſive Cathedralis, ſive Monachorum, quæ feuda non poſſideret naturalibus Clientelæ oneribus obnoxia, Nat. Alex. *loc. cit.* §. 4. & 5. In Romanam quoque Eccleſiam Ducatus integros, Comitatus, & juriſdictiones non modo Carolus M., ſed & Pipinus, Ludovicus, ceterique contulerunt, eoſque Ottho M. Imp. confirmavit, Nat. Alex. *H. E. ſeculo IX. & X. cap.* 7. *art.* 8., & Lupold. Babenberg *de Zelo German. veter. Princip. cap.* 5. ſcribit, *Veteres Germani Principes Romanam Eccleſiam Gradibus, & variis donationibus extulerunt, eidemque plures terras, Civitates, & lo-*

Digitized by Google

& loca cum ſuis juribus, & jurisdictionibus, nec non alia bona immobilia, & mobilia copioſa munificentia, & præcipua largitate donando (*o*).

Seculo tamen X., in quo Otthones Impp. regnabant, aliæ conſtrui ceperunt Monaſteria, alii erigi Epiſcopatus in Gallia, Italia, Germania, Lotharingia, & Burgundia, quibus Ottho M., ejuſque filius Ottho II. Civitates, Caſtra, oppida, villas, dominia temporalia, & juriſdictiones conceſſerunt, Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus Baroniis, Comitatibus, aliis regalibus feudis munivere, *ut ſemper eſſent ad reſiſtendum etiam manu forti paganis, hæreticis in opportuno tempore fortiores: quin imo Archiepiſcopos, & Epiſcopos primas ſedes etiam in temporalibus inter Principes ſeculares habere decrevit*, inquit de Niem *loc. cit.* Ziegl. *loc. cit. cap.* 10. Struv. *Hiſt. jur. publ.* §. 4. Kloc. *de Contribut. cap.* 4. *n.* 166. Exploratum enim eſt exemplum Brunonis Coloniæ Archiepiſcopi M. Otthonis fratris, qui Succeſſit in ea ſede Wigfrido, Regino *ad an.* 953. Ottho enim M. devicto Gildeberto ultimo Lotharingiæ Duce, illum Ducatum Brunoni Archiepiſcopo jure feudi, & temporalis juriſdictionis, quod antea inſolitum fuit con-

(*o*) Celebratur undique Patrimonium D. Petri non modo in Italia, *ſed in omnibus pene Occidentalibus Regnis, nec non de Orientalibus atque Meridianis, Græcia ſcilicet, judæa, Perſide, Meſopotamia, Babylonia, Ægypto, Lybia*, inquit Luitprand. *in Legatio.*, In Sicilia, Hiſpania, Calabria, Tuſcia, ceteriſque Europæ partibus, ut nuper Joſeph. V. CL. Joſeph. Aſſeman. *to.* 3. *de Rebus Sicul.*, & *Neapolit. cap.* 5. probavit; cujus patrimonii origo a Conſtantino originem traxit; & ſub ejus appellatione continentur *prædia, latifundia*, & *agri*, quorum reditus ad Sedem apoſtol. ſpectabant, raro vero urbes, aut oppida, Sigon. *ad An. DXXXVIII.* de Rege Rothari loquens, ſcribit, *Cottias Alpes cum infeſto exercitu iniit, ac primo adventu Genuam, Albiganunm, & Lunam Oppida capta, direptaque incendit. Quo facto non ſolum provinciam Imperatori* (non Eccleſiæ) *eripuit*, (hoc eſt urbes) *ſed etiam Pontificem, quod ibi antiquitus poſſidebat, patrimonio exuit*. Ex quo patet, patrimonium diſtinctum fuiſſe a Provincia, & Urbibus. Sicut & R. Impp. habebant in diverſis Imperii locis agros, ſaltus, & latifundia *tot. tit. C. de fund. limitro.*, vid. Anonymum *in Tabul. Geograph. ſect. XII.* apud Murat. *to. X. Scrip. Ital.*

Digitized by Google

conceſſit, ut teſtatur Magnum Chron. Belgic., *Bruno ducatum Lotharingiæ acquiſivit, & Colonienſi Eccleſiæ applicuit, cum ante hæc ſua tempora Archiepiſcopi Colonienſes non judicio gladii temporalis, ſed tantum juriſdictione uſi fuiſſent baculi paſtoralis.* (p)

§. XXVI.

De Ceteris feudorum Eccleſiæ Cauſſis.

SEcunda Cauſſa Eccleſiaſticæ Clientelæ recenſetur *fidelium devotio*, qui bona ſua ab omni onere libera, jure optimo maximo poſſeſſa pietatis ardore, & ut ab Hoſtium, & Potentum rapinis tuta eſſent, Eccleſiis, & Monaſteriis offerebant, a quibus jure feudi ſub onere vel Militiæ, vel Cenſus, aut alterius ſervitii, & obſequii recipere religioſa erat conſuetudo. Hinc tot in Germania, & Gallia reperiuntur feuda oblata, quæ in Eccleſias fluxerunt, Struv. Hiſt. *jur. feud.* §. 6., *& de feudis oblatis dixi*.

Exemplum affert Baron. ad An. 1091. n. 9. de Berengario Bar-

(p) Viri Eruditi cenſent primum Brunonem temporali donatum eſſe juriſdictione. Sed mihi videtur ante Brunonem, id eſt an. 936. (quo imperavit Ottho I.) Epiſcopos, & Abbates, cum jam feudalibus eſſent ditati territoriis, temporalem exercuiſſe juriſdictionem, etſi aſſidue criminalis juriſdictio in Inveſtituris exciparetur, ut *lib.* 11. dicam. Richardus Herbipolenſis Epiſcopus a Pipino Dux Franconiæ electus eſt an. 752., teſte Trithemio ad eundem an., Carolus M. Comitatum Campidunenſem Abbati cum juriſdictione conceſſit. Hinc verſus.

Herbipolis ſola judicat enſe, & ſtola
Campiduna ſola judicat enſe, & ſtola

Quod præſertim evenit, dum Comites ſua abutentes poteſtate, Epiſcopos vexabant, qui, cum aulam Imperatorum adirent, ab iis juriſdictionem ſuis Civitatibus obtinuerunt; & proinde ſæpiſſime in Chartis legitur *ut nullus Comes, vel judex in Civitatibus Epiſcoporum, & territoriis jus dicat*. Miræus in Donat. Piis *cap.* 38., 106., 105., &c. & Chron. Laurisham. *edit. Struv.* ubi refertur Cunradi II. donatio.

Digitized by Google

Barchinon. Comite., *Ego Berengarius Comes prædictus amore Dei ductus donavi Domino Deo, & Apoſtolorum Principi beatiſſimo Petro, ejuſque Vicario Romanę ſedis apoſtolico omnem meum honorem*, (ideſt feudum) *qui mihi competit ex jure paterno quemadmodum, ego diviſi cum Raymundo Berengario fratre meo, ſicut ego eum habeo, vel habere debeo, ſpecialiter dono, & in dei nomine Tarraconenſem urbem, cum omnibus, quæ pertinent, aut pertinere debent ad ejuſdem urbis nobilitatem, ea Scilicet deliberatione, ut ego, & mei poſteri omnes, ſicut ſupra ſcriptum eſt, teneamus hoc totum per manum, & vocem Sancti Petri, ejuſque Vicarii Romanæ ſedes apoſtolici, per quinquennium, perſolventes ei cenſum vigintiquinque librarum puriſſimi argenti ad juſtum penſum &c.* Non modo enim allodia quiſque Privatus, ſed & feuda donationis, & oblationis titulo offerebant.

Peccatorum *Redemptio* eſt tertia Cauſſa, de qua nihil frequentius in mediæ ætatis occurrit monumentis, quæque divitiarum omnium Eccleſiæ *fons*, & *principium* vocari poteſt. Principes enim, Imperatores, Duces, vel Comites hac impulſi conſcientiæ religione regalia, caſtra, oppida, urbes, provincias, venationes, piſcationes, aucupia, jus foreſtæ, & ſi quæ ſunt, Epiſcopis, atque Abbatibus ſub fidelitatis nexu conferebant. Ab exemplis me abſtineo; ſed præ ceteris Eccleſia Mindenſis hujuſmodi abundavit juribus, quæ Henricus III. an. 1049., Conradus Svevus, S. Henricus an. 1008., Conradus an. 1031., aliique Impp. donarunt, ut videre eſt apud Piſto. *ſcript. German. to. 3. p.* 820. conf. Lunig. & Mireus *in rebus Diplom.* Recte P. Damian. *lib. 4. epiſt.* 12. *Non ignorans, quia cum a pœnitentibus terras accipimus juxta menſuram muneris eis de quantitate pænitentiæ relaxamus, ſicut ſcriptum eſt, divitiæ hominis redemptio ejus. Perpende igitur, quia ſicut illi, qui prædia præbent Eccleſiis, pęnitentiæ ſuæ pondere merito levigantur.*

Quarta Cauſſa fuit Dynaſtiarum *Potentia*: Duces enim, Comites, & Marchiones cum provinciis, & Civitatibus jure precario initio præeſſent, etiamſi non adhuc hereditariam Succeſſionem in feudis ſuis obtinuiſſent, nihilominus magnam exercebant poteſtatem, & tyrannidem, qua cottidie Epiſcoporum jura, & bona Eccleſiæ rapinis, & cædibus uſurpare iis piaculum, vel Scrupulum non erat. Qua de re Epiſcopi, & Abbates querelis Imperatores deprecabantur, ut hujuſmodi Ducum potentiam depri-me-

Digitized by Google

merent. Imperatores his moti querelis juriſdictionem temporalem, Caſtra, urbes, & latifundia iis concedebant, hac lege, ut nullus Comes, Dux, vel Vicecomes in illis juriſdictionem exerceret., ut innumera proſtant exempla apud Lunig., & Miræum.

Dagobertus I. Franco. Rex confirmavit poſſeſſiones Eccleſiæ Metropolitanæ Trevirenſis, & ſanxit, *Ut nullus ex publicis judicibus, vel aliquis ex judiciaria poteſtate, in Monaſteria, Eccleſias, Caſtella, vicos, & agros, ſeu reliquas poſſeſſiones prædictæ Eccleſiæ tam ultra, quam citra Rhenum vel Ligerim fluvium in pagis, vel territoriis, quæ infra poteſtatem Regni noſtri memorata poſſidet Eccleſia, vel quæ deinceps in jure ipſius ſancti loci voluerit divina Poteſtas augeri; ad Cauſſas audiendas, vel freda, aut tributa, aut Conjectos aliquos exigendos, aut manſiones, aut paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius Eccleſiæ diſtrigendos, aut injuſtas exactiones requirendas, vel telonem exigendum noſtris, & futuris temporibus ingredi audeant.* (q)

Quinta judicatur *in domita Populorum indoles*: ſæpe enim Duces, & Comites in Germania, Gallia, Italia, Ceteriſque Imperii ditionibus feudis jam a Regibus locupletati, beneficiorum obliti arma contra eoſdem movebant, populoſque ad rebellionem excitare moris erat. Reges hac inducti occaſione exiſtimarunt potius Epiſcopis, quam Ducibus feuda concedere. Iis enim ſpes erat, Epiſcopos, qui feudorum poſſeſſione eorum fiebant Vaſalli, fidem, & hominium ipſis juratum religioſius obſervaturos, atque non ſolum copiis,

(q) *Tollere fidejuſſores* in hoc Diplomate, ſicut & in ceteris omnibus, quæ ſemper eadem formula concipi ſolent, nihil aliud eſt, quam cogere uti ſubditi Eccleſiæ, vel in Eccleſiaſtica terra degentes, aut ſtatim ad judicis audientiam pergant, aut judicatum faciant, aut fidejuſſores, ſeu vades præſtent. *Freda* erat compoſitio, quæ fiſco ſolvebatur, quia nondum expenſæ litium in media ætate inductæ erant, Bigno. *ad Marculf. lib.* 1. *cap.* 3. & 20.

Digitized by Google

piis, ſed & excommunicationum pondere contra hoſtes, & perduelles pugnarent. Atque hoc fuit politicum Caroli M. arcanum, quo Eccleſiæ, & Abbatiæ fuerunt repletæ divitiis, P. de Marca de *Concord. lib.* 8. *cap.* 19. §. 2., Ziegl. *de Epiſcop. Milit. cap.* 9., Natal. Alex. *H. E. ſeculo XI. & XII. diſſer.* 4. *art.* 1. *n.* 1., Alteſer. *de Ducibus lib.* 3. *cap.* 6.

Et ſatis oſtendit Willel. Malmesburgen. *lib.* 5. de Geſt. Reg. Angl., *Carolus Magnus pro contundenda Gentium illarum* (Germanorum) *Ferocia pene omnes terras Eccleſiis contulerat, Conſilioſiſſime perpendens, nolle ſacri ordinis homines tam facile, quam laicos fidelitatem Domini rejicere. Præterea ſi laici rebellarent, illos poſſe excommunicationis auctoritate, & potentiæ ſeveritate compeſcere.*

Altera fuit & Cauſſa Monachorum *Scientia* in rebus divinis, atque humanis, qua certe in rudi ſeculo, ceteros præſtabant. *Eſt* elegans exemplum in Monaſterio Laurishamenſe a Cancrone Comite an. DCCLXIV. ædificato, cui & Carolus M., & Pipinus plura & bona, & privilegia conceſſerunt: De eo, inquit, Chron. Laurisham. edit. Struv. apud Freher. *to.* 1. ſcript. German. *p.* 163., *Alii etiam Reges Principes, Comites, ingenui, omniumque Ordinum homines per totum Rheni tractum ad infimam uſque Germaniam habitantes, mirabili ſtudio quaſi certatim illum locum egregie, ac opulenter ditarunt; quin & infimæ plebis homines non modo curas, & operas, ſed etiam omnes fortunas ſuas maximo labore partas ad eundem ampliandum religioſe contulerunt. Unde temporis Succeſſu ipſe in tantum crevit, & in poſſeſſionibus ampliatus fuit, ut cum magno Epiſcopatu, vel Principatu conferre merito poterit.* Quarum donationum Cauſſa fuit non ſanctitas illorum Monachorum, ſed *Scientiarum literatura*, ut ipſum Chroni. inquit.

At cum illi Religioſi his bonis abutarentur, auctoritate ſedis Apoſtol. Frid. II. Imp. attribuit Moguntino Archiepiſcopatui, ſicut docet idem Chroni., *Unde anno Chriſti* 1232. *Fridericus Imperator ſecundus Principatum Monaſterii Laurishamenſis cum omni honore,* (ideſt feudis) *Vaſallis, Miniſterialibus, Caſtris, Oppidis, proventibus, juribus, & pertinentiis ſuis, quem Abbas ejuſdem loci hujuſque ſemper*

per habuerat, ab eodem Monaſterio tranſtulit, eumque Sigefrido Archiepiſcopo Moguntino, & Eccleſiæ Moguntinæ in perpetuum donavit. Diploma eſt apud Freher. *loc. cit.*

Ambitio Epiſcoporum & Monachorum merito exiſtimatur Cauſſa feuda adquirendi: Hujuſmodi enim homines aulas Principum non modo ob obtinendas majores Eccleſiæ Dignitates, & honores, ſed ad extorquendas vel precibus, blanditiis, vel muneribus, aut obſequiis ab eorum manibus terrarum, & urbium Inveſtituras, ut & Epiſcopatui, & Abbatiæ *Comitis*, vel *Ducis* titulum, quem vehementer ipſi optabant, adjungerent; quod inter ceteros P. Bleſenſi diſplicebat *Epiſt. CII. Deteſtabile quippe eſt in Monacho, ut ſub quocumque Coloris habitu, honore, aut titulo Poteſtatis habeat feuda, ſervos, & ancillas, homagia, & fidelitates, atque ligantias*, (eſt obligationis genus) *ut hominibus angarias, & parangarias ceteraque onera publice functionis imponat.*

Octava Cauſſa fuit *Emtio*: Dum Epiſcopi, ut ſecularibus quoque fuerentur dignitatibus feuda a Ducibus, & Comitibus emebant, Matth. Pariſ. *p. 9.* de Waltero ſcribit, *Walterus Dunelmenſis Antiſtes contra dignitatem pontificalem Curis ſe immiſcens Secularibus Willetmo emit Northambiæ Comitatum, & Vicecomitis agens vices, laicali ſe foro immiſcuit, atque ab omnibus provincialibus tam nobilibus, quam ſervis inſolenter extorſit pecuniam.* Exemplum eſt apud Trithemi. in *Hiſto. Belli. Baver. edit. Struv.* Quod præcipue accidit ætate belli ſacri, Duce Gofredo, contra Saracenos, dum Comites, & Duces ad comparandas copias, parandas opes, & commeatum, eorum feuda Epiſcopis, & Abbatibus vendebant, ob tanti belli magnitudinem. Alteſer. *De Ducibus.*

Ultima demum Cauſſa eſt *Succeſſio*: Epiſcopi enim etſi Sacris induti infulis, jus tamen agnationis non amittebant, quare iis Succeſſio erat in feuda, quæ relinquere eorum Eccleſiis ſolebant. Exemplum affert Hainric. Steronis in Annal. *ad an. 1299. Edit. Struv. Chunradus de Lamppurch ſine liberis moritur, & Caſtrum Lamppurch cum pertinentiis ſuis ad Dominum Conradum Ratiſponenſem Epiſcopum fratrem prædicti Conradi tanquam ad verum heredem*

Digitized by Google

dem devolvitur, & ab eo Ratiſponenſi Eccleſiæ perpetuo donatur, quod etiam Caſtrum multis ſumptibus, & laboribus eſt obtentum.

Hujuſmodi igitur ſunt fontes, ex quibus ingentia Dominia, Ducatus, & Comitatus in Eccleſia ſunt exorta, ſimulque, fugatis virtutibus, germinare ceperunt vitia. Epiſcopi enim, ſpreto & nomine, & ſpirituali munere, nomen *Comitum, & Ducum*, imo & auguſtiſſimum *Majeſtatis* titulum aſſumebant, Mabilon. *de Re Diplom. lib.* 11. *cap. 6. n. 6.*, de quo P. Damian., & Bleſenſis conquerebantur aſſidue; Loricati in Caſtra, atque expeditiones pergebant, ut exempla refet Godefrid. Monach. *in Annal.*, & narrat Aen. Sylv. de ſtatu Europæ ſub Frider. III. *cap.* 28. de Eccleſia Trajectenſi, *Principatus. Eccleſiæ Trajectenſis, Imperatori tantum ſubjicitur, latamque poſſidet terram diverſis Rheni meatibus intercluſam, cui ab Oriente Phryſia, a Meridie Weſtſali junguntur, Hollandia Septemtrionem excipit, ab Occidente Ducatus Gaſtaldiæ Rheno flumine disjungitur Epiſcopus Urbis quadraginta millia pugnatorum, ſi quando neceſſitas ingruit, educit ad bellum.* (*r*) Merito Principes in ſuis do-

(*r*) Hinc jure conqueruntur PP. Concil. Tolet. III. c. 19. *Quia cognovimus Epiſcopos per Parochias ſuas non Sacerdotaliter agere, ſed crudeliter deſævire, & dum ſcriptum ſit, forma eſtote Gregis, non ut Dominantes in Clerum, qui exactiones diæceſi ſuæ vel damna infligunt, ideo cenſemus excepto quod veterum conſtitutiones a Parochiis habere jubent Epiſcopos, ut alia, quæ illis huc uſque præſumta ſunt, denegentur: hoc eſt neque angariis presbyteri, aut Diaconi, neque aliquibus fatigentur indictionibus, ne videantur in Eccleſiam exactores potius, quam Pontifices nominari*, vid. Basnag. *diſſer.* 4. *de Tribun. Eccleſia.* Non quia Epiſcopis non poſſit vel temporalis competere juriſdictio, vel bona poſſidere, ſed quia jura Dei, & Canonum ab eorum ſede deiciuntur propter abuſum vid. joa. Polemar *opuſc. de Civili Cleric. Domi.*, Maiſtre de *Bonis Eccl. lib.* 1. *cap.* 2. Rouſell., ſeu P. de Marca *Hiſt. Juriſd. Pontif. lib.* 5.

miniis amortizationis jus ſanxerunt, vid. Bodin. *de Republ. lib.* 5. *cap.* 2., Ziegl. *de Epiſcop. Milit. cap.* 11.

§. XXVII.

De feudo ligio, & non ligio.

HÆc feudi ſpecies concepta eſt a *Relatione*, quæ in Collectione juris feud. non occurrit, ſed tantum in *Capp. Extraordi. lib.* IV. *cap.* XCIX. *edit.* Cuja. Eam tamen omnes agnoſcunt, ſi Hotom. *diſp. feud. cap.* 7. & Struv. *S. J. F. cap.* 3. *A.* 9. Excipias, qui fictitiam appellant, nihilque a Vaſallitio, quod in ceteris feudis reperitur, differre. Male: nam Homo ligius ſæpe uſurpatur pro quolibet Vaſallo ob illud fidelitatis vinculum; ſæpe pro eo, qui ſe, & ſua Domino devovit, ut erant *Soldurii* apud Gallos, Cæſar *de B. G. lib.* 3. *cap.* 14. Dicitur etiam Homologus, ſive Homologius, ſicut in *l. ul. C. Th. de patroc. Vic.* occurrit Colonus *homologus* a græco ὁμολογία, ideſt *deditio* Cuja. *ad lib.* 4. *f.* 93., Ciron. *ad cap.* 13. 5. *collect. de Cler. non reſid.*

Hinc Vaſallus ligius eſt, qui contra omnes, ne Rege quidem excepto, vel antiquiori domino, fidem, & operam omnem ſuam domino promiſit, Clemen. *pectoralis* de *ſent. etre judic.*, quaſi a *liga*, quæ eſt obligatio aſſidue dominum, cui jurata eſt, adjuvandi. Hæc enim feudi ſpecies eſt arctioris vinculi, & fidei, quæ tam religioſe ſervanda, ut nemini, niſi cui data eſt, exhibenda; Honor. 3. *in d. cap.* 13. *in integra* dixit *ligiam reſidentiam*, quam clerici in ſuis Eccleſiis debent exercere; & D. Bernard. Epiſt. CCCXX. *ligiam fidelitatem*. Hujus inveſtituræ ritus erat Reges, ſuos Vaſallos inveſtire, ligatis in ſignum nexus Clientelaris digitis. (s)

Ex

(s) Sicut Parthis, Perſis, Numidis, ceteris moris erat dextris ædera publice, & privatim firmare, Ovid. Heroid. 2. 5. 31.
ura fides, ubi nunc commiſſaque dextera dextræ?
Quique erat in falſo plurimus ore deus.

Quem

Ex his patet, quid ſit feudum ligium, nempe *in quo Vaſallus fidelitatem Domino contra omnes ſine exceptione promittit*. Et e contra feudum non ligium eſt, *ſi Vaſallus fidelitatem Domino jurat, non indiſtincte, ſed hoc, aut illo excepto*, 11. *f.* 28. § *ul.* Neque hujus fiduciæ diviſio Longobardis fuit ignota, ut ex *d.* 11. *f.* 99. ſatis conſtat, qui moribus eorum non adverſatur; neque in juratis inveſtituris Imperator excipiebatur, ſicut ex formula juramenti Vaſallis præſcripta noviter a *Frider. I. in* 11. *f.* 55. probatur, Jac. Gerckenrod *diſſer. de feud. ligiis* §. 7. Nam feudum ligium Eruditi non modo Galliæ, ſed & Germaniæ, atque Italiæ populis aſſignant; cujus occaſio ita ſe habuit. Cum Germania diu bellis flagraret civilibus, aut ob Cæſarum debilitatem, aut ob regni diſſidia, caſtra in abruptis plerumque montibus extructa, erant receptaculo fugientibus. Indeque Regionum Domini intra fines territorii, hujuſmodi caſtra in feudum dabant, hac lege, ut contra quemcumque pugnarent; interdum, excepto Cæſare, aut nonnullis Toparchiarum Dominis, hinc nata *feuda non ligia*, interdum nemine excepto, unde *feuda ligia* audiri ceperunt, Gercken. *loc. cit.* §. 14. ut in *hiſto. cap.* 5. §. 14. dictum eſt. Quare feudi ligii cauſſa fuit, quia Vaſalli aut debita præſtare ſervitia recuſarent, aut a Dominis deficerent, qui, ut eos cohiberent, ſtrictius fidelitatis vinculum excogitatum fuit; cujus Exempla plura occurrunt apud Lunigium, & in Chartis Germaniæ; unum ſeligo.

Coſmus I. M. Florentiæ Dux a Philippo II. Hiſpaniarum Rege inveſtitus fuit de Civitate Senenſi cum univerſo Senenſi Dominio A. C. MDLVII. in feudum ligium; in qua Inveſtitura mirifice *text. in* 11. *f.* 7. explicatur, atque inter cetera, inquit, *juro ex nunc pro me, & meis deſcendentibus maſculis, & de legitimo natis matrimonio, eſſe, & fore fidelem Vaſallum, & feudatarium immediatum, & ligium Sereniſſimi Regis Philippi &c.* Lunig.

Quem morem, inventis feudis, imitati ſunt Germani, dum Vaſallus junctas manus in manus Domini immitteret ligiam ſpondendo fidem ut Eduardus III. Rex Anglorum præſtitit Philippo Valeſio A. MCCCXXXI. Bodin. *de Republic. lib.* 1. *cap.* 10. vid. Hotom. *diſp. feud. cap. XXIV.*

Digitized by Google

nig. *Ital. Diplom. tom.* 1. *cap.* 3. 53., Sicut olim hujus Regni Monarchæ Clemen. *paſtoralis de Sentent. & re judic.*, Conf. Hotom. *diſp. feud. cap.* 7., & Bodin. de *Republ. lib.* 1. *cap.* 10.

Ad Conſtituendum feudum ligium requiritur (1) ut a Vaſallo homagium præſtetur, contra quemlibet hominem, nullius ſalva fidelitate; (*t*) Si vero Dominus plures reliquit heredes, omnibus ſimul, non tamen ſeparatim Vaſallus tenetur ligiam exhibere fidelitatem; ſi vero Patroni diſſentiant, tunc uni, quem Vaſallus elegerit, fidem dabit; ne plures operas, plura obſequia præſtare pluries cogatur. (2) Ut Inveſtiens non recognoſcat Superiorem, cum Vaſallus contra omnes jurare debet, ſuum Dominum defenſurum. Fateor tamen, olim in Gallia, & Germania, propter maximam Vaſallorum auctoritatem, Reges conceſſiſſe majoribus ſuis Ducibus, & Comitibus, ligiis Vaſallis in bello contra eum uti poſſe, nec feloniæ crimen committebant, ut jure Aragonum Vaſallus feudum commendare poterat Domino, ideſt ad tempus concedere, & interim ei bellum indicere, vid. Dufreſ. in Gloſ. V. *Commendari.* At jure novo, diminuta Ducum poteſtate, nemini, niſi Supremo Principi, ligium Vaſallum habere datum eſt. Hinc fruſtra eſt, quærere, an quis poſſit eſſe ligius Vaſallus duorum? Si ſoli Principi juratur, omnes excluſi intelliguntur, Gronov. *ad Grot. de J. B.*, *& P. lib.* 1. *cap.* 3. §. 23., Ferr. Montan. *de feud. lib.* 1. *cap.* 6., Giphan. *tract. jur. feud. cap.* 4. *n.* 38., H. Piſtor *lib.* 2. *QQ.* 47. *n.* 45. Neque hujuſmodi Clientelæ ſpecies officit libertati, cum ea nihil aliud ſit, *quam ſpecies fœderis inæqualis, de quo egimus, quo alter alteri operam pollicetur, alter alteri præſidium, & tutelam*, inquit, Grot. *loc. cit.*

§. XXVIII.

(*t*) Charta Wilhelmi Regis Scotiæ apud Oſium in Notis ad Albert. Muſſati (eſt in Murat. Scrip. Ital. *to. X.*) *n.* 89. *Wilhelmus Dei gratia Rex Scotiæ devenit Homo ligius Regis Angliæ contra omnes homines, non de Scotia, ſed de omnibus terris ſuis, quas habet in Anglia, & fidelitatem ei fecit, & ligio Domino ſuo, ſicut alii homines ipſi facere ſolent, ſimiliter fecit homagium Henrico filio Regis, ſalva fide Domini Regis Patris ſui.*

Digitized by Google

§. XXVIII.

De feudo emptitio, & maſculino.

FEudum emptitium eſt, *dum pretio interveniente, contractu emptionis adquiritur, & conſtituitur*. Hoc feudum juri Longobardo ignotum non eſt 1. *f.* 1. §. *fin.* 1. *f.* 16. 1. *f.* 7. 1. *f.* 20. 11. *f.* 12., quamvis, perpenſa feudorum origine, in Clientelis conſtituendis, non pretium, ſed meritum, & labor Vaſalli conſiderabatur, & amor, & liberalitas Principis; uſu tamen poſtea receptum eſt, poſſe feuda emi, ut ex *dd. text.*, patet, *Curt. P.* 11. *Q. v. n.* 38., Jul. Clar. §. *feudum Q.* 16., Zaſi. *P. XII. n.* 19., Alver. *in* 1. *f.* 20. *n.* 3., Hotom. *diſput. feud. cap.* 17., Andr. *in* 1. *f.* 20. *n.* 3.

Quæſitum eſt, an feudum emptitium ſit proprium, an improprium? Univerſa pene Interpretum Schola tenet, improprium eſſe, quum pecunia fuerit adquiſitum, quæ feudi lædit naturam, ideſt qualitatem initio Erectionis ſibi *innatam*. At Sonsbec. *P. II. n.* 8., & Struv. *S. J. F. cap.* 4. *A.* 15. *n.* 2. defendunt eſſe proprium. Recte: (1) licet Vaſallus emat a Domino Clientelare prædium, vel jus, pretio Communi, aut minori; tamen Semper prædium illud vocatur *beneficium*, propter effectus, quos præſefert, videlicet Dignitatem, Honorem, Protectionem, & jura, quæ ex tali fluunt infeudatione. Exemplo mandati, quod quamvis debeat eſſe *gratuitum*. §. 13. *Inſt. de Mand.*, nihilominus recipere poteſt Honorarium, *l.* 1. & 17. *C. Mand. l. 6. D. eo.*, Cicer. Orat. *pro Roſcio*, inquit, *ſi nihil aliud fecerunt, nonne ſatis fuit bis gratias agi; denique ut perliberaliter ageretur, aliquid honoris haberit?*

(2) Non requiritur ad indolem beneficii, ut ſit gratuitum, quum ſatis ſit, ſi gaudium accipienti afferat, & utilitatem, finge: Si vendo tibi feudum, quod valet mille, minori pretio, recte vocatur *beneficium*, ſicut Manumiſſio, quæ pretio accepto celebratur, Marcellus *in l.* 3. *D. de obſeq. Paren.* appellat *beneficium*, quia denominatio fit ab eo, quod plurimum poteſt *l.* 57. *D. de Contrab. Empt.* (3) Datio pecuniæ non reſpicit naturam feudi, ſed potius modum, quo feudum Conſtituitur, quum ſemper

per adſit & liberalitas Inveſtientis, & Utilitas Inveſtiti, Lyncker *diſſert. de feud. Pecun.* §. 3., Stryck. *diſſert. de feud. Pignorat. cap.* 1. §. 6. Marta *de Juriſdict. Caſu CLXXX. n.* 7. Conf. Cujac. *in* 1. *f.* 1. §. *item illud*.

Obſtat Feudiſta in 1. *f.* 27. ibi, *feudum enim non ſub prætextu pecuniæ, ſed amore, & honore Domini adquirendum eſt*. At feudiſta intelligendus in ſpecie, de qua lòquitur, nempe de lege Commiſſoria, quæ in venditione, & pignore apponi poteſt. In venditione, puta ſi ad diem pretium non ſolverit emptor, venditio nulla ſit, & dominium rei ad venditorem redeat, quæ lex ſeu pactum (*u*) in venditione juſtum eſt. In pignore, ut ſi pecunia ad diem ſoluta non ſit, pignus in ſecuritatem Creditori datum, apud eundem remaneat. Hæc Conventio jure veteri juſta erat, ſed eam primus prohibuit Conſtantin. *in l. ul. C. de Pact. pign.* propter iniquitatem, quæ continet, quum ſæpe res oppignorata ſuperet debitam quantitatem, & ea adquiritur pleno jure Creditori, Ant. Perez *ad tit. C. eo. n.* 4. *jac.* Wiſſenbac. *in Vindic. Theſi. de Mutuo ad v.* Atque hæc lex Commiſſoria etiam in feudis reprobatur, quia *feudum non prætextu pecuniæ, ſed amore, & bonore Domini ſit adquirendum d. tit.* 27. quæ ratio improbat pactum Commiſſorium, ſed non prohibet emptionem, reiicit Calliditatem, & Captionem Creditoris, non feudum emptitium; quum amor, & honor, & benevolentia etiam in feudo emptitio reperiatur, Andr. & Alvero. *in d. tit.* 27. Conf. Hotom. *Diſp. feud. cap.* 27. Denique hodie moribus Gentium feuda titulo emptionis adquiruntur, quæ conſuetudo vetuſtiſſima in Europa fuit, qua Duces, & Epiſcopi, pretio dato, feuda a Principe emebant, Conrig. *Exercit. IV. De Ducibus n.* 22.

P. Lu-

(*u*) Male Interpretes dicunt *pactum legis Commiſſoriæ*. Lex enim ſignificat hic pactum. Unde miror Salmaſium qui terſiſſime ſcribit, & Cujacium, cum feculentis Pragmaticis ita loqui; etſi Innoc. III. *cap.* 7. *de Pigno.* hac utetur locutione, recte tamen Zaſi. Singul. *lib.* 11. *ad tit. de Cenſibus*, inquit: *Sed Sanctitatem, & jure Canonico requirimus, non latinitatis puritatem*.

Digitized by Google

P. Ludewig. *lib.* II. *opuſc.* II. 19. exempla dat Thomas. *de V. & N. E. D. P. III. lib.* I. *cap.* 31. *n.* II.

Feudum maſculinum duplici modo dicitur; vel quia ad maſculos tantum tranſit, fæminis excluſis, vel quod primum a maſculis quæſitum eſt, hac tamen lege, ut ad fæminas etiam tranſeat, I. *f.* I. *hoc autem* 3., II. *f.* 17., Giphan. *tract. jur. feud. cap.* 4. *n.* 34. Sonsbec. *P.* 3. *n.* 23., jac. a S. Georg. *de feudis* §. *in feudum n.* 16. Et quamvis in inveſtitura fæminarum facta fuerit mentio, tamen non ſuccedunt, etſi ſint proximiores, niſi deficientibus maſculis, I. *f.* 6. §. *quin etiam*. Quæſitum eſt an feudum generaliter præſumatur *maſculinum*, an *femininum*? Placet præſumi maſculinum, II. *f.* 2. §. *fin.*, II. *f.* 50., niſi adſit pactum, quod, quia inſolitum eſt, neque præſumendum, niſi probetur. Duæ enim pugnant rationes, cur in perpetua feudorum Succeſſione, maſculi aſſidue præferantur, *Militia*, & *familia*. Feudorum vetuſta origo fuit Militia, & militare Servitium, quod a fæmina præſtari non poteſt; familia, quæ non a fæminis, ſed a maribus conſervatur *l.* 196. *D. de V. S.* H. Piſtor *lib.* II. *QQ.* 34. *n.* 34., *Vinc. Cabot. lib.* I. *diſput. jur. public. cap.* XIX. Præterea omne feudum præſumitur proprium, rectum, ſimplex; at feudum fæmineum improprium eſt; maſculinum proprium tum origine, tum ſucceſſione, I. *f.* 4. §. 3. II. *f.* 2. §. *fin.* I. *f.* 15. H. Grot. *lib.* II. *de J. B. & P.* §. 17. Gribner. *diſſer. de feud. improp. maſcul.* §. I. Ludov. Mencken. *diſſer. de Præſump. feud. maſcul.* §. I. & 2. & lex Aleman. *feud. cap.* I. §. 4. *Clerici, Mulieres, & agricolæ, & omnes, qui ſunt infamia notati, illi omnes carent jure feudali*. Dicam *lib.* 4.

Digitized by Google

§. XXIX.

De feudo Curtis, & extra Curtem.

EX loci *conſideratione* hæc feudi ſpecies nata eſt, & patet in 11. *f.* 51., 1. *f.* 7. §. *fin.*, 1. *f.* 5. *in fin.* At, ut hujuſmodi cognoſcatur feudum, oportet explicare nomen *Curtis*. Vox Curtis deduci videtur ab Hebræo גור *gur* ideſt *habitavit*. Alii a priſca voce *cors*, hoc eſt locus concluſus ſub Dio ante ædes præſertim Principum, ſicut *Gord* Ruſſi vocant Caſtrum muro cinctum, & roboribus munitum. Hinc plurimæ Urbes deſinunt in *Gorod*, ut jamogorod, juvanogorod &c. Sicut a burgis, aut locis fontibus potiſſimum ſeptis nomenclatura eſt in nonnullis Germaniæ Urbibus, ut Maldenburg, Padelbrun, vid. Munſter. in *Geograph. lib.* 8. *p. m.* 377. (*x*) Chriſtian. vero Rehfeldtius *diſſer. de feud. in Curt. & extra Curt.* §. 3. *cap.* 1. deducit a *Chortar*, vel *Chortres*, ideſt *Grex*; alii *Chortem* ſumunt pro ſepto pullorum, vid. Lipſi. *de Re Milit. lib.* 11. *dial.* 4.

Hæc vox plura oſtendit, (1) habitaculum ruſticum cum prædiis, ſive manſo, Flodoard. in Chron. ad A. 927. *Quidam presbyter de Bononis Curte, ſic enim villa vocatur*, Petr. Beneventan. apud Pithæo *in Glos. legis Salic. Curtis vulgare eſt Gallorum, ſicut manſus Italorum*, & in Diplomate Caroli R. pro Corbejæ Cænobio, *Villas, ſeu Curtes, vel ea quæ deinceps in parte ipſius eccleſiæ voluerit divina pietas augeri*, vid. Bigno. in Append. ad Marculf. *cap.* 44. (2) Fiſcum Regis, *lib.* 11. *ll.* Longob. *tit.* 2. *l.* 9.

(*x*) Unde *Burgundiones*, de quibus, inquit, Bulenger. de Imp. & Imper. Rom. *lib.* 3. *cap.* 9. *Burgundionum quoque novorum hoſtium cepit nomen novum, qui pluſquam* 80. *millia, ut fertur, armatorum, ripæ Rheni fluminis inſederunt. Hos quondam, ſubacta Germania interiore a Druſo, & Tiberio adoptivis filiis Cæſaris, per Caſtra diſpoſitos in magnam coaluiſſe gentem, atque ita etiam nomen x opere præſumpſiſſe, quia Crebra per limitem habitacula, conſtituta burgos vulgo vocant.*

Digitized by Google

l. 9. Compoſitionem duplicem exigebant ab hominibus, qui ad ipſa Venerabilia loca componere debebant, ſicut Curtis regia exigere videtur, & *lib.* 2. 10. *l.* 1. & 14. *l.* 1. ubi Carol. de Tocco., (3) territorium, ſive diſtrictum, lex Bajuvario. *tit.* 8. 2. *Etſi in Eccleſia, vel infra Curtem Ducis, vel infra Baſilicam, vel in mulino aliquid juraverit, trinjungeldo componat, hoc eſt ter novem reddat*, Conf. Mureto. *diſſert.* 17. Hinc Curtis *Dominica*, quæ pene a quolibet privato in ſuis fundis tenebatur, in qua jus dicebat ſuis Miniſterialibus, & ſic nata juriſdictio *patrimonialis*, de qua *lib.* 11. vid. Heinec. *Elem. jur. Germ. lib.* 3. §. 38. *in not.* Præcipue tamen nomen *Curtis* Significat fundum, vel aulam Domini, vel res ad eam pertinentes, ut Anonym. Salernit. *in Cron. cap. CLXXII.* affert Catalogum prædiorum Potonis viri ditiſſimi, eaque vocat *Curtes*. Vel prædiorum copiam, in quibus ſæpe erat Eccleſia, & Caſtrum, ut exemplis probat Murat. *diſſert. XI.*

Præcognitis his, inquiritur, quid ſit feudum in Curte? Certant Interpp. Placet multis illud dici, quod eſt intra Territorium, ſive diſtrictum Domini. Male: In feudis enim non inſpicitur diverſitas Territorii; cum ubicumque ſint; ſemper eundem recognoſcunt Dominum; hinc *Pares Curiæ* dicti, qui eundem Dominum venerantur, conf. Rehfel. *loc. cit.* §. 5. Rectius igitur feudum Curtis eſt, *dum fundus, vel reditus, vel jus ad Curiam Domini ſpectans, in feudum conceditur*, ut videre eſt in 1. *f.* 4. §. *ſi quis de Manſo uno feudi nomine inveſtituram acceperit, & dixerit, quod omne incrementum pertineat ad eum per inveſtituram: Si Dominus reſervaverit ſibi aliquid in ipſa Curte, tunc oportebit fidelem incrementi inveſtituram per Pares Curtis, vel breve teſtatum probare*. In quo textu diſtinguitur Manſus a Curte; Curtis eſt pars manſi, ſicut Villa eſt pars fundi. Nam Manſus (a quo *Maſſaria* apud Caſſiodo.) Continet terras cultas, incultas, ædificia, areas, prata, paſcua, aquas, aquarum decurſus, piſcationes, Silvas, Venationes, cetera, Diplom. Henrici Imp. apud Lindenbrog. *in Glos. V. Manſus*. Hujuſmodi incultas Manſi partes in Emphyteuſim dari moris erat, ut cultæ jure feudi a Vaſallis poſſiderentur, Conf. Struv. *S. J. F. cap.* 4. *A.* 18. *n.* 7. Henr. Gottlieb. Francki. Obſer. *de Comparat. feud. Curt. & extra Curt. &c.*

Feudum extra Curtem quid ſit, DD. etiam diſſentiunt, ut teſtis eſt Intrigl. *de feud. cent.* 1. *Q.* 52. *n.* 11. Recte Guliel. de

Digitized by Google

Geobal *differ. de feud. Cur. & extra Curt. ſect.* 11. §. 1. definit; *eſt res a Domino extra territorium Vaſallo ſub lege fidelitatis, & aliquando etiam præſtandorum ſervitiorum conceſſa*. Nemini enim dubium eſt, dari poſſe dominium directum in alieno territorio, ſicut jus patro; jus Advocatiæ, jus deprehendendi delinquentes, jura regalia, cetera. Quæ jura præcipue jactant Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Abbatiſſæ, Prælati, Eccleſiæ, quorum Cauſſa in Barbarorum ævo, ex oblationibus allodiorum in feuda videtur repetenda; cum quiſque vel ob vim, metum, vel neceſſitatem bona ſua allodialia ſub Protectione hujuſmodi Perſonarum jure feudi locabant, Burchard. Struv. *Comment. de Domino directo in Territ. alien.* §. 5.

Exempla feudorum extra Curtem plura occurrunt, ut Bohemia magnum feudorum extra Curtem in Germania numerum poſſidet; reperiuntur & in Bavaria, Palatinatu, Saxonia, Marchia Brandenburgica, Ducatu Wrſenburgico, alia affert exempla Goebel. *loc. cit.* §. 7. Huc referenda ſunt Regna, & plurimæ Dynaſtiæ, quæ vel metu, vel nomine Religionis fiduciario vinculo ſedi apoſtolicæ ſe addicebant. (*y*) Eccleſiaſtici quoque, ſicut

(*y*) Potentiſſima olim Regna, Hiſpaniæ, Galliæ, Britanniæ, Scotiæ, Irlandiæ, Sveciæ, Poloniæ, Hungariæ, Corſicæ, Sardiniæ, Siciliæ, Aragoniæ, Angliæ, Portugalliæ, Bohemiæ, cetera, tanquam feuda Pontificis habebantur arctiſſimo fidelitatis, & obſequii vinculo nexa, Bodin. *de Republ. lib.* 1. *cap.* 10., Thomas. *de V. & N. E. D. P.* 3. *lib.* 1. *cap.* 32. Rationem reddit P. Ludewig. *lib.* 1. *feud. Opuſc.* 3. *in not.* (*c*) *Quoniam omnibus juris publici Doctoribus uſque ad Carolum V. perſuaſum fuit, Romanum Imperatorem non prius, quam a Pontifice Romano Coronatus ſit, imperatorio titulo dignum eſſe; quamquam hæc opinio nullum unquam neque fundamentum, neque adſenſum in Romano Imperio habuerit. Quantopere Romani Pontifices poſt Caroli V. tempora, quibus intermitti cæpit Unctio Romana, impletionem Capitulationis ubi Pontifici ſpes ad eam fit, urgeant, haud facile quiſquam ignorabit*. Ego tamen preter hanc Ludewigii rationem, tres alias agnoſco, nempe *Impetum Pietatis* Regnantium, ut ſcriptum eſt de Stephano Hungariæ Rege, *Extenſionem Dominii*, ut de Aragonen-

Digitized by Google

cut & Seculares Proceres in Germania etiam habent hujus generis feuda, ita elector Moguntinus in Thuringia; Domus Brunsvicenſis in Epiſcopatu Paderbornenſi, & Comitatu Lippiaco, Goebel. *loc. cit.* §. 7. *& ſeqq.* Ex his colligitur, feuda in Curte, & extra Curtem a quolibet erigi, & conſtitui poſſe, ſive ſint Eccleſiaſtici, ſive Seculares, ſive publicæ, ſive privatæ perſonæ, Rehfel. *loc. cit.* §. 6. Atque errant potiſſimum, qui negant dari feudum extra Curtem, cujus magna eſt in Germania multitudo, cum in ea juriſdictiones aſſidue confundantur; recte itaque Henr. Gribner. *diſſert. de Domin. direct. in alieno Territ.* §. 1. inquit, *Dari feuda in alieno Territorio, Dominica directa ſine ſuperioritate Territoriali, Vaſallos, qui ejuſdem prædii Cauſſa duobus Dominis, diſpari vinculo, fidelitatis uni, alteri ſubjectionis ſubſint, ipſe rerum uſus ſatis docet.*

§. XXX.

De feudis Oblatis.

OMne feudum vel datum, vel oblatum eſt: De feudis datis loquitur jus longobardum; ſed an etiam de feudis oblatis; Eruditis adhuc non ſedet. Nonnullis viſum eſt feudiſtam de eo meminiſſe in 11. *f.* 17. 11. *f.* 23. 11. *f.* 54. At in his textibus ne vola quidem mihi videtur eſſe feudi oblati, quod ſi jure longobard. fuiſſe cognitum, de eo Imperatores Italiæ, & Sapientes Lombardiæ vel legibus, vel votis locuti eſſent, conſ. Ludew. *lib.* 11. *feud. Opuſc.* 3. *diſſer.* 1. *in not.* (*aa*) Feudum obla-

---

gonenſibus teſtatur Hiſtoria, qui ad regnorum recuperationem, Pontificum Romanorum fiduciarios ſe fore ſpondebant, & *venerationem, metumque Pontificiæ interdictionis*, qua Reges non modo ſubditis, ſed & exteris Principibus, ac populis execrabiles videbantur, eorum ditio direptioni patebat, neque veniæ locus erat, niſi fiduciarios ſe R. Pontificis confiterentur. Hinc hominia, annui Cenſus, feuda oblata, aliave Subjectionis Symbola exorta.

Digitized by Google

oblatum deſcribi poteſt, *dum quis rem ſuam ita alteri obtulit, ut remanente dominio directo penes eum, cui facta eſt oblatio, offerens una cum heredibus ſuis dominium utile in poſterum ab eodem ſub nexu fidelitatis juxta Inveſtituræ tenorem teneat*, inquit Xaver. Neuman de Pucholtz *de feudis Bohemit. diſſert.* 4. §. 1. Comparari poteſt *Fiduciæ*, qua veteres Romani utebantur, quoad fidem, quæ in ſecunda conditione requiritur. Fiducia enim erat, quum res aliqua alicui mancipаretur, hac lege, ut remanciparet, Iſido. *N. Orig. cap.* 25. Wiſſenbac. in *Vindic. Tert. de Mutuo ad* 5. Schulting. *ad lib.* 11. *Paul.* 13. De ea fit mentio in *l.* 2. *ll. longob. lib.* 11. *tit.* 29. & *in l.* 3. *ll. longob. lib.* 11. *tit.* 16.

Origo feudorum oblatorum vetuſtiſſima eſt, præſertim in Germaniæ provinciis, quæ ſive Eccleſiaſticis parent Principibus, ſive laicis ſubſunt Dynaſtiis, potius oblatis abundant feudis, quam datis; ut Lotharingia, Brabantia, Limburgum, Juliacum, Luxenburgum, Hannovia Sunt feuda oblata Leodienſi. Archiepiſcopatui Colonienſi ſunt Duces Cliviæ, Principes Naſſaviæ, Comites Wedani, qui ab ipſo feuda hujus generis tenent. Epiſcopus Ultrajectinus innumeros poſſidet Clientes, cujus Curia illuſtrior vix eſſe videtur in orbe Romano, P. Ludewig. *lib.* 11. *feud. Opuſc.* 1. *cap.* 2. §. 1. & 5. Bohemiæ Regi plura etiam adſunt feuda oblata, de quo idem Ludew. *lib.* 11. *feud. Opuſc.* 1. *cap.* 2. inquit, *Boleslaus Balbinus teſtatur, in molem maximi voluminis nomina adſurgere eorum, qui feuda, atque allodia imperialia Bohemiæ Regi obtulerunt, agnoverintque illum ſubdominum, & judicem Clientelarium Cauſſarum.*

Ita & Comitatus Pleſſenſis, Landgraviatus Haſſiæ, Comitatus Loppiaci aliique, qui prius allodiales erant, in quibus patrimonialis a Domino exercebatur juriſdictio, ut Ottho de Lüneburg. an. 1235. obtulit Imp. Frid. II. bona ſua in feudum, his verbis; *Nominatus Ottho de Lüneburg flexis genibus coram nobis, omni odio, & rancore poſtpoſitis, quæ inter proavos noſtros exiſtere potuerunt, ſe totum in manibus noſtris expoſuit: noſtris ſtare beneplacitis, & mandatis, & inſuper proprium Caſtrum ſuum Lüneburg., quod idiomate teutonico vocatur Eigen, cum multis aliis Caſtris, terris, & hominibus eidem Caſtro pertinentibus, in noſtram proprietatem, & dominium ſpecialiter aſſignavit, ut de eo, quicquid nobis placeret, tanquam de noſtro proprio faceremus; nos autem qui tene-*

tenemur modis omnibus imperium augmentare, prædictum Caſtrum Lüneburg cum omnibus Caſtris pertinentibus, & hominibus ſuis, quemadmodum ex ejuſdem Ottonis aſſignatione in proprietatem accepimus, in præſentia Principum in Imperium tranſtulimus, & conceſſimus, ut per Imperium infeudari debeat, referente Stryki. *to.* 7. *oper. diſp.* 14. *cap.* 3. *n.* 35.

Alterum Exemplum eſt, apud Lunig. *in Ital. Diplom. to.* 3. *p. m.* 987. *A. MCCCXXXVII.* ubi Eduardus Dominus Bellijoci offert bona ſua allodialia Aymoni Sabaudiæ Comiti —— *Aſſerens idem Dominus Bellijoci, & confitens in Contractu Donationis pręſentis prędicta Caſtra*, (ideſt Caſtra de Lent, de Toyſſeijs, de Buenco, & de Coloniaco) *Villas, loca, & alia ſupra donata eſſe allodialia, & ab antiquo fuiſſe, & Prædeceſſores ſuos habuiſſe, & hactenus poſſediſſe, Caſtra, & loca prædicta, cum pręđictis omnibus, ut ſupra donatis, per ipſum tanquam allodialia, & libera ab omni onere ſervitutis, mandans, cedens, transferens, & attendens dictus Dominus Bellijoci, pro ſe, & ſuis, dicto Domino Comiti pro ſe, & ſuis recipienti, ac in ipſum transferens, & ſingulas actiones reales, perſonales, utiles, & directas, & alias quaſcumque ipſi Domino Bellijoci pertinentes, in Caſtris, villis, territoriis, mandamentis, & aliis ſupradictis donatis, ut ſupra. Deveſtiens ſe dictus Dominus Bellijoci, & dictum Dominum Comitem prædictis nominibus, inveſtiens de Caſtris, villis, & locis ſupradictis, donatis, ut ſupra, conſtituens ipſe Dominus Bellijoci dictum Dominum Comitem prædictis nominibus in Caſtris, villis, locis, territoriis, mandamentis, & aliis ſupradictis, ut ſupra, verum, & purum Dominum in rem ſuam renuncians idem Dominus Bellijoci ex ſua Scientia in hoc facto exceptioni dictę donationis non factæ, &c.*

Poſtea præſtat hominium, uti verus Vaſallus, promittit adjuvare Comitem Sabaudiæ, & gerere, quæ in forma fidelitatis continentur; & ſubdit, *Salvis, & exceptis fidelitatibus, in quibus idem Dominus Bellijoci tenetur Dominis francorum Regi, Duci Burgundiæ, Duci Borbonenſium, Archiepiſcopo Lugduni, & Cluniacenſi, ac Inſulę Barbarę Abbatibus confidens, ac aſſerens dictus Dominus Bellijoci, pro ſe, ſuiſque Succeſſoribus Dominis Bellijoci, ſe tenere, tenere velle, & tenere debere a dicto Domino Comite, ſuiſque Succeſſoribus Sabaudię Comitibus, Caſtra quatuor ſupra dicta, de Lent, de Toyſſeiis, de Buenco, & de Coloniaco, cum*

eorum

eorum territoriis, diſtrictibus, mandamentis, juribus, pertinentiis, rationibus, & actionibus univerſis, & omnibus pariter eidem Domino Bellijoci, per dictum Dominum Comitem donatis, ut ſupra in feudum ligium, nobile, & antiquum, de feudo, & directo Dominis dicti Domini Sabaudię Comitis, & ſuorum Succeſſorum, ut ſupra, ſub homagio ſupradicto &c. &c. Vix vero in Italia hujus generis feuda occurrunt, & in Lunigio, ni decipiam, me nihil aliud legiſſe fateor; infinita propemodum in Germania viſuntur.

§. XXXI.

De Cauſſis, & Proprietate feudi oblati.

CAuſſas feudi oblati Pucholtz *loc. cit.* §. 5. ſeptem recenſet, nempe metum rei ſuæ amittendæ, devotionem erga Eccleſias, potentiam Epiſcoporum, bella civilia, pecuniarum egeſtatem, ſuæ familiæ conſulere, atque obedientiam populi. Prima igitur finalis Cauſſa fuit *metus* patrimonium ſuum amittendi; Nam in perturbatis Imperatorum juribus, atque uſurpatis, quiſque in Germania dominatum appetebat; undique rapinæ, furta, invaſiones, cædes, oppreſſiones videbantur, præſertim in Comitibus, & Ducibus, qui tanta pollere ceperunt poteſtate, ut ſubditos tanquam mancipia poſſiderent; qua de re ne bona ſua quis ab aliis diripi videret, ea Potentiori alicui, vel Adverſario, cum proprio marte ſervare non poterat, per amicabilem compoſitionem, retento utili dominio, offerebat; ut Liv. *lib.* 1. de Patribus, qui fremitum Plebis timebant, ait, *Offerendum ultro rati, quod amiſſuri erant*. Principes enim, & Privati in Germania poſſidebant Præfecturas, & Diſtrictus jure allodii, quas, cum defendere nequirent Potentioribus offerebant, ut probatum eſt a Stryki. *to.7. oper. diſp.*14. Erga Eccleſias *Devotio*; Religio enim erat, bona Eccleſiis offerendi, ut ſecurius vel a manibus Potentum, vel ab omni alio periculo conſervarentur, quum tanquam bona Eccleſiaſtica tunc temporis culta æſtimari moris eſſet. *Potentia* Epiſcoporum, a quibus feuda offerentes, alia viciſſim expectabant beneficia. Et quia ob magnam Prælatorum poteſtatem facilius a rapinis ſe ſubtrahebant. *Bella Civilia*, in quibus adeo Germaniæ ſtatus perturbari viſus eſt, ut judiciorum vis, Magiſtra-

Digitized by Google

ſtratuum poteſtas, & legum Auctoritas, præſertim poſt Frider. II. obitum, infringeretur. *Unde*, inquit Pucholiz *loc. cit.* §. 5., *Eveniebat, ut non modo libera Imperii nobilitas, ſed & Duces, ac Comites Imperii, ad obtinendam contra Potentiores vicinos Protectionem, territoria ſua aliis Potentioribus in feudum offerrent, hacce via, translato in alium directo dominio, ſecuritatem defenſionis conſequturi. Qua ratione factum ut Rex Bohemiæ præ ceteris Potentiſſimus, plurima feuda Regionibus Saxonicis, Palatinis, & Franconicis, ac aliis immixta, titulo voluntariæ oblationis cum ſequela, & apertura ſibi ſtrictis, & propriis feudi legibus conſequutus ſit, quamvis perſæpe etiam pretium offerentibus fuerit numeratum.*

Iis enim perturbatis Imperii Ordinibus, quisque infirmior, qui ſuæ, bonorum ſuorum defenſioni ſatis non erat, metu hoſtilis incurſionis, & depopulationis ſe, & bona ſua in tutelam alicujus Potentioris conferebat, certiſque pactis, bonorum ſuorum allodialium directum dominium transferre recuſatio non erat, retento uſufructu ſibi, & ſuis heredibus. Aliquando hic metus, atque incurſio in ferebatur a Victore Principe, qui victos cogebat ſe, & bona ſua in Clientelam eidem trahere, & in poſterum tanquam feudalia, aliove affecta onere tenere, ut ex Ant. Contio *de feud. cap.* 9. & Mager. *de Advoc. Armat. cap. 9. n. 695. & 697. Conſtat.* Non raro etiam erectioni feudi oblati cauſſam dabat *pecuniæ egeſtas*, dum quis obæratus, nequiret æs alienum ſolvere, bona ſua alicui diviti offerebat, a quo, accepta pecunia, & retento utili dominio, Vaſallus in ſuis bonis evaderet. Vel ut jus primogenituræ in ſua familia induceret; Vel populos magis ſub obedientia teneret. Ego octavam addo, nempe ambitionem nobilitatem adquirendi, & nomen, & dignitatem, & jura veri Vaſalli, atque in aula Principum & Procerum morandi.

Stryk. etiam *loc. cit. n.* 32. alias enarrat occaſiones, *Ratio quoque aliqua eſſe potuit quare Principes imprimis Imperatoribus bona ſua offerebant, & ab his tanquam feudum iterum recipiebant, ut Imperator ſimul de aliis Provinciis illos inveſtiret, & ita beneficium cum beneficio compenſaret. Nec minima oblationis Cauſſa fuiſſe videtur, quod per ſæpius iteratam diviſionem, quæ in allodialibus bonis fiebat, ampliſſimæ familiæ ad inopiam Vergerent cui malo optime oc-*

Digitized by Google

curri poterat, in feudum bona offerendo, ubi fœminæ ad Succeſſionem amplius non admittebantur.

Animadvertendum: in Conſtitutione feudi oblati pacta adjiciebantur, ut nempe illud teneretur uti feudum nobile, ligium, non ligium, ſeculare, Eccleſiaſticum, antiquum, regale, &c. quæque ſummam utilitatem, & dignitatem offerenti adjungebant, ut ex dicto exemplo patet. Sed quia Poteſtas Summi Principis non levem patiebatur jacturam, idcirco in antiquis monumentis ſæpe Cæſaris conſenſum legimus interveniſſe, P. Ludew. *lib.* II. *feud. Opuſc.* I. *cap.* 2. Denique hujuſmodi feuda eſſe propria nemo ſanus negat, cum in conſtituenda Clientela non inſpicitur an liberalitas Domini adfuit, an Vaſalli, ſicut jure civili in translatione dominii non attenditur titulus, an lucrativus fuerit, an oneroſus. Sed tantum, quomodo prædium, cui prius nullum erat onus, feudalitatem, ut loqui fas eſt, adquiſierit, etſi pactis propria feudorum natura lædi poſſit.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VIII.

DE FEUDIS IMPROPRIIS.

§. XXXII.

De ſeudo Pecuniario.

ACtum ſupra eſt de feudis propriis, properandum nunc ad Impropria, & primum de feudo pecuniario. Pecunia a Pecude dicta eſt Columel. *in præfat. l. 6. de R. R. quoniam id ſolum veteres poſſiderunt, & adhuc apud quaſdam Gentes unum hoc uſurpatur divitiarum genus*; & Serv. in Eclo. 1. 5. 29., unde omne patrimonium apud antiquos peculium dicebatur, atque in Capp. RR. Francorum ſumitur pro *animalibus, ut to. 1. p. m. 132. 9. edit. Balut. Niſi forte vitium invenerit, quod ille venditor celavit, hoc eſt in Mancipio, aut in Caballo, aut in qualicumque Peculio, ideſt aut cæcum, aut bernioſum, aut Caducum, aut leproſum*. Veteribus itaque omnis eorum poſſeſſio in pecoribus erat, ſicut de Turchis, & Turchoman. teſtatur Bernard Theſaurar. *de adquiſit. Terræ Sanctæ cap.* 5. *Unaquaque Tribus ſuo Duci obediebat: omnia eorum ſupellectilia ſecum deferebant. In pecoribus erat omnis eorum poſſeſſio divitiarum*. Apud Ictos ſumitur pro bonis tam Reipubl., quam privatorum *l.* 5. 4. 178. & 222. *D. de V. S.* Strictius accipitur pro pecunia numerata *l.* 88. *D. de V. S. l.* 1. *D.* ad Macedo.

Feudum igitur Pecuniarium eſt, *beneficium a Domino Vaſallo in pecunia cum jure percipiendi fructus ſub fidelitatis lege conceſſum* Charta Hugonis Ducis Brabantiæ A. MCCIV. apud Dufres. in Glos. h. voce, *Prædictus autem Dominus Philippus mibi aſſignavit in feudo* 200. *marcas argenti ſingulis annis percipiendas in Purificatione B. Mariæ*. Aliud elegans exemplum feudi Pecuniarii exhibet Joa. Trithem. *in Hiſt. Belli Bavari. ad an.* 1460. peracto fædere inter Fridericum Comitem Palatinum, & Ludovicum Ducem. *Dux Ludovicus mediam partem quingentorum*

florentinorum, quos annue cedentes babet in Telonio Bacharacenſi, Palatino jam remittet, ac deinceps perpetuo non repetet, vel ipſe, vel heres in æternum: aliam vero medietatem a Palatinis Comitibus in feudum cui unquam renunciare poſſit, ſuſcipere ſit jure perpetuo aſtrictus. Eſtque improprium, cum regularis natura feudi ſit in re immobili conſiſtere II. *f.* 23. §. *hujus autem generis.* Ornatur tamen ſubſtantia feudi, quæ eſt fidelitas. Antiquitus enim, vel neceſſitate, vel egeſtate, vel conſuetudine ſuadente, præſertim ſeculo XI. & XII. nulla res, jus nullum reperiebatur, cui feudalis nexus non adjungeretur; hinc etiam in Apum examine, feudum conſtituebatur, *ut lib.* II. *dicet*. Et ex his patere poteſt primæva hujus feudi inſtitutio. Olim iis qui domi, militiæque præclara geſſerunt, dabantur prædia jure Salarii, deinde jure feudi, quia nummorum Copia, propter ſeculi paupertátem, vix erat, ut de Chlodoveo teſtatur Greg. Turon. *in Præfat. ad lib.* 5. Recordamini, *quid Caput Victoriarum veſtrarum Chlodoveus fecerit, qui adverſos Reges interfecit, noxias gentes eliſit, patrias gentes ſubjugavit, quarum regnum nobis integrum, illæſumque reliquit, &, cum hoc faceret, neque aurum, neque argentum, ſicut nunc eſt, in Theſauris veſtris, habebat.*, Conſ. Valeſi. *de Rebus Franc. lib.* 7.

Hanc Principum Germaniæ paupertatem eleganter Spener. diſſer. *de Conſuetud. feud. matre* §. 4. deſcribit, *Nummorum magna in priſcis Germanis erat inopia. Dum vellent fidos ſibi Clientes obligare Principes, aut opulentiores ex populo ali, quid agerent? Sane antiquitus illis loco mercedis, victus, convictus, cultus, largique apparatus concedendi fuerant, quid ultra? armis, equis opus erat militiæ, in qua Dominum ſequerentur Comites. His etiam ornare Clientes boni mores ſuadebant. Aliquis abundans agris, prædiiſque fortaſſis dedit partes Comiti utendas fruendas. Aliis ejus liberalitatem imitantibus per mores tacita demum Conventione jus natum, ut, quibus copia eſſet agrorum, illos colendos militibus ſuis, aut Comitibus attribuerunt. Quum deinde hoſticæ provinciæ occuparentur, vetus conſuetudo facile effecit, ut agrorum partes beneficiis deſignarentur. Hiſce dati, & donati non Milites tantum, ſed & in aula Comites, in Curiis judices, & quotquot aut officia, aut miniſteria præſtarent Reipublicæ.* At deinde, Hominum induſtria, aſſiduis commerciis, largior divitiarum, & nummorum apparatus videri cepit, in quibus, deficientibus prædiis, feudalitas conſtituta etiam fuit.

Digitized by Google

fuit. Albertus Archiepiſcopus Magdeburg. A. MCCCXCVIII. Vaſallum quendam de inſigni pecuniæ ſumma inveſtivit, hoc pacto, ut mortuo Vaſallo, ejuſque deſcendentibus, eadem ſumma ad ſuam Eccleſiam rediret. Hujuſmodi inveſtituras in pluribus Germaniæ provinciis legimus, in Saxonia, Bavaria, Geldria, vid. Aug. Franckenſt. *de feud. in pecunia conſtit.* §. 3.

Obſtat text. *in* 11. *f.* 1. §. *fin.* ubi feudiſta, inquit, *beneficium non niſi in rebus ſoli, aut ſolo cohærentibus, aut in iis quæ inter immobilia connumerantur (veluti cum de Camera, aut de Cavena feudum datur) poſſe conſiſtere.* Pecunia igitur cum ſit res mobilis, & conſumptioni obnoxia non poteſt dari in feudum; quoniam omnis feudi conceſſio, duo ſecum fert, translationem Dominii utilis in Vaſallum, & retentionem dominii directi in Seniore; quæ duo in pecunia eſſe non poſſunt. Interpretes hac moti ratione tenent, hoc feudi genus juri Longobardico ignotum eſſe, idcirco pecunia in feudum nequit concedi. Verum nulla mihi ſuadet ratio, cur in pecunia feudum non conſiſtat, quia etſi pecunia conſumptioni ſit obnoxia, nihilominus perpetua rei duratio potius eſt de natura, quam de feudi eſſentia, Andr. Mylius *diſſer. de feud. in pecun. conſiſt. cap.* 4. *n.* 14. Sicut olim de uſufructu decretum eſt a Senatu ſub Auguſto, ut poſſit in iis rebus, quæ uſu conſumuntur, conſtitui *tot. tit. D. de Uſufr. ear. rer.* Neque Germaniæ Gentes, ſi natura invita fuiſſet, hujuſmodi feudum agnoviſſent.

Nec undique dominium utile, & directum ſilet in feudo pecuniario, ſed ſatis relucet. Nam dum Dominus tradit pecuniam Vaſallo, ut pro ſuo arbitrio poſſit in ſuum uſum convertere, vel ut Debitor, nomine ipſius Domini uſuras ſolvat Vaſallo; illa facultas, quam Vaſallus habet a Domino, utendi fruendi, uti velit, dici recte poteſt, *dominium utile*; illud autem jus, quod Dominus ſibi retinuit, pecuniam feudalem repetendi, peremto feudo vel lineæ interitu, vel felonia Vaſalli, & ne iſte in alios transferat, vocatur *directum* Lyncker *diſſert. de feudo pecun.* §. 23. & 24. Myli. *loc. cit.* §. 8.

Conſtitui poteſt hoc feudum, dum Dominus pecuniam feudali inveſtit qualitate, obligatque Vaſallum ad fidem reſervato ſibi quodam civili Dominio cum ſpe Conſolidationis. Neque hic cau-

tione

Digitized by Google

tione opus eſt, quæ in quaſi uſufructu exigitur, cum ſatis Conſultum ſit Domino in ſui directi dominii conſervatione, ob leges, quas feudalitas ſecum fert, a manibus nempè Vaſalli revocandi. Denique feudum pecuniarium in vetus, novum, nobile, ignobile, Eccleſiaſticum, Seculare, & ſi quæ ſunt, dividi poteſt.

§. XXXIII.

De feudo Pignoratitio.

HÆc ſpecies feudi fruſtra inveſtigatur in jure Longobardo, in Alemannico facile reperies. Interpretes perperam deducere volunt ex 1. *f.* 4. §. *ſimiliter*, in quo tantum narratur contentio Dominum inter, & Vaſallum: Dominus, inquit, rem ſuam conceſſiſſe jure pignoris, aſſertus Vaſallus negat, ſed jure feudi. Neque ex 1. *f.* 27. ubi legis Commiſſoriæ fit mentio, non feudi pignoratitii, Siegel. *diſſert. de feudo pignor.* §. 3., Marbach. *diſſert. ead.* §. 2.

Feudum itaque pignoratitium definit Scrad. *P.* II. *cap.* 4. *n.* 57. *Quando Dominus, qui alium de feudo inveſtit, in Inveſtitura confitetur, ſe hoc feudum Vaſallo pro certa pecuniæ ſumma conceſſiſſe, ex conditione, ut ſibi liberum ſit, hoc feudum, pecunia reſtituta, redimere*, late Stryk. *to. VI. oper. diſput.* 23. *cap.* 1. §. 3. Non raro Dominus alioquin obligatus, paciſci ſolet, Vaſallum, ſuper certo oppido, vel Caſtro, tot millia aureorum jure feudi tenere, ſalva electione Domino, rem illam, ſoluta pecunia, redimendi, hac lege, ut ea pecunia, ematur prædium, illudque jure feudi teneri, atque a Domino recognoſci, tunc ſi pacta ſervantur, evadit feudum rectum, & deſinit eſſe pignoratitium Roſent. *cap.* 11. 77. *n.* 2.

Hoc feudum differt a nudo pignore, quia in eo intervenit inveſtitura, fidei præſtatio, ſervitium, atque *improprium* vocatur, quia eſt conſtitutum ſub conditione, & qualitate pignoratitia, ſub qua Vaſallus illud poſſidet. Hinc fæminæ etiam in eo ſuccedant, imo & alii heredes, qui jus habent retentionis, donec pecunia ſoluta fuerit Zaſi. *P. XII. n.* 23. & 24., Struv. *S. J. F. cap.* 4. *M.* 14. Conf. Scrad. *P. VII. cap.* 2. *n.* 26. Effectus hujus feudi eſt, ut integrum ſit Domino, ſolutione debiti peracta, illud ab inveſtito

Digitized by Google

veſtito repetere, ſicut in omni pignore ſtatutum eſt *l. 6. D. Quibus mod. pign.* Et Vaſallus tam jure pignoris, quam jure Vaſallitici re conceſſa uti frui valet. Denique poteſt conſtitui in rebus quæ vel corporales, vel incorporales, mobiles, vel immobiles ſunt.

§. XXXIV.

De Feudo Franco.

IMmunitas a *Servitiis* huic feudo nomen dedit; Germani enim, & Galli *franc* hodie *liberum* vocant, vid. Dufres. in *Gloſſar. hac voce*. Definitur, eſſe *feudum improprium, ac perpetuum, alicui ita conſtitutum, ut ad fidelitatem quidem, eique annexa officia, neutiquam tamen ad ſervitia, Domino exhibenda, ſit obligatus*, Pollmann. *diſſert. de feud. franc.* §. *9.*, Scrader. *P.* II. *cap.* 4. *n.* 10. Charta Philippi Pulchri apud Dufreſ. in Gloſ. *h. voce* A. MCCCVI. *Prædicta vero omnia idem Dominus Bertrandus, & ejus Succeſſores tenebunt a Domino Rege, & ejus Succeſſoribus Regibus Franciæ in feudum Francum, & Honoratum, ſub homagio ligio, & fidelitatis juramento.* Vocatur *improprium*, quia deficit a feudi natura, quæ ſervitium expoſcit, II. *f.* 23., Camer. ad II. *f.* 50. *n.* 10 Andr. *in* II. *f.* 23. *n.* 12., Sonsbec. *P.* 3. *n.* 25. Dixi, *perpetuum*, ut diſtingui poſſit a feudo *Soldatæ*, quod, etſi improprium etiam ſit, tamen tam ex parte Domini, quam Vaſalli non tranſit ad heredes, idcirco DD. appellant *perſonaliſſimum.*

In jure longobard. nulla feudi franci occurrit vola, ſed tantum *in Capp. Extrad.* II. *f.* 104., Cujus ratio hæc mihi videtur eſſe, quia ævo Conſuetudinum feudalium, variorumque in Italia morum, longobardi, ceterique Lombardiæ populi magnopere ſervitio Vaſallorum ob aſſiduas bellorum occaſiones indigebant; hinc prædia, terrarumque tractus concedere moris erat, ſed cum ſervitio militari, quod eſt *mater* feudorum, præſertim cum in extero ſolo imperium condere vellent, cui operi omnes debebant vacare.

Ejus natura eſt, ut ab omni ſit immune ſervitio, excepta fidelitate, quæ omnium feudorum perfectio eſt, niſi tantum ad illa, quæ in fidelitate ſunt comprehenſa. Nam Vaſallus feudum acci-

accipiendo, ea implicite promiſiſſe videtur, ſicut & fidelitatem, Camer. *in* II. *f.* 55. *p. m.* 34., Curt. *P.* I. *q.* 8. *n.* 27., Thom. de Marin. *de feud. tit.* 17. *n.* 8. Hæc ſervitiorum exemptio vel expreſſe, vel tacite fieri poteſt; expreſſe, ſi in Inveſtitura dictum fuerit, ut liberum a ſervitiis ſit, tacite, ſi Dominus inhabilem inveſtit, vel ſervitia, quæ Vaſallus exequi nequit, apponit.

Obſtare videtur: In omni feudo adeſt fidelitas, & quæ ex ea deſcendunt; nullum igitur poteſt dari feudum francum, quum ſemper Vaſallus ſervitiis ſit obnoxius. Reſp. diſtinguere opus eſt *ſervitium fidelitatis*, quod appello *immutabile*, & ſervitium *feudale*, quod dico *mutabile*. Conceſſo feudo, & præſtita fidelitate, ſtatim ea veniunt, quæ ipſam comitantur fidelitatem, etſi nulla facta fuerit mentio, non quia ſervitium feudi cudet eſſentiam, ſed quia dari non poteſt fidelitas, quæ illa ſex in II. *f.* 6. ſimul non comprehendat, nempe, incolume, tutum, honeſtum, facile, poſſibile, utile, quæ culibet Clientelæ inhærent tacite; & in his tribus continentur in vitæ defenſione, bonis, & honore. Hinc Camer. in II. *f.* 55. *p.* 35. qui magnopere in expiſcanda feudi franci natura laborat, errat, dum, inquit, ad Conſtitutionem feudi hujus, Vaſallum non teneri *affirmative*, ut ipſe loquitur, ſed *negative*, ad ea quæ continentur in forma fidelitatis, ſcilicet non revelare ſecreta Domini, non eum lædere, &c. At Philiber. in II. *f.* 6. teſtatur, ſatis non eſſe abſtinere a malo, niſi fiat, quod bonum eſt, ut dicam *lib.* 4. *tit. de R. J.* Si enim Vaſallus vidit Patronum in bello periclitantem, ſatis non eſt, eum non lædere, ſed requiritur, ut adjuvet.

Feudum igitur francum conſtituitur, ſi in Inveſtitura dicatur, ut liberum ſit a ſervitiis: & tunc Vaſallus ad nihil tenetur, niſi ad id, quod in forma fidelitatis continetur. Nomine Servitiorum, quæ in fidelitate non includuntur, poſſunt eſſe, ſervire Domino pugnanti, propriis expenſis, tot Equis, tot Militibus, extra regnum & ſi quæ ſunt, Curt. *loc. cit. n.* 28., Jul. Clar. §. *feudum q.* 12., Giphan. *jur. feud. diſp.* II. *n.* 96. Soac. *in prælud. tit. de Servitiis jur. feud. diſput.* II. *n.* 96., Sonsbec. *P.* III. *n.* 25. Denique feudum francum vocatur *improprium* quia a Servitiis immune eſt, in ceteris, integram retinet naturam: idcirco Interpp. turpiter errant, hoc feudum poſſe a Vaſallo, ſine conſenſu Senioris alienari, de eo teſtari, in eo Eccleſiam ſuccedere, non refutari, cum text.

in

Digitized by Google

in 11. *f. 9. & 38.* generaliter loquantur, etſi in Chartis non raro vocetur *allodium*, tamen id factum propter libertatem a Servitiis, qua fruitur, non propter undique immutatam naturam, Sonsbec. *P.* 4. *n.* 31. Guliel. Pagenſtech. *Proluſ. Academ. de feud. franc.* §. 18., Hubner. *diſſer. de feud. franco* §. 20. Conf. Camer. *in cap.* 1. *de Natu. Succeſ. feudi lect.* 32. *n.* 22.

§. XXXV.

De feudo Fæminino.

HUjuſmodi feudum a *Perſonæ* conſideratione natum, & duplici modo dici poteſt: Vel quia mulier primum adquiſivit, & ab ea initium traxit, tanquam prima adquirente; nec refert, fæmina an ligata ſit, an ſoluta, quamvis mores Regionum juvet inſpicere, ut jure Saxonico, ſi mulier ligata eſt, requiritur conſenſus viri Siegl. *diſſert. de feud. fæmin.* §. 4. Becki. *diſſert. de feud. fæmin.* §. 22. Vel quia tranſiit ad fæminas, etſi a maſculis fuerit adquiſitum, pacto in Inveſtitura appoſito, ut fæminæ etiam ſuccedant.

Primum proprie vocatur fæmininum, de quo Feudiſta in 11. *f.* 30. quum in feudis primus Stipes ſpectetur, uti Cynoſura 11. *f.* 17. Secundum improprie vocatur fæmininum, cum, inſpecta origine, paternum appellandum ſit. Feudum enim, in quo ſuccedit fæmina, ea de medio ſublata, redit ad ſuam originem, diciturque paternum, non maternum. Hinc aliud eſt feudum, quod mulier primo adquiſivit, aliud feudum muliebre, ideſt, quod a maſculo ad fæminam pervenit, Thom. de Marin. *de feud. tit.* 11. *n.* 12. 13. & 14. Piſtor *lib.* 11. *QQ.* 34. *n.* 13. & conſtat ex 1. *f.* 12. apud Cujac.

Origo feudi fæminini non a primis fiduciariæ poſſeſſionis natalibus erit petenda, ſed a Corruptis Populorum moribus, qui fæminas, iratis feudorum legibus, ad eorum invitarunt Succeſſionem. Feudum enim eſt beneficium, & merces, quæ, vel in ſago, vel in toga pro Reipubl. utilitate operanti dabatur, Beck. *loc. cit.* §. 17. rationes afferam *lib.* 11. Idcirco, fæmineum feudum vocatur *improprium*, quia deflectit a vera feudorum natura, 11. *f.* 50. in quo, inquit, feudiſta naturam feudorum, eſſe ut aſcendentes

Digitized by Google

dentes non ſuccedant, ſed filius patri, non filia, niſi dictum ſit, vel ſit feudum fæmineum. Fallitur itaque Siegl. *loc. cit.* §. 5. cum aliis, qui tenent hocce feudum eſſe *proprium*, quia non refert cui concedatur, an fæmina ſit, an maſculus, cum fidelitas, ſervitia, Succeſſio, inveſtituræ renovatio, alienationis prohibitio, & in rebus immobilibus adſint, & conſiſtant. At, licet in conceſſione feudorum, perſonarum differentia non attentatur, tamen dum Dominus inveſtit fæminam cenſetur ei remittere ſervitia, & exemptio a ſervitiis lædit feudi naturam, ut dictum eſt de *feudo franco*, Struv. *S. J. F. cap.* 4. *A.* 17., Giphan. *diſp.* 11. *jur. feud. n.* 91. Neque obſtat exemplum Pupilli, quod affert Siegl. qui de feudo inveſtitus, etiam ſervire non poteſt; Nam pupillus etſi nunc ſit incapax, tamen fieri poteſt aptus ſerviendo, ſed fæmina vel pupilla, vel minor, vel major ſemper ſervitiorum incapax eſt. Demum nec ſola ſervitiorum exemptio parit feudum improprium, verum & alia, quæ in 11. *f.* 6. continentur, eaque peragere propter Conſilii imbecillitatem mulier nequit.

Proprietas feudi fæminini eſt (1) ut in eo Succedant fæminæ; omnis enim feudalis fæminarum Succeſſio provenit, vel quia feudum fæmineum eſt, vel ex pacto, privilegio, gratia Domini, vel ex more regionis; neque tamen pactum requiritur, ut fæmina in hujuſmodi feudo ſuccedat, quum feudum jam radices egit in perſona fæminæ, & veroſimile eſt tam concedentem, quam acquirentem voluiſſe cum ſua qualitate ad fæmineam prolem extendere; ſemper enim in feudis origo, & principium inſpicitur, 11. *f.* 17. 11. *f.* 30. Hart. Piſtor. *lib.* 11. *QQ.* 34. *n.* 18. *& ſeqq.* Nihilominus tunc ſuccedit fæmina, cum maſculus non adeſt; quia ſuperſtite mare, non patet locus fæminarum Succeſſioni *d.* 11. *f.* 17. & Piſtor *loc. cit. quæſt.* 35. dicam *lib.* 11. (2) ut fæmina inveſtita non teneatur ad ſervitia, ſive militaria ſint, ſive aulica, ſed poteſt per ſubſtitutum ea exhibere, vel ſumptus contribuere, quibus valeat Dominus exercitum conſcribere, vel per maritum ſervire, 11. *f.* 55. §. *firmiter*, Jac. a S. Georg. *de feudis* §. *& promiſerunt*.

§. XXXVI.

Digitized by Google

§. XXXVI.

De feudo Guardiæ, & Gaſtaldiæ.

HÆc feudi ſpecies aſſumit nomen ab *officio*, & patet in 1. *f.* 2. etſi ille titulus, ſicut alii duo ſequentes ab optumo abſint libro, ut teſtis eſt Cuja. in. 1. *f.* 1., attamen vetuſti Interpp. eum agnoſcunt, & probatur ex *Cap. Extraord.* Ardizonis 11. *f.* 94., & 1. *f.* 4. §. *item ſi*. Feudum itaque Guardiæ eſt, *dum Dominus alicujus Caſtri, vel territorii concedit aliquod feudum alicui, ut illud caſtrum, ſeu territorium cuſtodiat*, Thom. de Marin. *de feud. tit.* 28. *n.* 2., *Dd. in d.* 1. *f.* 2., ſive Vaſallus cuſtodiat Caſtrum, prædium, Civitatem, diſtrictum, ſive Eccleſiam, aliudve, de quo in *cap.* 23. *de jurepatro*, *cap.* 13. *de Elect. in 6.*, Alteſer. de *Orig. feud. cap.* 2., Conſ. Franc. Roye *in prolego. de jurepatro. cap.* 11.

Guardia eſt vetus vox Germanica a *Wardan* ideſt *videre*, *obſervare*, & feudum Guardiæ appellatur ob cuſtodiam, quam quis Caſtro, vel prædio alicujus impendit, non quia Cuſtodia, vel Caſtrum ſit feudum, ſed propter Cuſtodiæ laborem illa merces, Salarium, vel quid aliud, quod Dominus concedit Vaſallo, feudum dicitur, cujus origo vetuſta quidem eſt. Quiſque enim Princeps tam in finibus ſui territorii, & juriſdictionis, quam in variis ſui regni locis, Caſtra, & fortalitia ædificavit, ut ab hoſtium inſidiis tutus eſſet; quæ Principis facultas eſt de *regalibus*, *lib.* 11. Ziegl. de Jur. Majeſt. *lib.* 1. *cap.* 35.

Feudum Gaſtaldiæ eſt, *quod datur alicui*, *hac conditione*, *ut res Domini gubernet*, pro mercede videlicet adminiſtrationis, ſicut feudum advocatiæ, & Guardiæ, quæ in Fragm. Ardizo. *lib.* 4. *tit.* 81. vocantur feuda pro vice dominicaria, vel Villicaria, decania, id eſt feuda, quæ nomine Guardiæ, vel Gaſtaldiæ, vel advocatiæ, vel mercedis alicujus pro onere dantur, Cuja. *loc. cit.* Sonsbec. *P.* 111. *n.* 34. feudum igitur Gaſtaldiæ cauſſa datur ei, qui prædia noſtra adminiſtrat; Gaſtaldus idem eſt, ac Præpoſitus, Actor, vel procurator, ita in LL. Longob. *lib.* 11. *tit.* 25. *Gaſtaldus Regis*; *Gaſtaldus Civitatis* apud Warnefr. *lib.* 5. Hiſt. Longob., *Gaſtaldus Eccleſiæ in can.* 8. 1. *quæſt.* 3.

Duplex tamen erat Gaſtaldiorum genus; Aliqui rebus Principum Longobard. præerant, *lib.* 11. LL. Longob. *tit.* 17. *l.* 1. Rex Rotharis ſancit, *Si Gaſtaldius, aut quilibet actor Regis poſt ſuſceptas, & commiſſas ſibi ad gubernandum Curtes, aut caſas Regis, aliquid per garathinx, ideſt donationem ab alio quocumque factum conquiſierit, ſit illi ſtabile, ſi per præceptionem indulgentiæ Regis in eum fuerit confirmatum.* Et Luitprand. in *lib.* 1. LL. Longob. *tit.* 34. *l.* 1. *Si quis Gaſtaldus, aut actor Regis, Curtem regiam habens ad gubernandum, ex ipſa Curte alicui ſine juſſione Regis caſam tributariam, terram, ſilvam, vites, vel pratum auſus fuerit donare, aut ſi amplius, quam juſſio Regis fuerit, dare præſumpſerit, vel ſi quærere neglexerit, quod per fraudem ablatum eſt: omne, quidquid contra juſſionem Regiam facere auſus fuerit, in duplum octogilt componat &c.* Anaſt. in *Zacharia P.*

Longobardi enim, a quibus hoc feudum proprie repetendum eſt, Italia potiti, eam in varios diviſerunt pagos, ideſt a terrarum tractus, quorum aliquis communi decreto Rex ad ſui ſuſtentationem, & majeſtatem reſervavit, ceteris inter duces, & Comites, diſtributis. Rex portionem ſibi conſtitutam per hoſce Gaſtaldos adminiſtrabat, quos in Villis, agris, & prædiis, quæ Longobardi *Curtes* vocabant, Reditus Regis procurare erat conſuetudo, de qua jus feudale, & allodiale Longobardicum aſſidue loquitur. Quæ terrarum Spatia *Gaſtaldiata* dicta ſunt a Gaſtaldis, qui proprie feudatarii non erant, ſed Adminiſtratores; attamen ob ſuum laborem, & munus, aliquod ſtipendium, & merces eis fuit aſſignata, quæ *feudum Gaſtaldiæ* dixerunt. Hinc dare in feudum Gaſtaldiæ idem eſt, ac tradere rem aliquam, ſive mobilem, ſive immobilem hoc modo poſſidendam (naturaliter) ut eam adminiſtret lucro Domini. Atque ita intelligendus feudiſta in 1. *f.* 2. ubi *feudum* Gaſtaldiæ appellat. Conſuetudo enim Barbarorum erat a paucis ſeculis exoleta, *Ut quicquid alienum quocumque titulo haberent, tenerent, poſſiderent, id feudi nomine appellarent, non tamen proprie. Feudi enim jure hæc non cenſentur*, inquit, recte Hotoman. in *d.* 1. *f.* 2., & etiam ævo Accurſii, & Bartoli feudum ſæpe ſumebatur pro re, & jure cum revocandi licentia conceſſo, Gonni. *diſſert. de feud. Gaſtald.* §. 24.

Secundum Genus Gaſtaldiorum erat, qui Urbibus, oppidis, & provinciis præerant, populiſque jus dicebant, militari, civili, & cri-

& criminali fruentes juriſdictione. De Militari teſtis eſt Anaſt. in Greg. II. *Et Longobardos pene trecentos cum eorum Gaſtaldione* (Gaſtaldo) *interfecerunt*, Alteſer. *loc. cit.* De Civili, inquit, Imp. Pipin. in LL. Longob. *lib.* 11. *tit.* 52. *l.* 14. *De Univerſali quidem populo, qui ubicumque juſtitiam quæſierint, ſuſcipiat tam a Comitibus ſuis, quam etiam a Gaſtaldiis, ſeu Sculdaſiis, vel loci Præpoſitis juxta ipſorum legem abſque tarditate.* De Criminali eſt lex 2. LL. Longob. *tit.* 12. *lib.* 1. *& tit.* 14. *l.* 3. *&* 5. *& tit.* 30. *l.* 10. ubi Gaſtaldus cognoſcit de Sepulcro violato, de raptu Aldiæ id eſt, quæ de libera nata eſt, de fornicatione. Deinde adquirere ceperunt feudalitatem; atque oppida, Civitates, & provincias jure feudi poſſidebant. Hodie, inquit, Groeneweg. *de LL. abrog. ad.* 1. *f.* feudum Guardiæ, & Gaſtaldiæ exoleviſſe. At ego inquam mores Gentium eſſe inſpiciendos. Etſi initio jure precario, ad annum, ad vitam, ad filios deinde tranſmiſerunt, ſicut Comites, de quibus affert exemplum Paul. Diaco. *lib.* 5. *cap.* 16. *Tranſmundum, qui dudum Capuæ Comes fuerat.* Tranſmundus enim fuit temporalis Capuæ Comes, quia tunc non jure hereditario habebantut. Sed poſtea, *ob merita parentum Comitum, & ne heredi fieri videretur injuria ſi reputaretur degener, & indignus tali ſucceſſione, & ad paupertatem cogeretur poſt opulentam fortunam, & ut Comites eo magis allicerentur ad fideliter ſerviendum, cum ſcirent eandem dignitatem ad filios propagandam. In filiis autem præſumitur eadem fides, atque induſtria, quæ in parentibus, viſa eſt hereditaria Succeſſio*, inquit, Abbas de Nuce ad *lib.* 1. *Leonis Oſtien. cap.* 20. & in Hiſto. dictum. Noſtrum regnum his Gaſtaldiis refertum erat, puta Conſentiæ, Capuæ, Bari, Pæſti, Montelllæ, Bojani, Teatee, Salerni, Acerenzæ, Siponti, S. Agatæ, Avellani, Luceræ, etſi qui ſunt Camil. Peregri. *diſſert.* 8. *Ducat. Benevent.* P. Janno. *lib.* 6. *Hiſt. Civil. R. Neap. cap.* 2.

De Gaſtaldis, qui Civitatibus, & provinciis præerant non loquitur jus feudale Longob. in 1. *f.* 2. ſed de iis, qui Rebus Regis vacabant. Quorum, ſimul cum feudo Guardiæ, hæc eſt conditio, (1) ut anno durent 1. *f.* 2. quia officia jure longob. & Romano annalia ſunt, atque exſtincto officio, expirat feudum, uti acceſſorium officio Andr. in d. 1. *f.* 2. *n.* 6., Alver. *eo. n.* 7. Zaſi. *P.* 12. *n.* 5. Thom. de Marin. *de feud. tit.* 28. *n.* 4. Cuja. *in* 1. *f.* 1. §. *item illud.* niſi pactum fuerit, ut

ut ultra annum poſſideret, *d.* 1. *f.* 2., ſecus poſt annum poteſt Dominus pro lubitu revocare 1. *f.* 11. etſi non adſit cauſſa; intra annum non poteſt revocare feudum Guardiæ, vel Gaſtaldiæ, licet munus, atque officium poſſit alteri conferre; at ſi juſta fuerit cauſſa, etiam anno nondum exacto, poteſt munus Gaſtaldi, vel Caſtellani ſimul cum feudo auferre *l.* 51. *D. de Manum. teſtamen. l.* 9. *C. de SS. Eccl.* Juſta cauſſa eſt, ſi caſtrum, vel prædium ſibi commiſſum a Pyratis, vel Hoſtium incurſionibus, vel fraudibus, aut latronibus non defendat.

(2) Neque ad heredes dantis, ideſt Domini, nec ad heredes accipientis, ſeu Gaſtaldi, & Caſtellani tranſeat, idcirco hæc feuda dicuntur *perſonaliſſima* a DD. Jac. a S. Georg. *de feud.* §. *in feudum n.* 17. Thom. de Marin. *loc. cit. n.* 8., niſi aliud ſuadeat Conſuetudo, uti in Saxonia hæc feuda, ſicut Habitationis, Advocatiæ, Cancellariæ, & ſimilium perpetua ſunt, & ad heredes tranſeunt, Scrader. *P.* 11. *cap.* 4. *n.* 29., vel niſi pactum ſit, ut ad heredes tranſmittatur.

(3) Denique, etſi Dominus in erectione horum feudorum aliquid pretii acceperit, pacto, vel conſuetudine non exiſtente, elapſo anno, poterit feudum revocare, non reddito pretio 1. *f.* 2. quia illud pretium acceptum fuit pro *introitu* feudi, ut loquitur Andr. in d. 1. *f.* 2. *n.* 7. & finita adminiſtratione, non valet illud repetere, dum Vaſallus lucratus eſt fructus illius anni. Neque hæc pecunia, quæ domino datur, dici poteſt *pretium*, ſed potius *honor*, Cuja. *in* 8. §. *item illud*, ſicut in depoſito, commodato, precario, qui contractus origine ſunt gratuiti, nihil vetat pretium, ſive ἀντίδωρον intervenire. Poſtremo, quomodo d. 1. *f.* 2. qui de Probationibus agit, intelligatur, docebit *lib.* 4.

§. XXXVII

Digitized by Google

§. XXXVII.

De feudo Soldatæ, & Cenſuali.

FEudum Soldatæ *eſt annua quædam gratuita præſtatio in pecunia, vel annona, ſub conditione fidei, & obſequii Militi, aut alteri conceſſa*, Thom. de Marin. *de feud. tit.* 26. *n.* 3. Giphan. *jur. feud. diſp.* 11. *n.* 101. Schultz. *diſſert. de feud. Gratiæ cap.* 11. §. 14., & conſtat ex 11. *f.* 10., diciturque a *ſold* voce Germanica, hoc eſt *ſtipendium, & merces*, Abb. Urſperg. de Philippo Imp. loquens, ſcribit, *cum non haberet pecunias, quibus Salaria, ſeu Solda præberet militibus*; vocatur & *Sergentaria*, Matth. Par. ad A. 1256. Alteſer. Rer. Aquitan. *lib.* 11. *cap.* 18. (z)

Hujus feudi elegans exemplum exhibent Tabulæ Fæderis apud Annam Comnenam *lib.* 13. *in fin.* ubi Raymundus Apuliæ Princeps, cum ſe fecerit Alexii Comneni Imp. Græcorum Vaſallum ligium, Soldum annuum pactus eſt, *Ex hinc vero*, inquit fædus, *poſtquam ſemel veſter homo factus ſum, & ad orbem principatus veſtri pertinere cæpi, debeo accipere penſione annua e regiis theſauris talenta ducenta monetæ, formam, & qualitatem habentis Domini Michaelis, qui prius imperavit, per aliquem ex rei nauticæ Præfectis veſtris e Syria, mittendi a me cum meis litteris ad vos in urbem regiam, ut ea coram a veſtra perſona meo nomine accipiat*. Conf. Bernard. Theſaur. *de Adquiſit. Terræ Sanctæ cap.* 17. (*a*)

Feu-

(z) Feuda crebro in frumento, reditu vel ſolidis conſiſtebant. Apud Svevos enim feudum *alimoniæ* eſt, quum pro præſtito ſervitio alimonia dabatur ut in ll. Malcomi Scotorum Regis *cap.* 11., Struv. Hiſt. *jur. feud.* §. 7.

(*a*) Anna hic meminit Monetæ, quam vocat *Michaelisi*, Voſſi. putavit ita dici, quia effigiem Divi Michaelis ferret: male: ſed ab Imp. CP. Michaele, ut ex Tyrio *lib.* 11. *cap.* 12. conſtat, *Quærit, quæ ſit debiti ſumma: cui reſponſum eſt*, 30. *mil-*

Digitized by Google

Feudi Soldatæ proprietas eſt (1) ut non tranſeat, nec ad heredes dantis, nec accipientis, quare *Dd.* vocant *perſonaliſſimum*, inhærens perſonæ, & meritis Vaſalli 11. *f.* 10. §. *Soldata*, niſi pacto, vel privilegio Dominum inter, & Vaſallum convenit, jure hereditario poſſideri, Andr. *ad d. tit.* 10. *n.* 3. Alver. *eo.* §. *ceteri n.* 3. Cuja. *in* 1. *f.* 1. §. *item illud in fin.*, (2) hæc præſtatio debet eſſe gratuita, ideo vocatur *donatio*, & dari ſolet Nobilibus ad paupertatem redactis, Sonsbec. *P.* 3. *n.* 34. Tho. de Mar. *loc. cit. n.* 5., quamvis negandum non ſit, ob merita, domi, militiæque quæſita, dari poſſe.

Feudum Cenſuale eſt, *impropria Clientelæ poſſeſſio*; *qua loco ſervitiorum militarium, vel Curialium, cenſus annuus præſtatur*; puta Equus, gladius, par caponum, & ſimilia, ſicut mos regionis ſuadet, vel pactis conventum eſt. Ut de Venetis ſcribit Mich. Coccin. *de Bell. Maximil. ed.* Struv. *quod Terviſium, & Paduam in feudum ab imperio recognoſcant, certam penſionem Imperatori quotannis pro iiſdem contributuri*. Differt tamen ab Emphytheuſi, & bonis cenſitis, in quibus non inveſtitura, non hominium, & feudalis ſucceſſio reperitur, (*b*) Roſent. *cap.* 7. 83. *n.* 18. Origo hujus Clientelæ repetenda ex moribus Germano-

---

millium Michaelitarum, quod genus aureorum, tunc in pub'icis commerciis erat celebre, a quodam Imperatore CPno, qui eam monetam ſua faceret inſignem imagine ſignari. Sicut *Saracenſus* ſeu *Saracenatus* eſt vetus moneta Saxacenorum, de qua Jacob. de Vitriat. *lib.* 3. *Et quilibet omni anno pro certo tributo ſolvit ei* 10. *mille Saracenos in Fiſco Patris*, & Innoc. III. *in cap.* 11. *de Confeſ.*

(*b*) Emphytheuſis enim datur ad meliorandum, non vero feudum cenſuale, Et ſi per triennium canon non ſolvatur, cadit jure ſuo, quod non eſt in feudo cenſuali. Bona cenſitica erant duplicis generis: alia transferebant utile, & directum dominium; alia utile tantum, & pendebatur annuus cenſus, qui ſæpe ſubjectionem, vel protectionem, ſæpe in ſignum exemtionis ſolutus ſignificabat, Heinec. *Elemen. jur. Germ lib.* 11. §. 34., Paris de Puteo de Redint. *cap. CCXXV. n.* 2., Struvius *S. J. F. cap.* 11. *A. X.* 3.

Digitized by Google

norum, atque aliarum Gentium inſtitutis. Cuique enim datum erat, prædia ſua allodialia jure fidelitatis, & beneficii alteri concedere, nempe prædium, ſive ruſticum, ſive urbanum, vel jura, vel acti ones, uno verbo *bona*, (hinc tot feudorum genera exorta) ſub militari ſervitio, vel alia auxilii, atque ob equii ſpecie. Subſequentibus vero ſeculis Domini directi cum militari non indigerent ſervitio, illud exigere a ſuis vaſſis nolebant, ſed ejus loco annuum cenſuum; forte, (quod præcipuum erat) pecuniam non haberent. Quare feuda militaria tranſierunt in cenſualem Clientelam; atque deinceps bona ſua infeudare moris erat ſub annua penſione, hac lege, nullum aliud ſervitium a ſuis Vaſallis exacturos. His proxima illa medii ævi Pietas, & arcana religio, qua quiſque bona ſua ab omni onere libera, in feudum Eccleſiis dabat, illiſque aut ſervitium, aut cenſum quotannis præſtandum ſe obſtringebat, Thom. Ludewig. *diſſert. de feud. Cenſual.* §. 1.

§. XXXVIII.

De feudo Cameræ, & Cavenæ:

HÆc feudi Diviſio ſumpta eſt *a loco*; *Cameræ* vox apud Græcos, & Latinos in uſu fuit, Baſil. *Hexamer. lib.* 1. *homil.* 1., Varro *de R. R. lib.* 1. *cap.* 1. Hic accipitur pro ærario Principis, ſive Laici, ſive Eccleſiaſtici, in quo eorum Servatur pecunia, 11. *f.* 1. 11. *f.* 58. 11. *f.* 53. §. *Si quis*. Unde nemo, niſi Princeps hoc feudum poteſt conſtituere, non vero privatus qui ærarium non habet, inquit, Boeſchi. *diſſert. de feud. Camer. & Cave.* §. 10. Non aſſentior Boeſchio., & ſi enim privata perſona ærarium, vel fiſcum non habeat, tamen poteſt in ſuo penuario feudum conſtituere. Etenim nulla Longobardorum, aut Germanorum lege vetitum eſt privato, bona ſua, cujuſcumque fuerint ſpeciei, in feudum concedere, ut *lib.* 1. dicam. Cur igitur ſolus Princeps, hoc frui debeat privilegio?

Erigitur feudum Cameræ, *ſi Princeps, aliquid annui reditus, ſub lege fidei, atque obſequi ex Camera ſua, vel Privatus ex ſuo penu aſſignat Vaſallo, unde ſe alere poſſit*. Hujus Beneficii

Digitized by Google

aſſidua mentio apud Anglos, Gallos, Alemannos, Longobardos, & Neapolitanos, Alteſer. *de Orig. feud. cap.* 2. Boeſch. *loc. cit.* §. 8. Buleng. *de Offic. Regni Galliæ tit. de feudis* recte, inquit *feuda ſine agris dicta ſunt, quoties Rex, Dux, aut Comes Militi aliquam pecuniæ ſummam in patrimonio aſſignaret. Is cui aſſignabatur fiebat homo aſſignantis. In Italia id genus feudi dicitur de Camera, quod a Camera Principis ſumeretur*, & infra dicam. Vocari poteſt *Præbenda*, quæ proprie ſignificat annonam, cibaria, ſportulas, diaria, in dies, vel menſes militibus Palatinis, aut Eccleſiæ Miniſtris eroganda; Cedrenus dicit ῥόγυς, hoc eſt, *ſtipendium*, Franc. Florens *tit. Decret. de Præbend.*, Buleng. de *Imp. & Imper. R. lib.* 11. *cap.* 11. Dici eſt poteſt panis civilis penſio, ſportula, Conſ. Raguell. *ad l. ul. C. de Quadrien. Præſcrip.*

Hinc feudum Cameræ dicitur conſiſtere in jure percipiendi annuas penſiones, ex Concedentis Camera; quod jus producit actionem realem, & gerit vicem utilis dominii. Differt tamen ab aliis feudis, quæ in rebus ſoli ſunt, ſed feudum cameræ Conſtituitur in rebus incorporalibus, & iis, quæ adhærent immobilibus, Alteſer. *loc. cit.* Idcirco diſplicet Alveroti, Gloſſæ, *in* 11. *f.* 1. §. *ferendum*, & Thom. de Marin. *de feud. tit.* 24. *n.* 10. theſis, quæ, inquit; Si Camera Principis habet prædium, vel domum, ex qua ſolet fructus percipere: ſi illud prædium concedatur jure fiduciario, etiam dicitur feudum de Camera. Male: hac enim ratione, omnia feuda vocari poſſent de Camera, cum ex omnibus annui percipiantur reditus; ſed eſt feudum proprium, in rebus immobilibus conſiſtens.

Feudum Cavenæ, ſeu Canevæ eſt, *dum Princeps ex ſua Cella, horreo, aut penu vinum, vel frumentum alicui ſub lege fidei, & Clientelę pręſtat*, Alteſer. *loc. cit.*, Struv. *S. J. F. cap.* 4. *A.* 18., Tho. de Marin. *de feud. tit.* 25. *n.* 5., ex patet ex 11. *f.* 1. §. 2. 11. *f.* 2. §. 2. Huc alludere videtur Sever. Sulpit. de Concil. Arimin. loquens apud Guſſanvillæ. *ad Epiſt. XLV.* D. Greg. *lib.* 1. *indict.* 9. *Quibus* (Epiſcopis) *annonas, & Cellaria donari Imperator pręcepit*. Exemplum affert Order. Vital. *lib.* 6. *H. E.*, ubi Gubertus Miles duas quadrigas vini annuas a Duce Nortmannorum feudi nomine tenuit, *Duas quadrigas vini de Principe Nortmannorum in feudo tenebat, ſingulis annis, ex quibus unum modium ad celebrandas miſſas perenniter con-*

Digitized by Google

conceſſit monachis. Origo feudi Canevæ ex Principum paupertate petenda eſt, & Privatorum ambitione, vel neceſſitate ſibi vaſſos creandi. Etenim magna erat in Barbarorum ætate auri, argentique egeſtas, & cum adſtricti eſſent ad penſandos eorum labores, qui domi, militiæque clara geſſerunt, ideo ex propriis horreis victum jure feudi concedebant.

Proprietates feudi Cameræ, & Cavenæ ſunt (1) ut non tranſeant ad heredes accipientis, niſi dictum ſit; ſed an ad heredes dantis? placet tranſire, quia dictum eſt, donec Vaſallus vixerit, mortuo Domino, ejus heres tenetur, ad præſtandum jus annonarium, Tho. de Marin. *de feud. tit.* 24. *n.* 14., Zaſi. *P. XII. n.* 31., Roſent. *cap.* 11. 75. *n.* 5. *diſſent.* Cuja. *in* 11. *f.* 2. Imo etſi feudum morte Vaſalli aperiatur Domino, nihilominus Succeſſor habebit fructus integri anni, ut ex lege Anaſtaſi, vel ut aliis placet Zenonis heredes eorum, qui ante completum actum patronatus fiſci, primipilatus &c. deceſſerint integra Salaria illius anni conſequuntur, æquitate ita ſuadente, *l.* 11. *C. de Proxim. Sacr. Scrin.* & ex deciſione Juſtiniani *in l. ul. C. de Domeſt. & Protect.* ubi Raguell., *l.* 4. *D. de Offic. Aſſeſſo.*

(2) Hæc penſionis ſolutio facienda eſt, ſoluto ære alieno, ne Dominus egeat, nec refert ante, an poſt infeudationem debitum ſit contractum, quare non recte Tho. de Marin. *loc. cit. n.* 16. intelligit de ære ante infeudationem facto; ratio enim textus *in* 11. *f.* 58. generalis eſt, *quia non eſt æquum, quem videre egentem, quem prius habuit in Conjugem*, (ideſt conſortem, conſocium) *vel amicum*. Si vero intervenit culpa lata, vel levis, vel dolus Domini, quominus Camera, vel Cavena ſua ſit ſolvendo, tunc tenetur, puta ſi bona dilapidaverit, vel injuſtum geſſerit bellum, vel ſumptus voluptuoſos fecerit. *Text. in d.* 11. *f.* 58. generaliter loquitur de culpa, & ſub generali culpæ nomine etiam venit levis *l.* 9. *D. Solut. matr.* Scrad. *P.* 11. *cap.* 3. *n.* 89. Non tamen Dominus amittit beneficium, *non teneri ultra quam facere poteſt*; Si enim Dominus cenſum hunc promiſit Vaſallo, quem commode ſolvere non poteſt, quia bona ſatis non ſunt honeſte vivendo; tunc non cogitur bona immobilia vendere, & Vaſallo ſatisfacere. Quod beneficium competit Domino, non propter feudi conceſſionem, ſed propter reverentiam, quam Vaſallus ei debet, ut ſatis innuit

Digitized by Google

text. in 11. *f.* 58., 11. *f.* 22. Scrad. *loc. cit. n.* 94. ex regula juris *in l.* 28. *De de R. S. Eos, qui ex liberalitate conveniuntur, in id, quod facere poſſunt, condemnandos.*

(3) Etſi Dominus laboret ære alieno, tamen non extinguitur jus Vaſalli exigendi penſionem, ſed exſpectare debet, donec debitum ſolvatur, & Camera, aut Cavena capax ſolvendi evadit, tunc penſio non modo ſequentium annorum, ſed & præterita perſolvenda; ſicut in annuis præſtationibus ſterilitas unius anni compenſatur cum ubertate alterius *l.* 8. *C. loca. l.* 17. §. 1. *D. de Annu. legat.* Andr. *in* 1. *f.* 14. *n.* 3. Camil. de Curt. *in Diver. jur. feud. P.* 1. *p.* 26. Scrad. *loc. cit. n.* 86.

(4) Hujuſmodi feuda præter regularem Inveſtituram, adquiruntur etiam, ſi tribus vicibus Patronus alicui tanquam ſuo Vaſallo certam pecuniæ quantitatem, vel frumenti, vel vini, vel olei præſtiterit, 11. *f.* 2. §. *Si vero Vaſallus*, Cuja. *in* 11. *f.* 3. Hæc enim quaſi poſſeſſio ſatis firmatur, ſi tribus acceptionibus jure annonario uſus ſit Vaſallus, & Domino contra eum agere volenti, incumbit probatio, ut dicam *lib.* 4. Denique hæc feuda exſtinguuntur, ſi res puta Gabella, Dohana, ſuper qua erat, periit.

§. XXXIX.

De feudo Habitationis, & Juriſdictionis.

FEudi Habitationis nulla mentio eſt in jure feudali, ſed dumtaxat in *Capp. Extraord. lib.* 4. 105. *edit.* Cuja. Occurrit vero in veteribus Chartis, præſertim in inſtrumento ſuper dominationibus, honoribus, jure, & poteſtate tam ſpirituali, quam temporali Aquilejenſis Eccleſiæ A. MCCCLXXXVI. apud Lunig. *in Ital. Diplom. to.* 4. *p. m.* 1665. *In Caſtro Utini, & in locis Sancti Viti & Medunæ ſunt quidam Habitatores, qui domos Habitantiæ, & bona plurima, & diverſa jura Habitantiæ, ſeu feudi Habitantię, ab Eccleſia Aquilejenſi recognoſcunt*, Conſ. Murat. *diſſert.* xi. *in fin.*

Conſtituitur hoc feudum, *dum Dominus ſub Conditione fidei, atque obſequii concedit alicui ſuam domum, vel Caſtrum, vel Curtim.* Non tamen eſt perpetuum, neque durat anno, uti Gaſtaldia, & Guar-

Digitized by Google

Guardia, ſed donec Vaſallus vivit Cuja. *in* 1. *f.* 1. §. *item illud in fin.* Non tranſit ad heredes Vaſalli, ſed Domini, ideo vocatur *perſonale d. cap.* 105., ibi, *feuda habitationum, niſi aliud ſpecialiter cautum ſit, morte accipientium finiuntur*, ſicut legatum habitationis non tranſit ad heredes *l.* 10. *D. de uſu, & habit.*, & *eleganter Paul. in l. pen. D. de S. R. P.*, Zaſi. *P. XII. n.* 35. *conſ.* Par. de Puteo *de Redintegr. cap. LXXXVII.* An poſſit Vaſallus locare habitationem feudalem? Si pactum ſit, ut Vaſallus ipſe inhabitet, non elocet, tunc non poteſt, ſecus valet. Integrum quoque eſt Vaſallo ædes feudales reficere, ad commodiorem uſum reducere arg. 11. *f.* 28. §. *ſi Vaſallus*.

Feudum Juriſdictionis eſt *Poteſtas judiciaria a Domino Vaſallo ſub lege fidelitatis conceſſa in ſubditis*. In media ætate triplicem invenio juriſdictionis ſpeciem, *Civilem*, *criminalem*, & *patrimonialem*; Principes civilem, & criminalem per Comites, Duces, & Marchiones exercebant; patrimoniali gaudebant Poſſeſſores allodiorum in ſuos Colonos, homines glebæ, abſcriptitios, horumque fundos, quæ juriſdictionis ſpecies jure hereditario poſſidebatur. Principes vero cum variis juribus, aut honorificis, aut ſublimibus, aut utilibus, præter territoria, & agros, ornarentur, inter quæ *juriſdictio* recenſetur, eam etiam ſub fidelitatis nexu concedebant, ex qua Vaſallus multum lucri, puta pænas, mulctas, bannum, etſi quæ ſunt, perciperet. Nam Juriſdictio in media ætate cepit eſſe in Commercio, ſcilicet vendi, pignorari, in dotem dari, atque a territorio ſeparatim infeudari; unde unus poterat in Caſtro jure feudi civilem habere juriſdictionem, alius criminalem etiam jure feudi, imo dabatur juriſdictio ſine territorio, & viciſſim, quia juriſdictio nihil commune habet cum territorio, Ziegl. *de Jur. Majeſt. lib.* 1. *cap.* 32. §. 22. Ita ævo Caroli IV. Imp. nonnulli allodiorum poſſeſſores *Bannum* ſanguinis jure feudi obtinuere. Atque non modo Imperatores, ſed etiam imperii Electores, Epiſcopi, atque Archiepiſcopi, præſertim Colonienſes, Monaſterienſes, Paderbonenſes, Mindenſes feudum Juriſdictionis concedebant, conf. Guttlieb Buder. *diſſert. de feud. Juriſdict.* §. 14., dicam *lib.* 11.

§. XL.

Digitized by Google

§. XL.

De feudo Advocatiæ.

ADvocatiæ Nomen in chartis, & mediæ ætatis lingua ſignificat *Juriſdictionem*, ut in Inſtrumento Rudolphi Comitis Rapeſvilienſis A. MCCLXI. apud Mager. *de Advocat. armata cap.* 11. *n.* 43. Aut ſumitur pro *jure Defenſionis*, *ut in lib.* 11. LL. Longob. *tit.* 47. *l.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. Quod jus Defenſionis eſt *Suſceptio in Clientelam ſimul cum ſuis bonis contra vim, atque injuriam, de facto defendendi ſub annuo honorario jure conſtituta*; cujus origo vetuſtiſſima eſt a Græcis primum exorta, deinde ad Romanos translata, ut in Hiſto. dictum eſt; Qua non ſolum perſonæ, ſed & urbes, & provinciæ protectioni alicujus Potentioris ſe ſubmittebant, Grot. *de J. B. & P. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 21.

In populis tamen mediæ ætatis, declinante R. Imperio nihil frequentius videtur, quam hujuſmodi Defenſionis ſpecies, quæ duplex erat Profana, & Sacra. Profana, dum urbes, collegia, & privatæ perſonæ ſub Mundenburdio alicujus Principis, Comitis, Ducis, vel Marchionis ſive Secularis, ſive Eccleſiaſtici, aut Imperatoris ponebatur. Sacra, dum Eccleſiæ, monaſteria, aut quilibet religioſus Cætus Advocatum ſeligebant. Cujus Natales antiqui in Imperio, & Eccleſia ſunt. Nam ſub Clodoveo francorum Rege, apparet præceptum Advocatiæ pro Monaſterio Reomaenſi apud Roye in *prolego. juriſpatr. cap.* X., Dagobertus A.C. DCIII. Arnulphum regii Sanguinis Principem, Trevirenſis Eccleſiæ Advocatum declarat, Thomaſi. *de Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl. P. III. lib.* 11. *cap.* 56. *n.* 11., & innumera prope refert diplomata Mager. *loc. cit. cap.* 5. *n.* 164. uſque ad 343. vid. Boſquet. ad *Epiſt.* 122. *Innoc. III. lib.* 11. *Regeſt.* 14. Grotofr. *ad l.* 38. *C. Th. de Epiſc. & Cler.*, Alteſer. *de Ducibus lib.* 1. *cap.* 6., Ant. Matth. *de Nobilit. lib.* 1. *cap.* 30.

Cauſſas, ex quibus Munderburdia hæc inducta fuerunt, tres reperio, nempe *Procerum rapacitatem*, *fundatoris Voluntatem*, & *ne Clerici Secularibus ſe immiſcerent negotiis*. Comites enim, & Duces, vel invidia, vel lucri Cauſſa Monaſteriorum, atque Eccleſiarum bona violenter occupabant, neque aſſiduæ Prælatorum que-

querelæ erant ſatis eorum reprimendæ rapacitati; quare Imperatores, ut ab his liberarent, Advocatos conſtituerunt; qui tam in judiciis, quam extra, armis etiam defendere poſſent; ut frider. de Lotharingia, Comes de Guiſe, & Vadani Montis A. C. MCCCXC. Fratres B. Mariæ de Belloprato in ſuam ſuſcepit protectionem, *Ad coercendam Malitiam Malignorum, qui Spiritu maligno pleni, cupiunt vexare eoſdem viros religioſos, ſub protectione mea pono omnia bona, & reditus ejuſdem Eccleſiæ, tam quos habent in terris meis, & Comitatu Vadani Montis, quam Caſtelli*, Mabilon. *in præfat. ſecull.* III. *B.* §. 8. *obſer.* 37., vid. Mager. *loc. cit. n.* 408., & Regibus Galliæ incubuvit Advocatia, & tuitio Eccleſiarum Cathedralium, & Conventualium totius Regni, uti late probatum eſt ab Alteſer. *lib.* 1. *de Ducibus cap.* 6. Sæpius ipſi Epiſcopi, & Abbates ſimul cum Comite Advocatos conſtituebant, Imp. Lothar. *lib.* 11. *ll.* Longob. *tit.* 47. *l.* 7. *Volumus ut Epiſcopi una cum Comite ſuos Advocatos eligant.*, & Carolus M. *in eod. lib.* 1. *l.* 2. Pipin. *in l.* 3., Ludov. *in l.* 4. & 5., Lothar. *in l.* 8.

Carolus M. accepit tutelam Monaſterii *Utenbuera* An. 796. *Abbatem nomine Totonem ex monaſterio, quod vocatur Utenbuera Cella nova, cum hominibus una, & rebus ipſius Monaſterii ſub noſtro Mundiburdio, & defenſione, propter illicitas malorum hominum infeſtationes acceptimus, & retinemus*, inquit, Diploma apud Mager. *loc. cit. n.* 401. Ottho I. Imp. ſuſcepit tutelam Monaſterii Einſidlenſis an. 946., & ab omni exemit Juriſdictione; Henricus II. Monaſterii Altaha in Bavaria. Multiplicatis deinde Monaſteriis, & Eccleſiis, Regum Cura ſingulis defendendis ſufficere viſa non eſt, ſubrogati & ſunt alii Homines præpotentes, ut Duces, Comites, Marchiones, qui hæc loca defenderent, invitis ſæpe Epiſcopis; ut ex *cap.* 15. Concil. Cabilo. circa ſeculum 7. edixit, *ut Abbates, & Monachi, aut agentes Monaſteriorum patrocinio Seculari penitus non utantur, nec ad Principis Præſentiam ſine Epiſcopi ſui permiſſu ambulare audeant*, Conf. Mabilo. *loc. cit.* At hujuſmodi decreta uſui, & moribus in Gallia, Germania, Italia, & noſtro Regno cedebant. Ita Epiſcopus Tridentinus, & Brixienſis exiſtunt ſub tutela Archiducis Auſtriæ; Eccleſia Barenſis erat ſub mundiburgio Roberti Comitis Comberſani an IIII., Ugel. *to.* 7. *p.* 618., ſicut & Comites alicui Potentioris Comitis patrocinio ſe dabant, ut in fidem,

dem, & Clientelam Willelmi Ducis Aquitaniæ ſe commendavit Fulco Comes Andegaven.,& ab eo Caſtrum Loſdunum accepit, Alteſer. *Rer. Aquitan. lib. 9. cap. 6.* Imo & exemplo Cæſarum Pontifices hoc jure uſi ſunt, præſertim cum Fundatores Monaſteria, & Eccleſias tutelæ R. Eccleſiæ offerrent, vid. exempla apud Mager. *loc. cit.* 476.

Voluntas fundatorum, qui in Inſtrumento Fundationis Advocatum Conſtituebant, qui plerumque erat, vel Imperator, vel Dux, vel Comes; ratio redditur a Concil. Ticin. An. 850., *quia hi, qui monaſteria ſub defenſione Sacri Palatii poſuerunt, ideo feciſſe probatur quod a nullo melius, quam a ſummis Poteſtatibus protegenda crediderint*, Franc. Florens *ad cap.* 23. de Præben., Roye *loc. cit.* Denique Ratio cur Advocati Eccleſiarum fuerint inducti, ne Clerici, & Monachi divitiis jam locupletati Secularibus ſe immiſcerent negotiis,& a manu Hoſtium ſua bona defenderent,rationem reddit Imp. Lotha. *lib.* 11. *ll.* Longob. *tit.* 47. *l.* 9, *Quia Epiſcopi, & Univerſi Sacerdotes ad ſolam laudem Dei, & bonorum Operum actionem conſtituuntur*. Cujus muneris ratio, cum ſummam fidem expoſceret, initio advocationis Jusjurandum adminiſtrandi fideliter bona Eccleſiæ præſtabant, cujus formulam exhibet Mabilon. *loc. cit.*

Ex his aſſiduis Advocatiæ conſtitutionibus plura deſcenderunt jura, (1) dabatur Salarium, ſeu annuus cenſus ex Eccleſiæ, vel Monaſterii reditus, & pars mulctarum, quæ temere litigantibus infligi ſolet, Concil. Mogunt. ſub Leon. III., exemplum refert Mabilo. *loc. cit.* (2) Cauſſas Clericorum Criminales cognoſcere, docet privilegium Caroli Calui apud Mabilon. *de Re Diplo. lib.* 6. 82., quo Eccleſiæ Nivernenſis amiſſa renovat Inſtrumenta,& donationes confirmat, *Si quæ autem Cauſſæ adverſus ſupra dictæ Eccleſię fuerint ortæ Canonicos, a proprio diſtringantur Epiſcopo, niſi forte Criminalis fuerint actionis, de quibus eſt ratiocinandum proprio earum Advocato*. Conrad. Imp. an. 1145. poſtquam Monaſterio S. Remigii Rementis plura donaverit prædia,addit apud Miræum in Cod. Donat. Piar. *cap. XCVII. Si effuſio ſanguinis, ſeu banni infractio, ſeu latrocinium infra allodium emerſerint, placare non poterit Præpoſitus ſine Advocato. Et exinde tertiam partem recipiat Advocatus*; & proinde habebat jus gladii. (3) Ad Caſtra pergere cum militibus, ſeu vaſſis Eccleſiæ, aut Monaſterii, quod Regi militiam debebant; (4) In bonorum Eccleſiæ alienatione, liti-

litibus, & ſervorum manumiſſionibus eorum expectanda auctoritas, Ant. Matth. *de Nobil. lib. 2. cap.* 28. *&* 29.

Hic annuus cenſus, lapſu temporis in feudum dari cepit, uti & nonnulla prædia, Comes Limburgenſis Advocatus Abbatiæ S. Trudonis An. 1130. jure feudi habuit mille, & centum manſos, *Vos habebitis inde in feodo mille, & centum manſos*, teſte Miræo apud Thomaſin. *P. III. lib.* 11. *cap.* 56. *n.* 11. Chron. Spanheimen. apud Trithem. *ad an.* 1325. *Denique ad petitionem præfati Comitis Joannis Willicho Abbas prædictum filium ejus Advocatum ſuum in Villa Monaſterii, quæ dicitur Avven, conſtituit, cui duodecim maldræ avenę & totidem pullos ab incolis ejuſdem Villæ danda ſingulis annis pro ſeudo aſſignavit.* Omnis enim Adminiſtratio, & omne propemodum officium in media ætate in feudum concedebatur. Porro Advocatia imperialis in Alſatia, antequam Auſtriacæ Domui fieret hereditaria, nonniſi perſonale officium fuit, Heinec. *Elem. Jur. German. lib.* 3. *tit.* 1. §. 33. *not.* Antiquitus, & hodie Inveſtituras concedunt Imperatores, & Principes de Eccleſiis quæ in ſuis exiſtunt territoriis; exemplum refert Lunig. Ital. Diplom. *to.* 1. *cap.* 5. *p.* 1550. *A. C.* 1188. *Qualiter Dominus Ugicio Sancti Romani Prior cum conſenſu fratrum inveſtivit Marchionem Opizonem cum libro, & Stola ante altare Sancti Romani de Advocatia Monaſterii Sancti Romani &c.*

Ex his Conſtat feudum Advocatiæ *eſſe utile Dominium in re officii induitu Dominum, ſive Secularem, ſive Eccleſiaſticum, ſive Eccleſiam, aut Monaſterium protegendi jure fidelitatis conceſſum.* Cui ſimile eſt feudum Cancellariæ, quod propter induſtriam, & opus Cancellario largitur; Juriſdictionis, conſulatus, & ſi quæ ſunt, Scrad. *P. II. c.* 4. *n.* 24., Joan. de Mundoltzh. *differt. de feud. Advoc. cap.* 1. §. 9. Hujus feudi occurrit mentio *in* 11. *f.* 28. §. *quicumque*, in quo Frid. I. inquit, privari Advocatia, aliove feudo, qui in eo ſe gerit inſolenter, ſi a Domino ſuo admonitus non reſipuit. Porro Advocatorum inſolentia, & rapacitas præſertim Eccleſiæ plurimum crevit, dum bona, & prædia ejudem uſurparent, Thomaſin. *loc. cit. n.* 4. Cuja. *ad d.* §. *quicumque*, Andr. *eo. n.* 34. 35. *&* 36. Qua de re ſeculo XIV. eorum ſilvit munus, ſi Mabilonio Fides. Mabilon. *loc. cit.*

Hujus feudi Qualitas eſt, ut vel ad tempus, vel vitam, vel precario concedatur, quamvis lapſu temporis jure hereditario

Digitized by Google

ceperit poſſideri, & familiis adhærere; ut conſtat ex donatione antenuptiali inter Antonium Barbantiæ Ducem, & Eliſabetham Joannis Ducis Corlicenſis filiam A. C. 1409., quam refert Miræus in Donat. Belg. *cap.* 134. *Etſi eandem Eliſabeth liberos, & heredes, ut ſperatur, habere contigerit, tunc hujuſmodi ſui liberi, & heredes ad ipſum Ducatum Luxemburgenſem, Comitatum Chinii, & Advocatiam Alſatiæ ſuccedere debebunt, & ſuccedunt*. Recte igitur Petr. de Marca *lib.* 1. de Concord. *cap.* 12. *n.* 1. inquit, *Jure iſto protectionis, Defenſionis, vel Advocatiæ hereditate ad ſe tranſmiſſo potiuntur etiamnum quamplurimi Principes in Germania, quod etiam quatuor adhinc ſeculis in Galliæ confinis obtinebat, multis nobilium familiis ſe Advocatorum, & vicedominorum nomine jactantibus* Præterea hæc advocatia adeo cepit eſſe in commercio, ut in dotem dari, vel in pignus, vel in ſubfeudum ſolebat, Ant. Matth. *loc. cit.* Roye *loc. cit.*, conf. Mager. *eo. cap.* IX. *num.* 775.

§. XLI.

De feudo Hereditario, & ex Pacto, & Providentia.

HÆc feudi Diviſio fruſtra in jure Longob. inveſtigatur, ſed ab Interpretibus primum, videlicet Bulgaro, & Pyleo, qui ætate Frid. I. floruerunt, excogitata, ut omnes teſtantur, Andr. *in* II. *f.* 55. §. *præterea ducatus*, *n.* 38., *& in* II. *f.* 45. *n.* 1., Camera. *in d.* 8. *præterea*, Barth. Rothius *diſſert. de feud. Hered.* §. 9. Neque *heredis* vox in jure feudali reperta, ex ea infertur, nomen *feudi hereditarii* eſſe legale, quia vox *heres* accipitur in jure fiduciario pro filio; nec ſequitur feudum eſt paternum, ergo ex Pacto, & Providentia, cum feudum *pro ſe*, *& heredibus* conceſſum dici poſſit paternum. Neque ſedulo loquuntur, qui hanc diſtinctionem aſſerunt ſumptam eſſe ex Gajo *in l.* 5. *D. de Religio.*, *& l.* 13. *C. eo.*, ubi fit mentio ſepulchri *familiaris*, *& hereditarii*; quum longe diſtet ratio ſepulchri familiaris, quod ad extraneos etiam heredes tranſit, a feudo ex pacto, & Provid., in quo vocati in Inveſtitura tantum ſuccedunt, I. *f.* I., II. *f.* 18., I. *f.* 13. §. *etſi clientulus*. Igitur nec jure

Digitized by Google

jure Longobardo, nec Romano hæc Clientelæ diviſio cognita eſt.

Appellatur feudum ex *pacto*, & *Providentia*, quoniam ex *providentia*, hoc eſt liberalitate Principis, aut cujuslibet Domini inveſtientis non tantum primo inveſtito, ſed omnibus ejus deſcendentibus voluit donare. Ex *Pacto*, quia ſuccedens in feudo dicitur ex pacto, ſeu conventione in prima conceſſione interpoſita jure ſuo, non alieno obtinere: & Vaſallus recipiens feudum, illud recipit pro omnibus, qui ex ſuo ſanguine ſunt, in infinitum, II. *f.* 18. II. *f.* 26. §. *Titius*, II. *f.* 3. §. *ſed etiam res*, II. *f.* 39.. Camer. *in cap.* I. *An Agnat. P. III. n.* 4., Hart. Piſtor *lib.* II. *QQ.* I. *n.* 26. Hinc quilibet hujus feudi Succeſſor non dicitur aliquid de novo adquirere, ſed initio jam quæſitum capere; nec unus capit beneficio alterius, nec unus nocere alteri poteſt, ſed quot ſunt perſonæ in conceſſione vocatæ, tot intelliguntur eſſe donationes, II. *f.* 39., Andr. *in* II. *f.* 55. *n.* 38., *in* I. *f.* 8. *n.* 9.

Dicitur *Hereditarium*, quia ex Inveſtitura qualitatem recipit hereditariam, at feudalem, non quamlibet, ſecus ad extraneos quoque tranſiret, niſi aliter pacta fuerint conventa, videlicet ſi dictum ſit, *proſe*, & *quibuſcumque heredibus*. Antiquitus in feudis nulla erat Succeſſio, ſed in arbitrio Inveſtientis erat rem ſuam in feudum datam revocare, poſtea ad annum, deinde ad vitam, lapſu temporis ad filios, poſtremo in linea deſcendentium in infinitum uſque; in collaterali ad ſeptimum uſque gradum, I. *f.* I. Ex quibus patet jure Longobardo has feudorum ſpecies fuiſſe cognitas videlicet, precaria hoc eſt a Domino revocabilia, perſonalia, ideſt ad vitam uſque, cum privilegio Domini ad Poſteros tranſitura, perpetua ideſt ad certum gradum, indefinita ſcilicet in innumeros poſterorum gradus perennia, ex gratia Domini, & proviſione Principi acquirentis; feuda vero hereditaria, ſive patrimonialia, de quibus loquimur, feudalis Longobardorum Nomotheſia neſcit. Qua de re inducta in feudis Succeſſione, & peracta juris feudalis collectione, Prudentes, inter quos primi Bulgarus, & Pyleus fuerunt; aut ex Inveſtiturarum varietatibus, quas tunc forſan Domini directi, atque Utiles adhibere poterant, aut ex conſideratione Succeſſionis jam introductæ in feudis, de Clientelis cum qualitate hereditaria, & ex pacto agere ceperunt. Mira erat tunc temporis legum Romanarum extenſio

Digitized by Google

ſio de caſu ad caſum, de una ſpecie ad alteram, quam Interpretes, ut, Baldus, Azo, Accurſius, ceteri, præſertim Bartolus, faciebant. Atque hæc fuit origo, & occaſio feudi ex pacto, & hereditarii.

Quodnam ſit feudum ex pacto, quodnam hereditarium? Roſent. *cap.* 11. 33. *n.* 1. inquit, adeo inter feudiſtas certari, ut *Imperatoria auctoritate* opus eſſet. Duæ tamen celebrantur ſententiæ, prima vocatur *Pyleana*, ſecunda *Neapolitana*. Pyleus, & Bulgarus ajebant, vocem *heres* in Inveſtitura appoſitam tantæ virtutis non eſſe, ut hereditariam qualitatem feudo ingereret, ſed illud relinquere in ſua natura. Neapolitani, & Siculi Prudentes docent, feudum pro ſe, & heredibus conceſſum, rei hereditariæ qualitatem, & naturam aſſumere, nec ab allodio Clientis diſtingui. Pyleum Roſent. *loc. cit.* defendit; Hart. Piſtor *lib.* 11. *QQ.* 1. *& ſeqq.*, ſicut & nos, Neapolitanorum ſuſcipimus tutelam.

In refellenda Roſenthalii opinione, potius aliena deſtruenda, quam noſtra firmanda oportet. Feudum hereditarium jure Longob. ignotum eſt, ſed dumtaxat ex pacto, & prov. novit Montan. *in* 11. *f.* 55. §. *prætereas ducatus n.* 86. Nam licet vox *heres* reperiatur in textibus feud., ea tamen accipienda eſt de filio mare 1. *f.* 13. §. *& ſi clientulus*, vox itaque *heres*, ſenſu, quo ſumitur in jure feudali non fuit perpenſa a primis hujus diviſionis auctoribus, ſecus ſuperflua eſt diſtinctio. Nec id mirum; vox enim heres ſi apponitur ab homine in Inveſtitura, conſtituit feudum hereditarium, ſi vero exprimitur a lege feudali, tunc nihil aliud agit, niſi ut feudum non ſit perſonale, ſed ex pact. & provid. acquiſitum pro liberis, Thom. de Marin. *de feud. ex pact. & provid. n.* 55., H. Piſtor. *loc. cit. n.* 79. *&* 89., Andr. *in* 11. *f.* 45.

Si itaque hoc jure feudum hereditarium fuit ignotum, feudiſta in 11. *f.* 45. intelligi non poteſt, niſi de feudo ex Pacto, & provid., quod proprium, & ſimplex dicitur, ut probat, Piſtor *loc. cit. quæſt. ll. tot.* In textu inquiritur, an filius poſſit retinere feudum, & repudiare hereditatem? deciſio eſt, non poſſe, cum id tantum Agnatis datum ſit. In feudo enim hereditario tam filius, quam agnatus tenetur heres eſſe; igitur textus loquitur de feudo ex Pacto Andr. *in d.* 11. *f.* 45. *Camer. eo.* Piſtor *loc. cit. n.* 16. Hinc colligitur quid ſit feudum hereditarium, nem-

nempe *feudum hereditaria qualitate indutum, quodque citra jus, & nomen heredis haberi non poteſt*, feudum ex Pacto, & Provid. eſt, *in quo Agnatus ſuccedit, etſi non ſit heres defuncti*; quamvis improprie omnia feuda cujuſcumque ſint naturæ, & qualitatis dici poſſint ex pacto, & provid. cum deſcendant ex providentia Concedentis, & pacto contrahentis, conſ. Tho. de Marin. *loc. cit. n.* 13.

§. XLII.

De differentiis, Cauſulis feudi & Pacto, & Hereditarii.

PRima inter hujuſmodi feuda differentia eſt, ut filius qui vult ſuccedere in feudo ex pacto, tenetur eſſe heres Patris in allodio 11. *f.* 45. vel repudiare & feudum, & hereditatem. Agnatus vero poteſt repudiare hereditatem defuncti, & feudum accipere *d.* 45., ubi Andr. *n.* 4. *Camil. de Curt. in Diver. P.* 1. *p.* 58. *n.* 20., Covar. II. *reſol.* 18. *n.* 14. Afflict. *deciſio. CXII.*, Thom. de Marin. *de feud. ex pact. n.* 30. Ratio differentiæ duplex eſt, prima: Si filius non eſſet heres, inferretur injuria Patri, cum ex Prætoris Albo ignominioſum ſit, ſine herede decedere §. 1. *Inſt. Quibus ex Cauſ. manum.* Secunda: filius non poteſt ad feudum pervenire, niſi mediante ſui Patris perſona; ſi enim ex perſona ſui Patris non veniret, excluderetur ab agnato, qui proximior eſt reſpectu primi Aquirentis. Perſona Patris hoc efficit, quia pater, & filius natura, & lege fere unum corpus conſideratur, & una perſona *l. fin. C. de Impub. & Alj. Subſt.* Quæ ratio in Agnatis penitus ſilet, qui feudum accipiunt non a defuncto, ſed a communi Parente, puta Avo, Proavo, qui id primus adquiſivit. Finge: feudum adquiſivit Avus meus ab eo tranſiit in patrem meum, a patre autem abvenit mihi, me ſine liberis mortuo, in id ſuccedit patruus meus non quaſi in feudum meum, ſed in feudum patris ſui; idcirco Agnatus, repudiata hereditate mea, retinet feudum, nec debitis hereditatis abligatur, non vero filius, Cuja. *in* 4. *f.* 54., Piſtor *lib.* 11. *QQ.* 2. *n.* 27., Thom. de Mari. *loc. cit.* conſ. P. Ludewig. *lib.* 1. *Jur. public. Opuſc. VIII. cap.* 5. §. 8., dicam *lib.* 3.

Neque

Digitized by Google

Neque obſtat, Patrem non poſſe filio in feudo præjudicare, *ex* 1. *f.* 8., quia id intelligitur, ne eum in feudo oneret; ſed hic conſideratur filius cum qualitate, quia *filius*, hoc eſt qui potius a Patre feudum recognoſcit, Camer. *ad* 11. *f.* 45. *n.* 1. & 2., Camil. de Curte *loc. cit. n.* 24. Ex quibus conſtat filium deterioris eſſe conditionis, quam Agnatum, cum Agnatus poſſit feudum accipere, & repudiare allodium, non vero filius, qui, ſi inventarium non confecerit, Legatariis, & Creditoribus tam in allodio, quam in feudo ſatisfacere tenetur, quia debet obſervare factum defuncti *l. cum a matre C. de R. V.* ſicut delictum Patris contra Dominum nocet filio, ſed non agnato, 11. *f.* 31. conſ. de Marin. *loc. cit. n.* 41. dicam *lib.* III., Piſtor *loc. cit. Quæſt. XIII. n.* 53.

In feudo autem hereditario tam Agnatus, quam filius tenetur eſſe heres defuncti, ut ante dictum eſt; quia qualitas hereditaria adeo ipſi Subſtantiæ feudi ineſt, ut illud pro re hereditaria reputetur, & jure hereditario quiſque ſuccedere debet; & nemo poteſt aliquam hereditatis partem acceptare, alteram repudiare. Porro feudum hereditarium cenſetur uti res allodialis, tam in iis, quæ perſonam heredis reſpiciunt, quam ad ceteros veræ hereditatis effectus, immutata tamen feudi natura, ſeu eſſentia. Hinc excluſus ab hereditate, nequit in feudo ſuccedere, imputatur in legitimam, venit in petitione hereditatis, Thom. de Mari. *de feud. tit.* 11. *n.* 37., Curt. *P.* 1. *quæſt.* 8. *n.* 20. Andr. *in* 1. *f.* 8. *n.* 7., Camil. de Curt. *in Diverſ. Jur. feud. P.* 1. *p. m.* 47. *n.* 45. finge: Pater inſtituit heredes duos, vel tres filios, quorum aliqui ſunt particulares, alii Univerſales, eoſque fideicommiſſo oneravit; tunc in fideicommiſſi reſtitutione, venit etiam feudum.

Quæſitum eſt, an Succeſſor in feudo hereditario, debeat eſſe heres primi Aquirentis, & ultimi Defuncti? Receptum eſt, Succeſſorem & primi, & ultimo Defuncti heredem eſſe debere, quia omnis, qui vult ſuccedere, debet habere qualitatem in Inveſtitura appoſitam, ut ſit heres ei, cui vult ſuccedere; & qualitas hæc *ut ſit heres* perſonalis non eſt, nec pro primo herede, ſed pro omnibus heredibus, quia feudum hoc deſiderat, ut qui primi Acquiſitoris heres eſſe cupiat, ultimo Defuncti hereditatem adeat neceſſe eſt. Nemo enim in feudo hereditario ſuccedit proprio jure, ſed beneficio Defuncti Thom. de Marin. *loc. cit. n.* 34., Ma-

Digitized by Google

34., Marin. Frecc. *lib.* 3. *diſſer.* X. conſ. Camer. *in* 11. *f.* 55. §. *pręterea ducatus.*

Ex his colligitur Succeſſori in feudo hereditario onus eſſe factum Defuncti ratum habendi ex *l. cum a matre C. de R. V.* quia heres in hoc feudo cenſetur una perſona cum Defuncto, & feudum uti res defuncti, & non heredis, Freccia *loc. cit. Differ.* IX. dicam. *lib.* 3. At Succeſſores in feudis ex Pacto non tenentur factum defuncti obſervare, quia non jure, & beneficio illius, ſed proprio ſuccedunt, nec unus capit ab alio, ſunt tot donationes, ſunt fideicommiſſa, ſubjacent reſtitutioni, nec unus poteſt alteri obeſſe auth. *res quę C. Commun. de Legat. l. fin. C. de V. S.*, dicam *lib.* 3. Idcirco in alienatione feudi hereditarii conſenſus Domini tantum requiritur; ſed in alienatione feudi ex Pacto, opus eſt etiam conſenſu Agnatorum, qui in Inveſtitura vocatis non nocet, ſed illis tantum, qui conſenſerunt. Et quia ſub nomine alienationis continetur præſcriptio, feudum hereditarium poteſt præſcribi ſpatio XXX. an. ex §. *ſi quis* 11. *f.* 26., neque heres feudum jam præſcriptum vindicare poteſt, quia dum Pater ejus paſſus eſt feudum præſcribi, cenſetur illud alienaſſe; feudum vero ex Pacto, præſcriptum poteſt Succeſſor vindicare, tam filius, quam Agnatus, & etiam Dominus, quia dum Pater poſſedit, filius agere non potuit, & non valenti agere non currit præſcriptio, cum ea inducta fuerit contra negligentes *l.* 1. §. *fin. C. de Annal. Except.*, Andr. *in* 11. *f.* 8. *n.* 7. Frecc. *loc. cit. diſſer.* 4.

Et quoniam feudum hereditarium cenſetur, uti res hereditario, quare Succeſſor mittitur in poſſeſſionem hujuſmodi feudi ex *l. fin. C. de edict. Div. Adria. tollen.*, qui judici oſtendit teſtamentum non cancellatum, non abolitum, non vitiatum. In feudo tamen ex Pacto ceſſat *d. l. fin:*, quia non venit ut heres, ſed jure proprio, & ex pacto primi Adquirentis, Thom. de Marin. *de feud. tit.* 6. *n.* 35., Frecc. *loc. cit. XVII.* Neque in feudo ex Pacto quis dicitur *ſuccedere*, aut ex teſtamento, aut ab inteſtato, ſed *capere*, Proinde filius in feudo hereditario poteſt exheredari, non in feudo ex Pacto Frecc. *loc. cit. XXIII.*, dicam *lib.* 11. Denique inſpecta feudi hereditarii, & ex Pacto natura, ſimiles quiſque poterit cognoſcere differentias, quas *Freccia XXXIII.* collegit, ex Interpretum præcipue mente deſumptas.

Clauſulæ feudi hereditarii ſunt, *concedo tibi, & tuis heredibus,* vel

vel *heredibus* ex *tuo corpore legitime deſcendentibus:* vel *heredibus, & Succeſſoribus*; vel *ſuis heredibus legitimis maribus*. Denique quoties in Inveſtitura appoſita fuerit dictio *heres* conſtituitur ſtatim feudum hereditarium, cujus tanta vis eſt, ut rem conquiſitam pro ſe, & heredibus, hereditariam efficiat, eaque filiis uti heredibus cum qualitate hereditaria cenſetur conceſſa, & quamvis dictio *heres* accipiatur de deſcendentibus, non tamen ſequitur, non requiri, illos deſcendentibus eſſe heredes, quum recte ſanguis, & qualitas hereditaria poſſint concurrere, quæ immutat ſanguinem, Camer. *in* II. *f.* 55. §. *præterea ducatus*, Andr. *in* II. *f.* 8. *num.* 8., eleganter Piſtor *lib.* II. *QQ.* 3. *num.* 22. *& ſeqq.*

Feudi ex Pacto formulæ ſunt, *concedo tibi, & liberis tuis; vel tibi, & tuæ proli; vel tibi, & poſteris; vel tibi & deſcendentibus*. Non quia hujuſmodi voces valeant conſtituere feudum ex Pacto, ſed quia non eſt addita dictio *heres*; & tunc cenſetur datum filiis uti filiis ſine qualitate hereditaria, propriumque feudum vocatur, jure Longob. cognitum, dicam *lib.* II. interim *Conſ. Intrigl. Cent.* I. *Q. XLVII. & XLVIII.*, Piſto. *loc. cit.* Illud tamen animadverto, feudum hereditarium, & ex Pacto, dividi in novum, & antiquum, de qua diviſione ſupra dixi, de *feudo novo, & antiquo*.

§. XLIII.

§. XLIII.

De Aliis Feudorum Speciebus.

PRæcipuas recenſuimus feudalis Clientelæ ſpecies; at ſi mores & leges nonnullarum Gentium recolamus, patent & aliæ; Nam nulla res, vel corporalis, vel incorporalis a Privatis, vel a principibus in medio Aevo poſſidebatur; nulla Dignitas, nullum officium erat; denique nulla res, quæ poterat eſſe in commercio, reperiebatur, cui fidelitas feudalis, ſive ut dicit P. Bleſenſ., *ligantia* annexa non eſſet. Neque id mirum; quum nullum humanæ Societatis vinculum fortius ſit, quam fides, præſertim feudalis, qua quiſque in perturbatis Imperii ſtatibus indigeat neceſſe eſt, vel ad res ſuas conſervandas, vel ad arcendos hoſtes, vel fines proprii patrimonii extendendos, vel ad benemeritis præmia conferenda.

Hinc invenimus feuda *Loricæ*, de quo fit mentio in Chron. Sigeberti *ed. Piſt.* de Henrico Rege ad Sacram ituro expeditionem loquens, inquit, *nolens vexare agrarios milites, nec burgenſem, nec ruſticorum multitudinem, ſumptis 60. ſolidis Andegavenſibus, in Nortmannia de feudo uniuſcujuſqne Loricæ*. Lorica erat veſtis militaris, & qui in bello pro domino dimicaret, ſtipendium, vel quid aliud haberet, quod *feudum Loricæ* a veſte, qua utebatur, dictum eſt, uti apud Romanos *Palma* dicebatur toga, quia eam *merebantur hi, qui reportaſſent de hoſtibus palmam*, ait, Serv. *in XI. Aen. V.* 238.

Feudum *Sculteti*, ideſt judicis paganici, qui cum aliqua poteſtate ſuæ præeſt Univerſitati, & illud munus in feudum datum eſt, & diſtrictus, cui ipſe præerat, dicebatur *Sculteria*. Germani enim, conſtituto francorum regno, res majoris momenti cognoſcebant in ordinum Conciliis; minorum vero Cauſarum cognitio erat penes Epiſcopos, Regios Legatos, alioſque: Cauſas privatorum in ſingulis oppidis cognoſcebant *Graviones*, & Scultati, ideo hæc feudi ſpecies frequenter occurrit in Germaniæ Chartis, ſed annota fuerit Longobardis? negat Wilduogel. *diſſert. de feudo Scultet.* §. 14. Male: nam in legibus Longobardorum

Digitized by Google

ſæpe legitur munus *Sculdaſii*, ſeu Scultati, quas collegit Dufreſne in Glos. *h. v. vid. Heinec. Elemen. jur. German. lib.* III. §. 22. *& ſeqq.* Ita & in legibus Malcomi II. Regis Scotiæ reperiuntur feuda Cancellarii, Juſtitiarii, Camerarii, Seneſcalci, Conſtabularii, Vicecomitis, & ſimilium Dignitatum, atque officiorum, quæ in Gallia etiam jure feudi dabantur Buleng. de *offic. Regni Galliæ tit. de feudis, Licet autem proprie feuda ſint immobilia, Comites tamen, & Barones, poſtea officia ipſa in feudum contulerunt, ut feuda Seneſcalli, Camerarii, Lagenarii, quæ facta ſunt hereditaria*, Struv. *Hiſt. jur. feud.* §. 7.

Feudum ædificii, ſeu domus, aut arcis; nam cum prima feudorum Cauſſa fuerit ex prædiis ſtipendia, & mercedem in feudum conceſſis percipere Vaſallos, ſæpe tamen ſummi Principes, Proceres, aut privati in ſumma conſtituti paupertate, propter numorum inopiam, ædes jure feudi donabant, a quibus Vaſalli, præſertim in Civitatibus frequentioribus, ſtipendium accipere dicebantur, cum habitatio numeretur inter alimenta *l. 6. D. Alimen. legat.* Differt. vero a feudo habitationis, quod nudam tribuit habitationem, & morte accipientis finitur; feudum ædificii conceditur in perpetuum, vel ſicut conventum eſt, & præter habitationem habet utile Dominium. Hujus feudi plura exſtant exempla, quæ refert Henr. Klotzius *diſſert. de feud. Ædific.* §. 18., unum afferam; An. MCCCXV. Reinaldus Comes Geldrienſis de area, domoque, hac lege, inveſtivit Hermannum monachum, *Ut in Area iſta ſtabula conſtruere, & quotieſque, & quandocumque Comes Reinaldus ejuſque Collateralis, heredeſque Huiſiam venirent, domum, ſtabulumque cedere, & exhibere —— lectos, & linteamina miniſtrare —— vina ipſorum in Cancellaria, & annonam ipſorum in Solaria domus hujus feudalis recipere debet.*

Feudum Caſtrenſe eſt, quod ea lege Dominus concedit, ut Vaſallus ad ſuam Caſtri defenſionem teneatur, Scrad. *P. II. cap.* 4. *n.* 17., Roſent. *cap.* 11. 78. ſive tempore belli, ſive imminentis periculi. Exemplum eſt apud Freher. *de orig. Palat. lib.* 1. *cap.* 10., *Nos Pappo de Durn Comes de Dilnsperg tenere præſentium proteſtamur, & patere volumus univerſis, quod nos receptis centum marcis argenti Colon. ponderis a Domino noſtro Ludovico illuſtri Comite Palatino Rheni, Duce Bavariæ pro Caſtrali beneficio tenemur, tam nos, quam heredes noſtri, in Caſtro ſuo Heydelberg idem*

Digitized by Google

idem Caſtrale beneficium, præſtito ſuper hoc corporali Sacramento fideliter perpetuo deſervire. Habebimus ſiquidem in eodem Caſtro loco noſtri unum militem continue reſidentem, & cum per dictum Dominum noſtrum, vel per Capitalem ſuum procuratorem moniti fuerimus pro defenſione Terræ, vel honoris ſui, reſidebimus ibidem præſentia perſonali.

Denique non modo res profanæ jure feudi dabantur, ſed & Altaria, ideſt reditus altaris, unde feudum *altaragii*; & nonnulla quæ Commercio digna poſſunt exiſtimari.

Digitized by Google

C A P. IX.

DE FEUDIS REGNI NEAPOLITANI.

§. XLIV.

De pleriſque feudorum Diviſionibus exoletis.

CLientelaris Longobardorum Nomotheſia non ab omnibus in Europæ provinciis eadem ſorte fuit recepta, propter diverſas populorum Municipales leges, & mores, qui ei derogarunt. Inter hos recenſetur Regnum Neap. olim jure non ſcripto feudali vivens, deinde ſcriptis legibus, ab ævo Nortmanicæ Stirpis ad noſtram uſque ætatem, quod tot habuit Interpretes, ut omnes in feudorum Scientia ſuperaverit, teſtis eſt V. CL. Hart. Piſtor *lib. II. QQ.* 1. *n.* 85. *Plerique ex his Siculi, vel Neapolitani fuerunt, quibus in locis ſedulo examinari, & (ut Camerarii verbis utar) in torculari poni ſolent, ut quæcumque in jure feudali ſcripta, in manibus habemus, eorum optimam partem hiſce merito acceptam feramus.* Primi enim juris feudalis Interpp. plerique ex hoc Regno exierunt, puta Andr., de Bellov., Afflict., Camer., Freccia, ceteri, qui ſcriptis in Cathedra, & foro magnopere auxerunt.

Feudorum vero diviſiones, quas recenſui, non omnes in hoc Regno viguere. Et quidem de feudis *oblatis* nulla in legibus noſtris, vel monumentis occurrit mentio; Nam, ejectis Græcis, Saracenis, & Longobardis, Nortmanni, qui Monarchiam conſtituerunt, non jure precario, non fiduciario, ſed optimo maximo has Regiones poſſidebant. Neque aliqua erat Juriſdictio, quæ poſſet eximere ſubditos ab Imperio noſtrorum Regum, qui in Juſtitia adminiſtranda omnibus ſatis erant. Neque jure Protectionis opus erat, dum ipſi oppreſſiones, & injurias a Potentioribus illatas reprimerent. Nec alicui fas erat ſuum alodium jure feudi, vel dati, vel oblati concedere, aut offerre.

Quare Frid. II. in Conſt. *quia frequenter lib.* 3. 9. ſanxit, *Nemini*

Digitized by Google

mini licere occaſione alicujus terræ, vel feudi, quod teneat, vel recipiat a Comite, Barone, ſeu Milite, vel perſona Eccleſiaſtica, aut etiam ſeculari, conventione qualibet, quamvis juris ſolemnitate vallata perſonam propriam aliquibus ſervitiis obligare, & ſub occaſione hujus ad alterius commendationem, ſeu dominium convolare, ſed tantum reditus in pecunia, vel rebus aliis pro eo, quod receperit, agnoſcat. Nos etenim qui ſumus Domini perſonarum abſque noſtræ ſerenitatis aſſenſu, perſonas ſervitiis perpetuis, aut conditionibus nolumus obligari. Prohibet itaque Imp., aliquem ſe obligari in perpetuum, vel Vaſallum ſe conſtituere, cauſſa forſan alicujus feudi, cum ipſe ſit Dominus perſonarum ſui regni.

Idem Imperat. in Conſt. *Cum Univerſis lib.* 3. 7. inhibuit, *Ut in terris Demanii noſtri nulli omnino liceat Affidatos, vel Recomendatos habere, vel dudum non ſine offenſa noſtræ Celſitudinis habitos retinere: niſi de habitis a quocumque tempore retroacto, vel in poſterum habendis a nobis, vel divis Regibus, vel Auguſtis Prædeceſſoribus noſtris privilegium, vel ſcriptum debita ſolemnitate munitum oſtendat. Preſcriptionem etenim aliquam eis prodeſſe non volumus, qui fidei debito, Sacramento, contempto, quo non uſurpare fiſcalia, ſed defenſare tenentur homines ad noſtrum demanium pertinentes, vel qui ſi ab eis recepti non eſſent, in noſtro demanio remanſiſſent, quantolibet tempore tenuerint &c.* & Conſt. ad *Subjectorum lib.* 3. 11. (c) Ratio, quam affert Frid. eſt, quia Clypeus regiæ Majeſtatis contra quorumlibet impetus reprimendos valet.

Hinc

(c) In Regno Siciliæ, ex vetuſto more, Barones ſub ſuo Mundenburdio tenebant quoſdam homines, quos illa ætas *affidatos, commendatos, vel recommendatos* dixit, ut Villel. Rex conceſſit Eccleſiæ Juvenacenſi apud Ugell. *to. VII.* A. 1172. *p.* 275. *Poteſtatem indulſimus ad opus ipſius Eccleſiæ* 25. *homines affidandi juxta uſum, & conſuetudinem Eccleſiarum, & Baronum illarum partium, qui poteſtatem habent homines affidandi.* Innoc. III. *lib.* 11. *Epiſt.* ad Archerundinum Archiep. *Auctoritate præſentium indulgemus, ut homines, qui ſe tibi, vel Eccleſiæ tuæ recommendare voluerint, quod ſecundum terræ conſuetudinem Affidati*

Digitized by Google

Hinc idem Princeps in Conſt. *ſi dubitario lib.* 3. 8. in dubio, inquit, Vaſallos præſumi potius de demanio Regis, quam Comitum & Baronum, ſi in regio ſint conſtituti demanio, ibi Gloſſa. Conſtit. *ut univerſis* retinuerunt Andegavenſes in Cap. *Prędeceſſorum noſtrorum*, & in Cap. *in ſingulis Civitatibus noſtris*. Atque ita abrogata eſt lex Pipini *in lib.* 11. *LL.* Longob. *tit.* 9. *l.* 1. qua licentiam omnibus dedit *ſe commendandi, ubi voluerint, ſicut antea in tempore Longobardorum conſuetudo fuit*. At lex Friderici ex jure Rom. ſumpta eſt *in tit. C. Ne liceat Potent. Patroci., & ſeqq.* quo vetatur, ne quis diffidentiæ cauſſa, vel Adverſarii terrendi gratia, prædiis, quorum nomine conveniuntur, *titulos* Potentiorum affigat. (*d*) Aut ſi quis gratia, & poteſtate valeat, non poſſit patrocinium adverſus Imbecilliorem ſuſcipere; quod & vetuſtis, & novis Imperatorum legibus prohibitum eſt, vid. Mager. *de Advoc. Armat. cap.* 1. *num.* 2.

Ex his patet nec apud nos viguiſſe feudum *Advocatiæ*, nec feudum *Curtis, & extra Curtem, Habitationis, Franci, Guardiæ, Gaſtaldiæ, Pignoratitium, pecuniarium, Soldatæ*, & ſi quæ ſunt. Feudi vero *Cameræ*, & *Cavenæ* frequens eſt uſus, diciturque *Situatio*, dum inveƈtiſſimus noſter Rex annuas penſiones in feudum

---

datio nuncupatur —— tibi recipere liceat. Ob hanc defenſionem ab his hominibus exigebant annuam penſionem, vel duas gallinas, vel libram piperis, vel quid aliud, Roffred. Beneventa. (qui ſub Frid. II. floruit) *lib. de Ordi. Judic. tit. de Villanis*. Hanc Conſuetudinem abrogavit noſter Frid. *in dd. Conſtit.*

(*d*) Olim ſingulis domibus proprium titulum, ſive inſignia affigebant, ut legitimum poſſeſſorem indicarent, S. Aug. in Pſal. XXI. *Ne domum ipſius petat aliquis, ponit ibi titulos Potentis, titulos mendacis, ipſe vult eſſe poſſeſſor, & frontem domus ſuæ de alieno titulo muniri, ut cum titulus lectus fuerit, conterritus qui potentia nominis, abſtineat a petitione*. Sicut moris erat, affixis fundo privato titulis Principis arguere rem fiſco eſſe vindicatam, & Athenis prædia ſignata, dicebantur pignoris nexu obligata ἐστιγμένα, libera vero ἄστικτα, Buleng. *de Imp. Rom. lib.* 3. *cap.* 26.

Digitized by Google

dum concedit, abſque deſignatione certi corporis, ſed a generali Theſauraria exigendas, Camil. de Curt. *in diver. jur feud. P. 1. p. 26. n. 39.*, De Roſa *in prælud. feud. lect. 11. n. 9.*

At a primis hujus regni initiis hæc feudorum genera cognita ſunt nempe *quaternatum ſimpliciter*, *quaternatum ſecundum quid*, *Eccleſiaſticum*, *planum*, *& de tabula*, *& Juriſdictionis*.

§. XLV.

De feudo ſimpliciter Quaternato.

VOcabulum *Quaternati* in jure Longob. non invenitur, ſed in legibus dumtaxat noſtris, & Galliæ, Conſtit. *Si quis Baro lib. 3. 13.*, Conſt. *dignum lib. 1. tit. 44.*, Conſt. *poſt mortem lib. 3. 25.* & ceteris. Definitur eſſe feudum *quod a Rege confertur*, *& in quinternionibus Regiæ Cameræ adnotatur*. Nam in Regno feuda nobilia cum Vaſallis a Rege tantum cognoſcuntur, ideo leges vocant *feudum in Capite*, Conſt. *honorem noſtri diadematis lib. 33.*, Conſt. *ut univerſis lib. 1. 47.*, Conſt. *ut de Succeſſionibus lib. 3. 27.* ſeu *Capitale*, uti apud Anglos feudum a Rege collatum dicitur teneri in *Capite*, Matth. Paris. *ad An. 1231.*, quod poſtea Interpretes noſtrarum legum præſertim Andreas, Afflictus, Camerarius, & Freccia dixerunt *immediata*, & a nullo alio recognoſci, quam a Rege, ut Baronia, Caſtrum, Ducatus, Comitatus, Marchionatus, Andr. de *Controv. feud. n. 20.*, *& in 11. ſ. 51. n. 14.* Capyc. in Inveſt. §. *feudorum genera*, Intrigl. *Cent. I. quæſt. XXXXV.*, Camil. de Curte *in Diverſ. P. II. cap. 5. n. 117.* (e)

Hæc

(e) Formulæ, quibus Reges noſtri in feudorum Conceſſione utebantur, erant *teneri in Capite a R. Curia*, *&* *teneri ab alio*. *Teneri in Capite*, exprimere ſolebant feudum, cujus Conceſſio ad Regem dumtaxat ſpectabat; *teneri ab alio* indicabant ſubfeudum, quod tam a Rege, quam a Barone ſimul dabatur; vel ſolius Baronis interveniebat aſſenſus, quo feudum *planum militare*, *vel ruſticum* conſtituebatur. Hujuſmodi feudalis locutio a Nort-

Digitized by Google

Hæc Regalis feudi Collatio dicitur *Quaternata*, quia in quinternione, ideſt volumine, in quo feuda hus Regni deſcribuntur. Vetuſta enim conſuetudine in utroque Regno ſtatutum fuit a Nortmannis uſque incæpta, reditus, qui vel ex Demanio, vel ex terris, Civitatibus, Caſtris, aut Oppidis jure feudi conceſſis, percipiebantur, ceteraque noſtrorum Principum bona in magno deſcribi volumine, ut poſſent, & vires Regni, & Vaſallos, & feudalia ſervitia noſtri Principes callere; Quod volumen *Quinternio* appellatur, & ævo Nortmannorum hujuſmodi Regales Re-

---

mannis, Svevis, & Andegaven. ad Joannam I. (ni fallor) uſque ſervata fuit, donec Celeberrimus Andr. de Iſernia jus feudale Longobardorum perpetuis illuſtrare aggreſſus eſt commentariis, & municipales leges, qui dialectica imbutus diſciplina, non a multis retroannis in Scientiarum caſtris inducta, nova invenit vocabula, nempe *mediate*, atque *immediate*. *Mediate* ſignificavit ſubfeudum, quod ab alio, non a Rege tenetur. Immediate, feudum, quod a Rege confertur. Andream omnes regni ICti ſecuti ſunt. Camer. *in* 11. *f.* 55. *p. m.* 69. *lit. L.* Sic rem explicat, *Fiſcales paulo ante nos adinvenerunt Cautelam, quod quanto Baro vult ſubinfeudare aliquid de ſua Baronia, & impetratur aſſenſus Regius ponunt Clauſulam, videlicet dum tamen immediate, & in Capite a Regia Curia teneat, nam illud tenere in Capite erat prius ſine iſta dictione immediate quia in Capite tenetur a Rege, quod ab eo, vel ab alio Barone, eo conſenſiente, tenetur*, ut in Conſt. *ut de Succeſſionibus, & ibi Glos. & Iſern., & in d. c.* 1. *de Nat. Succeſ. feud. ſed addiderunt aliud verbum, videlicet immediate, quaſi nullo modo teneat ab alio* ——— *Per quæ vides feuda quaternata ſimplicia eſſe illa, quæ immediate tenentur a Rege, feuda vero quaternata ſecundum quid eſſe illa, quæ tenentur mediate a Rege, immediate autem a Comite, vel Barone, & in quinternionibus regiis deſcripta ſunt*. At ſive in capite, ſive immediate ſive mediate dicatur, nihilominus natura feudorum hujus Regni a Nortmannorum Monarchia ad noſtram uſque ætatem, ſi nonnulla excipias, immutata non eſt. Et mihi communicavit olim D. Michael Vicchione Advocatus, vir ſelectæ doctrinæ, & artis noſtræ ornamentum.

Reditus in libris, quos *Defetarios* dixerunt, erant adnotati, uti in Hiſto. dictum eſt, (*f*) & patet ex Conſtit. *Magnæ Curiæ lib.* 1. 41. *no. de Comitatibus videlicet, Baroniis, Civitatibus, Caſtris, & magnis feudis, qui in quaternionibus Dohanæ noſtræ Baronum inveniuntur inſcriptis*. Conſt. *juſtitiarii nomen lib.* 1. 44. quæ de poteſtate M. Juſtitiarii loquens, ſancit, *de Caſtris, & Baroniis, & magnis feudis, quæ in quinternionibus Dohanæ noſtræ ſcripta ſunt, quę omnia ſingulariter cognitioni noſtræ Curiæ reſervamus*, Andr. *in* 11. *f.* 16. *n.* 9., Camer. *in* 11. *f.* 55. *p.* 69., Montan. *de Regal.* §. *fin. n.* 1. (*g*)

Animadvertendum tamen eſt ſub Nortmannis, Svevis, & Andegavenſibus duo fuiſſe volumina, ſive Regeſta; primum continebat

S

(*f*) De quibus Hugo Falcand. *in Hiſt. Sicula, edit. Murat.*, *cum autem eis* (ideſt familiaribus Regis, qui erant Richardus Syracuſan. Electus, Sylveſter Comes Marſicenſis, & Henricus Ariſtippus) *Terrarum, feudorumque diſtinctiones, ritusque, & inſtituta Curiæ prorſus eſſent incognita, neque libri conſuetudinum quos Defetarios appellant, potuiſſent poſt captum Palatium inveniri, placuit Regi, viſumque eſſe neceſſarium, ut Matthæum Notarium eductum de Carcere in priſtinum officium revocaret: qui cum in Curia diutiſſime Notarium extitiſſet, Majoniſque ſemper adhęſiſſet lateri, conſuetudinum totius Regni plenam ſibi vindicabat peritiam, ut ad componendum novos defetarios eadem prioribus continentes putaretur ſufficere*. Ita & apud Romanos erat Rationarium, & Breviarium, quod totius Imperii R. Vectigalia, onera, ſtipendia, provincias, magiſtratus, & Salaria deſcripta continebat; & Auguſtus libellum compoſuit, in quo opes publicas, quantum civium, ſociorumque in armis, quot Claſſes, regna, provinciæ, tributa, vectigalia, & largitiones eſſent, ſua manu deſcripſit, Tacit. *lib.* 1. *Annal.* vid. Buleng. *de Imperio R. lib.* 11. *cap.* 12.

(*g*) Sicut in R. Imperio erat Tabularium patrimonii Cæſaris, liber beneficiorum qui pars erat Rationarii imperii. Beneficia dicebantur, quæ ex ſubſtantia Principis donabantur, Primiſcrinius beneficiorum notabat, Sveto. *in Tiber. cap. XII.*, Frontin. de Aquæ ductu, *Beneficia ſua Princeps ſecundum modum commentariis adſcriptum temperat*.

Digitized by Google

nebat Inveſtituras feudorum, pacta, qualitates, conceſſiones, fines, pertinentias; quodque olim in quinternionibus Regiæ Siclæ, hodie in Codicibus Regiæ Cameræ ſervatur, & vocatur *Quinternio Dobanæ* d. Conſt. *Juſtitiarii nomen, & Doni*, quia in eo, omnes qui a Rege rerum feudalium donationes obtinebant, erant deſcripti, vid. Cap. Caroli II. *ad tollendam quidem*. Secundum volumen complectitur Servitia, adohas, & relevia, quæ quiſque hujus Regni Baro, vel comes noſtro Regi præſtare tenetur, & *Cedularium* vocamus, quem perperam cum libro *Quinternionum* nonnulli confundunt, cum a diverſis adminiſtrentur Officialibus, Topp. *de orig. Tribun. lib.* 11. *to.* 1. *cap.* 4. Franc. de Amic. *in* 1. *f.* 1. *p.* 87. *n.* 2., Capyc. *loc. cit.*, Lanar. ad Patr. *in* 1. *f.* 1. *n.* 37., Camer. *loc. cit.* Lipar ad Andr. *loc. cit.* (*b*)

Proprietas feudi Quaternati (1) eſt: teneatur in Capite a R. Curia, atque ita in privilegio dictum ſit, (2) ut in quinternionibus R. Cameræ deſcribatur, ne Regi ignotum ſit, quinam ſint ejus Vaſalli, qui reditus; (3) Servitium, vel adoha, aut relevium Regi tantum ſolvatur; (4) de eo ſola M. Curia cognoſcat; jure enim Conſtitutionum M. Juſtitiarius de feudis magnis, puta Baroniis, & Comitatibus cognoſcit, d. Conſt. *Juſtitiarii nomen*, (5) lineæ interitu, vel Felonia ad Regem devolvatur; (6) jure veteri Succeſſio ad. III. gradum, jure noviſſimo ad quintum admittetur; (7) Pupillus feudatarius qui hoc feudi genus

(*b*) In Regno adeſt Archivum R. Siclæ, ita dictum, quia olim erat prope locum, qui vocatur *Sicla*. Secundum eſt Quinternionum, *in quo regiſtrantur omnia feudorum quaternatorum privilegia, inveſtiturarum, donationum regalium totius regni; quam etiam regii aſſenſus, & refutationes prædictorum feudorum* inquit, *Topp. de Orig. Tribu. to.* 1. *lib.* 11. *cap.* 4. Tertium Archivum eſt R. Cameræ Summariæ, in quo Alphon. I. omnia juſſit conſervari; hinc in eo adſunt Succeſſorum Regum privilegia ab Ab. 1437., volumina, vectigalium totius Regni, ærarium, Commiſſionum, Conſultationum, numerationum ejuſdem Regni, quæ ab eodem Alphonſo originem trahunt, vid. Top. *loc. cit.* De Svevis & Nortmannis ſuperſunt quidam faſciculi; & hujuſmodi ſunt Regni Archiva.

Digitized by Google

genus poſſidet, accipit balium a Rege Conſt. *minoribus lib.* 3. 30., Conſt. *in aliquibus lib.* 3. 27. (8) pro feudo quaternato non ſolvitur collecta, cum debeat ſervitium, ne duplici onere Vaſallus gravetur, Andr. *in* 11. *f.* 56. *n.* 55, (9) in ejus alienatione expreſſo opus eſt Regis conſenſu Conſt. *Conſtitutionem D. M. lib* 3. 5. (10) Vaſallus feudi quaternati nuptias non contrahit ſine Regis licentia Conſt. *fratribus lib.* 3. 17. (11) Vaſallus ſi contra Dominum Delinquit, feudum redit ad Dominum, Seu Regem, quod tenet, donec Vaſallus vixerit, Conſt. *ſi quando aliquem lib.* 11. 7. (12) petenda eſt Inveſtitura intra annum, & diem, ſecus jure Longobardo, cadit feudo, jure regni componitur cum Curia, Cumia in Cap. *Si aliquem v. mortis n.* 48., Franch. *deci.* *CCCCXXV.*, Intrigl. *Cent. I. quæſt. XLV. n.* 25., Conf. Freccia *de Subfeud. lib.* 11. *diſſert.* 4. 5. 9. 13. 16.

Præterea Vaſallus quaternati feudi (13) ſi convenitur criminali judicio, aut civili a Paribus Curiæ ſive Convaſallis erit condemnandus, aut abſolvendus Conſt. *ut univerſis lib.* 1. 47., dicam *lib.* 4. (14) Si Baro, vel Comes ſine legitimo obierit Succeſſore, R. Curia feudi poſſeſſionem apprehendit, atque unius anni ſpatio detinet, donec legitimus compareat Succeſſor, Cap. *ex præſumptuoſe*. (15) Denique feudum quaternatum cognoſcitur, ſi in privilegio, quod vicem gerit Inveſtituræ, dictum ſit, *teneri in Capite*, aut ſi eſt Caſtrum, quod Vaſallos habet, & juriſdictionem. Nam in hoc Regno omne Caſtrum, Civitas, atque oppidum præſumitur feudale, cum facultas juris dicendi non a privato, ſed a Rege dependeat, Andr. ind. Conſt. *Juſtitiarii nomen*, Frecc. *de ſubfeud. lib.* 11. *diſſert.* 26., dicam, *lib.* 4. Et quoniam feudi quaternati collatio ſpectat dumtaxat ad Regem, idcirco hoc feudum vocatur *ſimplex*, quia a nemine cognoſcitur, niſi a Rege, cui tantum competit in ejus alienatione conſenſum præſtare, eique homagium ligium, adoham, ſervitium, & quæ ſupra dixi, exhibenda; eſt & *nobile*, & *regale*.

 §. XLVI.

§. XLVI.

De feudo quaternato ſecundum quid.

SEcunda feudorum Regni Neap. ſpecies eſt feudum quaternatum *ſecundum quid*, uti Interpretes primum Andreas, deinde Camerarius, ceterique locuti ſunt, quod jus noſtrum vocat feudum *teneri ab alio*, non a Rege; jus Longobardum dicit *ſubfeudum*, jus Gallicum, *Retrofeudum*, de quo diſponit Conſt. *Si quando lib. 3. 10. Quod ſi de prædictis* (qui ſuccedere poſſunt) *nullus omnino ſuperſit in eo, quod de feudo Tenet ab eo, Dominus feudi ſuccedat*. Conſt. *ſi quando aliquem lib. 11. 7. Sane ſi forijudicatum a Comite, vel Barone feudum habere contingerit ipſo parentes, vel liberos, non habente, feudum ad eum, a quo ipſe forijudicatus tenebit, ſine contradictione aliqua redire debere cenſemus*, & infra: *Sed Comiti, vel Baroni, a quo feudum tenetur, nullum omnino volumus præjudicium generari*. Conſt. *quia frequenter lib. 3. 9., Decernimus nemini licere occaſione alicujus Terræ, vel feudi, quod teneat, vel recipiat a Comite, Barone, ſeu milite, vel perſona Eccleſiaſtiça, aut etiam Seculari, conventione qualibet quavis juris ſolemnitate vallata, perſonam propriam aliquibus ſervitiis obligare*.

Quamvis jure Longobardo, & Conſtitutionibus Lotharii, & Friderici omnis interdicta fuerit feudorum alienatio, nihilominus Ducibus, & Marchionibus facultas fuit, partem vel totum feudum alteri concedendi; At lege Regni, Rogerii I., & Frid. II. non modo Baronibus vetita fuit feudorum alienatio, ſed & *ſubinfeudatio*, niſi Regis adeſſet conſenſus; quæ feudalis conceſſio, quam Baro conſenſu Regis de Baronia, Caſtro, feudo, vel ejus parte cum Vaſallis, & Juriſdictione peragit, *vocatur quaternata ſecundum quid*, ideſt non perfecte, non ſimpliciter, cum adfuerit duplex Conſenſus Regis, & Baronis: Rex enim ſine conſenſu Baronis nequit partem Baroniæ, vel territorium ſui Vaſalli, jure feudi alteri concedere; neque Baro, vetante lege, poteſt de eadem quem inveſtire, Camer. *in 11. f. 55. p. m. 69. feuda hæc quaternata ſecundum quid. Sed quomodo ſecundum quid? hoc eſt, quia etſi in quinternionibus regiis ſunt deſcripta, & ſic*

Regis

Digitized by Google

Regis voluntate, & gratia illa habent. Unde dici poſſunt quaternata, quia omnia Caſtra, & feuda deſcripta in quinternionibus, ſunt quaternata, ut per Iſer. in d. Conſt. poſt mortem, & in c. 1. *de Contro. feud. apud Par. ter., quia tamen non minus etiam a Barone habent, & ſic utroque ſunt quaternata non ſimpliciter, ſed ſecundum quid ;* ſeu *in capite quoad quid*. Andr. *in* 11. *f.* 16. *n.* 10., & *in* 11. *f.* 55. *n.* 9., Monta. *in* 11. *f.* 55. *n.* 240., Camil. de Curt. *in Diver. P. II. cap.* 5. *n.* 110., Lanar. *in* 1. *f.* 1. *n.* 110., Conf. Rocc. *de Offic.* §. 7. *n.* 30.

Hæc ſubinfeudatio conſtituitur puta ſi Baro velit feudum in ſua Baronia alteri concedere, opus eſt Regis conſenſu. Baronia enim in legibus noſtris, & exterorum continet plura feuda, quæ ſub ea comprehenduntur, ſicut territorium eſt univerſitas agrorum Conſt. *ſi quis Baro lib* 3. 13., ubi Andr. Conſtit. *poſt mortem lib.* 3. 25. Hinc aliud eſt Baro, aliud feudatarius; Baro poſſidere poteſt plura feuda, feudatarius utitur fruitur feudo ex XX. unciis lege Regni, Et proinde feudum, quod prius erat ſimpliciter quaternatum, evadit ſubfeudum, ſi in Inveſtitura & Regis, & Baronis intervenit Conſenſus, & Valvaſinus duplicem recognoſcit Dominum mediatum, qui eſt Rex, atque immediatum, qui eſt Baro, cui proprie obligatur; quare exhibetur fides, & ſervitium, reſervata tamen Regis fidelitate, & jure Supremo Franch. *deci. CLIV.* dicam *lib.* 11. Nec refert territorium Baroniæ agriculturæ, & fructibus percipiendis addictum ſit, an oppidum cum Vaſallis, & juriſdictione concedatur in ſubfeudum.

Proprietas hujus Clientelæ (1) eſt, ut in ejus alienatione Regis, & Baronis requiratur conſenſus, qui uterque in conſtitutione intervenit. Intereſt enim Regis, an Valvaſinus ſui Baronis, ſit fidelis, & ne, ſe invito, pars feudi, vel totum ad alium ipſi ignotum, aut ſuſpectum perveniat, & proinde Frid. II. in d. Coſt. *poſt mortem* ſanxit, defuncto ſine deſcendentibus Valvaſino, qui a Comite, vel Barone feudum tenebat, ejus mortem a Comite denunciandam R. Curiæ, ut Rex poſſit de eodem feudo idoneam inveſtire perſonam, & Baro cogatur ipſam inveſtituram exequi; novus vero Valvaſinus ad adquirendam ſubfeudi poſſeſſionem debet ſolvere ipſi Comiti relevium, ſeu laudimium decem unciarum; Camer. *loc. cit.*, Andr. *in* 11. *f.* 40. *n.* 12. Montan. *in* 11. *f.* 55. *n.* 85. Hæc Conſtitutio abrogata videtur ex

Digitized by Google

ex *Cap. Honorii IV. Pontificis* aqud Lunigi., Raynaldum, Liparulum, ceteros, cujus hæc ſunt verba.

Si contingat, ſubfeudatarium crimen committere propter quod publicanda fecerint bona ejus, aut ipſum ſine legitimis heredibus fati munus implere, ſi feudum ejus fuerit quaternatum, nihilominus immediatus Dominus illud cum onere Servitii conſueti perſonę concedat idoneæ Regi poſtmodum præſentandæ, ut ejus ſuper hoc habeatur aſſenſus. Si vero quaternatum non fuerit, ſic ad eundem immediatum Dominum revertatur, ut ipſum hujuſmodi perſonæ pro ſua voluntate concedat, nec eam Regi præſentare, aut ejus ſuper hoc requirere teneatur aſſenſum; iis ita deinceps ex noſtro precepto, Servandis, conſtitutione, vel conſuetudine contraria non obſtante. Hoc tamen *Cap.* ſicut & alia hujus Pontificis apud nos non ſervantur, cum Regalia noſtri Regis lædant, cujus eſt ſui Vaſalli vel mediati, aut immediati explorare fidem, Andr. in d. *Conſt.*, Camer. *loc. cit.*

Requiritur demum Conſenſus Baronis in alienatione ſubfeudi, quia dominium utile Baroniæ, aut feudi eſt Baronis, & ſingulæ res, & feuda in Baronia propriam retinent ſpeciem, & in ſingulis poſſeſſio, & dominium diſtinguitur. Itaque propter directum Regis Dominium, & utile Baronis, utriuſque exigitur conſenſus, cum de utriuſque agatur vel damno, vel lucro *l. fin. C. de Auct. præſtan.*, *cap. 29. de R. J. in 6.* Neque Vaſallus invito Regi obeſſe poteſt, & viciſſim, ſive partes Baroniæ velit concedere jure ſubfeudi, ſive feudi plani, & de tabula, Camera. *loc. cit. p. m. 72.*, Andr. *in* 11. *f.* 55. *n. 9. ibi Liparul.*

(2) Sicut Baro præſtat ſervitium Regi pro ſingulis feudis, quæ ab eo recognoſcit, ita & Valvaſinus ſuo immediato Seniori, nempe tribus menſibus, cum tribus Equis, ſuis expenſis, atque armis; Adoham quoque, & relevium Baroni, non Regi, uti perperam creditur, perſolvere tenetur, Camil. de Curt. *in diverſ. jur. feud. P. II. cap. 5. n.* 121., Montan. *in* 11. *f.* 55. *§. firmiter n.* 45., Franch. *d. deciſ.* (3) Succeſſio, alienatio, atque Inveſtitura ſubfeudi ſubjacet conſtitutionibus Regni, & pragmaticis, cum verum fuerit feudum, & proinde in eo locum non habet jus congrui, quia dum Rex conſenſit alienationi, quæ Titio erat faciunda, non cenſetur Conſenſiſſe Cajo vicino De Marin. *lib. 1. Reſol. cap. CCXXXIII. n. 26.* (4) Litteræ Aſſecurationis petuntur a R. Curia, non a Comite arg. Conſt. *Comite*

lib. 3.

Digitized by Google

lib. 3. 24., quia Rex eſt *dominus perſonarum* Conſt. *quia frequenter lib.* 3. 9. Tempus eas petendi legibus Regni non eſt præſcriptum, ſed ad denunciandam mortem eſt annus, & dies, Andr. *in Conſt. poſt mortem* infi. Capan. *de jure Adoh. quæſt.* 7. *n.* 13.

(5) Sicut feudum ſimpliciter quaternatum deſcribitur in volumine R. Cameræ, ita & quaternatum ſecundum quid, ut Rex Vaſallos, eorumque Valvaſinos poſſit cognoſcere Camer. *loc. cit.* Afflict. in Conſt. *Juſtitiarii nomen n.* 29. Hinc Baro nequit dimittere ſuum Valvaſinum tempore ſervitii, aliumve ſubſtituere, Montan. *in* 11. *f.* 55. *n.* 74., (6) Devolvitur Baroni non autem Regi, vel morte, vel crimine; cave tamen a Gloſſa in d. Conſt. poſt *mortem*, quæ inquit, ad Regem devolvi, quem arguit merito Camer. *loc. cit.*, licet ipſamet Gloſſa in v. *munificentiæ* orationem retexuerit. Nam d. Conſt. tantum loquitur de collatione ſubfeudi, defuncto Valvaſino ſine liberis, non igitur porrigenda ad devolutionem, de Ponte *de Poteſt. Proreg. tit de Aſſenſibus* §. 1. *n.* 11. Montan. *loc. cit. n.* 89. Denique de ſubfeudis R. Neap. & Siculi, eorumque juribus dicam *lib.* 2. *&* 3.

§. XLVII.

De feudo Plano, *&* *de Tabula*.

TErtia Clientelæ ſpecies noſtri Regni eſt feudum planum, & de Tabula, quod etiam dicitur *teneri ab alio*, jure noſtro, & municipali plurimarum Galliæ, & Germaniæ Gentium, ut apud *Dufreſ. h. v.* dumtaxat cognitum, non jure Longobardo. Definitur: eſt *fiduciaria poſſeſſio*, *cujus collatio pertinet ad Baronem*; Nam ſi Regis adeſſet conſenſus, oriretur feudum *quaternatum ſecundum quid*; aut ſi tantum Regis vocaretur *quaternatum ſimpliciter*. Ejus denominatio veroſimilis videtur deſumpta ex locis, in quibus Regni Barones hujuſmodi feuda ſolebant conſtituere, videlicet in planitie, ſeu manſo. Vetuſtæ enim Populis mediæ ætatis fuit conſuetudo, Caſtra præſidiariis militibus munita in locis editis conſtruere, præſertim cum bella Civilia arderent in Germania, Conf. Waldſchmidti. *diſſer. de feud. Caſtr.* Appellatur de *tabula*, ideſt menſa, cum concedatur a Barone pro reditu panis, olei, carnis, aut pecuniæ, Camer. *in* 11. *f.* 55. *p.* 37.

Digitized by Google

p. 37., Cumi. *in cap. ſi aliquem v. in capite n.* 32., Gloſſogra. in Conſt. *Ut de Succeſſionibus lib.* 3. 27., Andr. *in* 11. *f.* 16. *n.* 10. vel quia in Kalendario, ſeu libro Redituum Baronis tantum deſcriptum eſt, non in libris R. Cameræ De Marin. *reſol. lib.* 1. *cap.* 126. *n.* 79.

Conſtituitur hoc feudum, ſi Baro conſenſu Regis concedit ſub onere, vel adohæ, vel cenſus, aliquam Territorii partem, puta manſum, Curtem, ſeu villam, aut incultam terram, hac tamen lege, ut aſſenſus Regis non quaternet feudum, ſi nempe ſit appoſita Clauſula, *ſub eo & ab eo teneatur*, ideſt a Rege, quia dum Rex conſentit, & confirmat, videtur donare, & erigitur feudum quaternatum ſecundum quid, propter Baronis, & Regis conſenſum. Nam non ſemper conſenſus Regis in ſubinſeudatione Baroniæ, ejuſque partis, feudum quaternat, ſed tunc quaternat, quotiens voluit, ejuſque appareat voluntas quaternationis effectum producendi, ſi videlicet in Aſſenſu expreſſit tam a ſe, quam a Barone teneri. Secus Regis aſſenſus ſine hac Clauſula aufert prohibitionem alienandi feudum lege Regni inductam, qua tantum *excadentias* ideſt terras ſteriles Baroni infeudare datum eſt Conſt. *Conſtitutionem* D. M., Ponte de Poteſt. *Proreg. tit. de Aſſentibus* §. 2. *n.* 9. Monta. *in* 11. *f.* 55. *n.* 81. Capyc. in *Inveſt.* §. *feudales Aſſenſus*, *v. Effectus*.

Propter Regis aſſenſum, conſtituitur etiam feudum planum, ſi Baro, etſi in prima conceſſione non intervenerit R. Aſſenſus, duabus vicibus, ſpatio XXX. inveſtiat Cajum puta de aliqua ſuæ Baroniæ parte, tunc eſt *in quaſi poſſeſſione concedendi rem illam in feudum*, inquit Andr. *in* 1. *f.* 1. 4. Ponte *loc. cit. n.* 2., quæ præſcriptionis ſpecies tam jure Romano, quam Longobard. ſatis eſt rem aliquam jure feudi adquirendo, *ut lib.* 11. dicam.

Feudum Planum jure, & moribus Regni duplex eſt, *militare*, & *Ruſticum*; Militare, dum nempe Baro exigit a ſuo Valvaſino adoham, vel militare ſervitium, quemadmodum vel neceſſitas, vel pactum in Inveſtitura appoſitum ſuadet, ſcilicet ſi Rex Bellum gerit, & Baro poteſt a ſubfeudatario petere ſervitium militiæ diebus XL. Equis, & ſumptibus tamen ipſiuſmet Baronis, ex Capit. *Caroli II.* apud Frecciam, & Montanum; neque illud valet remittere, cum Regi damnum inferatur Biloct. *Concl. feud.* XCIII. *n.* 1., Capan. *de jure Adohæ quæſt. VII.*, Capyc. in Inveſt. §. *feudorum genera v. in regno*, Montan. *in* II. *f.* 55. *n.* 76., De-

Digitized by Google

76., Demarin. *lib.* 1. *Reſol. cap.* 233. *n.* 4. Adoha ſubfeudi plani vel eſt X. Carolenorum, vel XX., ſicut pactum eſt. Ruſticum, dum terra inculta, & ſterilis a Barone alicui conceditur ſub onere annui canonis, panis, vini, olei, carnis, & ſi quæ ſunt, atque appellantur *Tenaſiæ*, ideſt *tenimenta*, *excandentiæ* quas Conſt. *Conſtitutio* D. M. Baroni infeudare permittit, ut in feudis Brunſvicenſib. ruſticis ſolvitur annuus cenſus Leyſer *diſſer. de feud. Brunſuic.* §. 48. Feudum planum militare dicitur verum feudum; Ruſticum cenſetur potius alode, & ſimulacrum feudi, quam feudum, etſi ejus reditus ſit feudalis Biloct. *loc. cit.* n. 1. & 6., Marin. *loc. cit.*, ceterique noſtri Regni Prudentes.

Feudi Plani ſive Militaris, ſive Ruſtici proprietas (1) eſt, ut in ejus alienatione ſolus Baronis conſenſus ſit ſatis, Afflict. *deciſ.* 243. *n.* 1. & 2. Gloſſ. in Conſt. *Conſtitutionem D. M. v. licentia*; Intrigl. *Cent.* I. *quæſt.* XLV. *n.* 57.; & eſt generalis in regno conſuetudo;

(2) In plano militari, pro quo ſolitur adoha, Succeſſio, Inveſtitura, alienatio, relevium & ſervitia jure feudali reguntur, uti communiter propemodum receptum eſt Rovit. *deciſ. XLII. n.* 17. *ubi Altim.*, Camil. Cacac. *apud Capan.*, *de jure adohæ quæſt. VII.* Biloct. Concl. XCIII. *n.* 6., Marin. Caraman., & Pet. Piccol ad Conſt. *ut de Succeſſionibus*, Camer. *in* 11. *f.* 50. *lect.* 28. *n.* 20. Paſqualin. *de Differ. in Suceſ. ſubfeud. n.* 4. feudum Planum Militare ſub onere fidelitatis conceſſum, adohæ, relevii, & ſimilium, aſſumit naturam ſubfeudi, quod jure Longobardo cognitum eſt, non vero Conſtitutionibus, quia leges Regni diſponunt de feudi quaternatis ſimpliciter, & ſecundum quid, eorumque ſucceſſionem alienationem, relevium, adoham, atque aſſecurationis jusjurandum dirigunt, cum a Rege teneantur; ſed ſubfeudum planum recognoſcitur a Barone; & proinde leges regni nequeunt de feudo non ſuo aliquid ſtatuere, neque lex eſt apud nos, quæ jubeat in feudo plano obſervari Conſtitutiones Regni, igitur ſervandum jus commune Longobard., ut in Hiſt. dictum eſt *cap.* 6. §. 16., Camer. *loc. cit. n.* 22.

Feudum planum, ſed Ruſticum non ſubjacet juri feudali, ſed Romano, cum non ſit proprie feudum, Marin. Caraman. (qui vivente adhuc Frid. II. gloſſas in Conſtitut. edidit) in Conſt. *Ut de Succeſſionibus*, inquit, *Ceterum ſi feudum ſit Ruſticanum: ut pote, ex quo debetur reditus panis, carnium, pecuniæ, vel annonæ, ſive præſtatio operarum, & hujuſmodi ſordida ſervitia villanorum, cujuſmo-*

juſmodi in aliquibus locis vocantur Tenaſiæ, vel tenimentum: puto iſtam Conſtitutionem ceſſare; & jus Commune locum habere, ſcilicet ut deſcendentes, & aſcendentes, & collaterales ſuccedant: qui alias de jure communi ſuccedere poſſent ab inteſtato, & in eorum defectu ſuccedit Dominus feudi ut ſupra de hominibus Baronum non tenent. ratione terræ vel feudi l. ſi quando contingerit. Hinc in feudo plano militari in linea collaterali ſucceditur ad 7. uſque gradum, & qui ſuccedit, deſcendere debet a primo Adquirente, *ut lib.* 11. docet; In feudo Plano Ruſtico in linea collaterali ad X. grad. Succeſſio eſt, neque opus eſt a primo ſtipite deſcendere, neque neceſſe eſt, Succeſſorem debere eſſe heredem ſanguinis, Paſqual. *loc. cit.* 84. *& ſeqq.*, Excluditur tamen edictum Prætoris *unde vir, & uxor*; nam deficiente linea deſcendente, aſcendente, & Collaterale, excluſa uxore, viro, & fiſco, ſuccedit Baro d. Conſt. *ſi quando*. Animadvertendum tamen eſt, in feudis planis, ſive militaribus, ſive Ruſticis feminas ſuccedere, uti rebus judicatis, & auctoritate apud nos obtinuit, deficientibus maſculis, ex Conſt. *in aliquibus lib.* 3. 26., cum ſileat ratio qua fæmina a feudorum Succeſſione arcetur, Monta. *in* 11. *f.* 55. §. *præterea ducatus n.* 116., Franch. *deciſ.* 7., Camer. *in* 1. *f.* 7. *n.* 102., Thom. de Mari. *de feud. tit. XI. n.* 27.

(3) Feudum, ſive Ruſticum, ſive Militare devolvitur Baroni, ſi valvaſinus in eum delinquit, vel ejus linea extincta fuerit, Andr. in Conſt. *ſi quando lib.* 11. 7. (4) In plano & de tabula intra annum & diem erit Inveſtitura petenda, Intrigl. *cent.* 1. *quæſt. XLV. n.* 192. (5) pro feudo plano ſolvitur collecta R. Curiæ, (6) Valvaſinus feudi plani non judicatur ſententia Parium; (7) Si valvaſinus non ſolvit, ſtatuto tempore, adoham, militare ſervitium, vel penſionem, feudo cadit 11. *f.* 27. §. *ſed non eſt alia*. (8) feudum planum Militare confert nobilitatem, non vero Ruſticum, præſertim ſi feudum militare ſit cum Vaſallis, aut Juriſdictione, Altima. *ad Rovit. deciſ.* 42. *n.* 8. (9) mortuo ſubvaſallo feudi plani, ejus filio nequit Balium Baro conſtituere, ſed tutela defertur a lege, vel a Magiſtratu; (10) ætas minorennis in Valvaſino non eſt XIV. anni completi, ſicut eſt in Vaſallo feudi quaternati, ſed XVIII. anni Conſt. *minorum jura lib.* 11. 42., Frecc. de ſubfeud. *lib.* 11. *de Differ. feud. quater. & Plan.* 6. (11) in alienatione feudi plani ſatis eſt tacitus Baronis conſenſus, qui etiam per

teſtes

Digitized by Google

teſtes probari poteſt, Frecc. *loc. cit.* 11., ubi alias refert differentias.

Ex his, quæ diximus conſtat jure Regni quatuor eſſe feudorum genera, quaternatum ſimpliciter, quod leges vocant feudum in capite, cujus collatio eſt ſolius Regis, & Succeſſio, alienatio, inveſtitura, & ſevitium legibus Regni obediunt: quaternatum ſecundum quid, quod lex dicit teneri ab alio; & paucis exceptis; ejuſdem naturæ cum quaternato ſimpliciter: feudum planum & de tabula, cujus duplex obſervatur ſpecies, militare pro quo ſolvitur adoha conceſſum cum formula ut ſolvatur *adoha ſicut Baro ſolvit Regi*, & Ruſticum cujus onus eſt annua penſio (*i*) Feudum quaternatum ſimpliciter, & ſecundum quid conſtituitur ſi oppida, Civitates, provinciæ, aut Caſtra cum Vaſallis, & juriſdictione conferuntut; Planum, & Ruſticum, cum terrarum tractus, ſilvæ, terræ incultæ, aut cultæ jure feudi in Baronìa conceduntur, Camer. *in* 11. *f.* 50. *lect.* 28. *n.* 1.

De feudo Juriſdictionis nihil hic addere oportet, cum ſupra de eo dictum ſit.

§. XLVIII.

De feudis eccleſiaſticis Regni Neapolitani, eorumque origine.

NOſtrum florentiſſimum Regnum, ſicut ceteræ Europæ Ditiones eccleſias, Monaſteria, atque pia loca non modo allodialibus replevit donationibus, ſed & feudalibus territoriis, Juriſdictione civili, & criminali, immunitatibus, juribus, & privilegiis adeo ditavit, ut Francorum Regum Caroli M., Pipini, Ludovici, & qui ſunt, liberalitate nihil cedere valeat. Et quidem ab Apoſtolorum ævo, in provinciis Regni Neap., & Siculi rece-

(*i*) Proinde dici poteſt feudum *canonicum*, & Vaſallus *canonicus* uti apud Hugonem Beneven. *in Chron.* fidelis Comitis Jordani vocatur *canonicus* ob penſionem quam propter feudum ei pendebat.

Digitized by Google

recepta Chriſti Doctrina, ad Longobardos uſque, & Nortmannos, Eccleſiæ, ſive Epiſcopales, ſive Parochiales, decimis, oblationibus, primitiis, aliiſque reditibus ex eorum perceptis prædiolis, uti ceteri orbis Catholici cætus Sacri, vivebant.

Ante enim Longobardorum adventum in Eccleſiis, & Monaſteriis nulla videbatur temporalis juriſdictio, pauca divitiarum copia, nullum in oppidis, civitatibus, aut Caſtris dominium, ſed tota Præſulum Cura Spiritualis erat. Longobardi inductis jam in Italia feudis, atque Beneventano Ducatu, in noſtri Regni Regiones late ſe extendente, in Principatus, Comitatus, & Gaſtaldiatus diviſo, Eccleſiis, & Monaſteriis recenter apud nos extructis, territoria, feuda, & juriſdictiones donare ceperunt. In *Chron. enim Benevent. S. Sophiæ* apud Ugel. innumerę propemodum recenſentur Donationes Principum Longobardorum videlicet Sichardi, Giſulfi, Radelchis, Pandolphi, Adelchis, Romualdi, Siſulphi, Grimoaldi, Jandolphi, Leoprandi, Totonii, & Luitprandi, qui liberali manu feuda Eccleſiaſticis elorgiebantur. Primus enim Monachorum ordo Seculo IV. apud nos inſtitutus, fuit S. Baſilii, in Oriente celebris, præſertim in Civitatibus, quæ in Sicilia, Apulia, Calabria, Lucania, lociſque Maritimis, puta Neapoli, Gajeta, Amalphi, ceteriſque, Græcorum Imperatori parebant. Neapoli primus monaſterium erexit S. Gaudioſus, qui obiit an. ccccl11., perfecit S. Agnellus qui deceſſit An. DXC., ſub Regula D. Baſilii, ut probat P. Caracciol. *de Monum. Sacr. Neap. cap. xxix.* Deinde alia etiam ſub eadem Regula extrui viſa ſunt Monaſteria, nempe S. Demetrii in Regione Albina, Gazarenſe in plaga Maris, S. Sebaſtiani, SS. Baſilii, & Anaſtaſii, S. Grego. Armeni, S. Mariæ de Agnone, et alia Caracc. *loc. cit.*

Nullus tamen Ordo tot ſcatere divitiis viſus fuit, quam *Benedictinus*, primum An. DXXIX. a D. Benedicto in Campania inductus, qui Monaſterium Montis Caſini ædificavit, poſtea per totum Neapolis, & Siciliæ Regnum feliciter ſe extendit. Initio tamen Monachorum tam Ordinis Bened., quam Baſilii, vita contemplationibus addicta paupertate gaudebat; at Longobardorum Comitum, Ducum, & Regum liberalitate allodiis, feudis, & juriſdictione deinceps fuit Locupletatum. Inter hos celebris recenſetur Giſulfus Longobardorum Dux qui primus temporalia Caſinenſi Monaſterio donavit, ex quo cepit temporali frui ditione, quæ donatio allodialis, non feudalis fuit, & in magnis terrarum

tra-

Digitized by Google

tractibus conſiſtebat, *una cum omnibus Caſtellis, Vicis, Domibus, Eccleſiis, Molendinis, & aquis, ceteriſque omnibus, quæ intra prædictos fines, tunc temporis habebantur, inquit*, Abbas de Nuce *ad Leon. Oſtien. lib. 1. cap. v. in Excur. Hiſtor.*

Eadem ſucceſſorum Principum Liberalitate adquiſivit ditionem ejuſdem Civitatis Montis Caſini, Oppidorumque Vicinorum, in quibus, *præter jura fluminum, & aquarum, Pontium, Scapharum, Venationis, Piſcationis, Moledinorum, Dogariæ, & navigiorum, Portulaniæ, Siclæ, poſſidet etiam jus decimarum, jus Prandii, jus quod vocant, fidam, & diffidam in herbis agreſtibus, etiam agrorum, qui ſub proprietate ſunt Civium, jus Quartucii, jus Angariæ, Parangariæ, hoc eſt perſonæ, & operas perſonæ cum ipſius ſumptu, & alia. Cum enim Dominium haberet, in univerſa, cum poſtea ſervos, & ancillas ſuas, aut ſponte libertate donavit, aut novo jure ſervitus antiquata fuit; & colonis olim ſuis territoria poſſidenda dimiſit, ea omnia ſibi jura retinuit, quæ prædiximus, neque novis poſſeſſoribus grave id accidere potuit: cum quicquid præterea juris acquirerent, gratuito ipſis cederet ea voluntate donantis, cum nihil antea poſſiderent. Adde, quod fere omnia Caſtra hujus Abbatiæ; & ipſa S. Germani Civitas, non a Civibus, ſed a Monaſterio ære proprio conſtructa fuit, & ſemel inſtaurata in Commodum colonorum, qui olim in agris habitarent; & proinde licuerit, eas illis leges imponere quas æquitatis ratio dicaſſet*, inquit, Abbas de Nuce *loc. cit.*

Merito itaque Caſinenſis Abbas *primus Regni Baro* appellatur, in generalibus Regni Comitiis etſi per Procuratorem ſedet, civili, & criminali gaudet juriſdictione, feuda in Calabria poſſidet, nempe Caſtrum Getrarii, in Comitatu Moliſii Caſtrum S. Petri de Avellana, Serras Monachorum in Aprutio, aliaque; pluresque terrarum tractus, quos jure Proprietatis ſimul cum ancillis, & Servis liberalitate Longobardorum, ceterorumque obtinuit. Hinc Caſtra, & prædia Caſſinenſes Abbates, aliis jure feudi concedebant, & Vaſallos ſibi creabant. Legitur etiam in Catalogo Baronum regni, Gulielmum cognomento *Bonum* Sacram expeditionem ſuſcepiſſe, pro qua Caſinenſis Abbas obtulit lx. milites, & cc. ſervientes. Plurima de Divitiis hujus Monaſterii dabit *Leo Oſtenſis*.

Aucto vehementer in Calabria, Sicilia, atque Apulia Monaſterio-

ſteriorum & eccleſiarum numero, quæ omnia a Nortmannorum Regum, & Baronum propemodum extructa ſunt liberalitate, Benedictinorum nempe & S. Baſilii, ab iiſque feudis, juribus, & juriſdictionibus referta fuerunt. Villel. I. An. 1157. dedit eccleſiæ Panormitanæ, *Broccatum feudum ſine Servitio Militum, quod in Demanium, & Servitium, in Servitio; cum diviſionibus ſuis, ea cum conditione, ut & tu* (loquitur de Hugone ejuſdem Sedis Antiſtite) *& tui ſucceſſores, nobis, heredibuſque noſtris noſtra ordinatione in Regnum nobis ſuccedentibus, prout ipſius feudi ratio poſtulat, annis ſingulis pro beneplacito noſtro Servatis*, refert Pirrh. *in Sicil. Sacr. to. I. pag.* 97. Gulielm. II. An. 1183. conceſſit Eccleſiæ Montis regalis oppidum Buſachinum, Imp. Ludovicus Monaſterium Inſulæ Piſcariæ an. 875. plurimis ditavit feudis, nempe Caſtello Piccarico, Paterno, Bononiano, Rocco Caſtro, Guardiæ, Caſtro Caldarole, ceteriſque, quę refert fundatio illius Monaſterii apud Ugel. *to.* & *an.* 1184. Caſale Randicellæ, Caſale Terruſii, & Fantaſinæ; & an. 1185. Caſalia, quæ dicuntur Juliana, Comicchi, Adragnum, Lachabuta, & Semire cum omnibus pertinentis ſuis, & juribus. Roger. an. 1148. inveſtivit Monaſterium S. Joannis de Eremis Ord. Bened. de juriſdictione civili, & ut Abbas ipſius Monaſterii poſſet Officiales conſtituere. Idem Princeps conceſſit juriſdictionem civilem Monaſterio, Ord. S. Baſilii B. Mariæ Virgini dicatum, *Præterea volumus habere poteſtatem Abbatem prædicti Monaſterii judicare, & condemnare prædictos homines ſecundum delicta eorum, & hoc ſolum præſervare noſtræ Majeſtati, & noſtris Succeſſoribus, & heredibus condemnationem proditionis, & homicidii, quæ ipſis Monachis ſecundum divinas leges, & Canones judicare non liceat*; teſte Pirr. *loc. cit. to.* II. *pag.* 1214., 1046, *to.* I. *pag.* 405. *p.* 405.

Eadem Rogerii religioſa Liberalitas An. 1063. extruxit Monaſterium S. Grego. de Gypſo Ord. Baſil., integrumque donavit Feudum ſitum in Territorio Gypſi, & feudum in Civitate, & Territorio Randacii nuncupatum S. Anaſtaſiæ. Anno etiam 1178. donavit Monaſterio Ord. Ciſterc., *Eccleſiam noſtram S. Joannis, quæ ſita eſt intra mœnia urbis noſtræ prope Caſtellum maris cum Caſalibus, hominibus, vineis, terris, pomariis, & omnibus juſtis tenimentis, & poſſeſſionibus ſuis, undecumque, & ubicumque de iis haberi, & teneri diſcitur, de quibus hæc propriis duximus vocabu-*

tabulis experimenda Eccleſiam S. Mariæ & Eccleſiam S. Petri de Impexo cum Caſalibus earundem Eccleſiarum, quæ ſunt de tenimento ejuſdem Eccleſiæ S. Joannis, Sublato etiam Appellationis remedio præter quam in criminalibus. An. 1093. Rogerius Comes Calabriæ, & Apuliæ conceſſit Monaſterio S. Angeli de Prolo Ord. S. Baſil. civilem juriſdictionem ſuper tribus Caſalibus Anzan, ſive Auſan, Liſicon, & Tondenconon, *exceptis ſanguine, & proditione, quę pertinent a Deo cuſtodiæ Curię noſtrę*, Pirr. *loc. cit. to.* 11. *pag.* 1021. 1263., & 1049.

Guliel. II. Monaſterium S. Mariæ Novæ Panormi condidit, ejuſque Abbatem inveſtivit de Caſali Gaiti, Corleonis, Caletraſi, Bulchar, Civitate Bitectæ in Apulia, cum ſuis pertinentiis, molendinis, omnibuſque provenientibus, & *ut quicumque fuerit Abbas ipſius Monaſterii Conſtitutus, ſit Juſtitiarius omnium Terrarum & tenimentorum ipſius Monaſterii, tam eorum, quæ poſſidet modo, tam illorum, quę Deo volente, in poſterum ab ipſo Monaſterio fuerint adquiſita. Neque liceat alicui Juſtitiariorum noſtrorum de Cauſſis, quę inter homines ipſius Monaſterii emerſerint, ſe aliquo modo intromittere, ſed Abbas ipſius Monaſterii eas determinat, & decidat, & ſi de hoc, quod de Cauſis ipſis ad Abbatem ipſum pervenerit, nihil Curia noſtra habeat, ſed totum eidem Monaſterio cedat*. Idem Princeps an. 1169. inveſtivit Monaſterium S. Trinitatis, S. Mariæ Majoris, & S. Michaelis Archangeli de Caſali, quod dicitur Buſenia in Territorio Tragynæ *cum omnibus continentiis, & Juriſdictionibus ſuis*, conſtituendi Officiales, jus dicendi ſuper Incolas, *excepto mero imperio*, Pirr. *loc. cit. to.* 11. *p.* 1016., & *to.* 1. *p.* 453. Monaſterium Montis Oliveti tenet feudum Savignani Cotugni, & Caſæ Albæ in pertinentiis Averſæ. S. Joann. de Lamis Ord. Ciſterc. Oppidum S. Marci in temporalibus Ugell. *loc. cit. p.* 812. Non modo Nortmannici Principes, expulſis Saracenis, Eccleſias, Monaſteria, & Epiſcopatus feudis locupletarunt, ſed & Barones, & Comites, qui partem feudorum ſuorum iiſdem donabant.

Goffredus Comes Cannarum an. 1105. Eccleſiæ Cannenſi donavit *jure Franco* (id eſt feudi franci) *Caſale S. Caſſiani, & homines ipſius Caſalis cum tenimentis ſuis, & omnibus rationibus, & pertinentiis ſuis, & cum omni jure ſuo, & totum quod ipſi Caſali attinet cum tranſitis, & exitibus ſuis, medietatem Caſalis S. Euſtachii in quo eſt ſita ipſa Eccleſia S. Euſtachii, &* ho-

Digitized by Google

homines ipſius Caſalis cum tenimentis ſuis, & rationibus omnibus, & pertinentiis ſuis & cum omni jure ſuo. Concedit etiam totum Caſale S. Mercurii, S. Nicolai in Baldetta, Salinas, terras, vineas, agros, furnos, Molendina, ſilvas, quod confirmavit *Joan.* II. *An.* 1429. Robertus Comberlani an. 1111. donavit Barenſi Eccleſiæ Caſalia, Silvas, vineas, poſſeſſiones, eamque ſub ſuo recepit Mundiburdio. Ugell. *to.* VII. *Ital. Sacr. p.* 290., & 618. Bartholo. Lucy An. 1193. erexit Monaſterium Roccæamatoris Ord. Ciſterc., eique plura largitus Caſalia, quæ jure feudi tenebat, ſed libera ab omni militari ſervitio dedit ex venia Henric. Imp. an. 1195., Pirrh. *loc. cit. to.* II. *p.* 1287., vid. Frecc. *de Subfeud. lib.* I. *tit. de Antiquo ſtatu*. Adelaſia Comitiſſa ex Rogerii vidua donavit Monaſterio S. Mariæ de Gala Ord. Baſil. Caſalia, & juriſdictionem civilem, *excepto jure Gladii*, & unicuique poteſtatem dedit in iis habitandi, immuneſque eſſe ab omni angaria, & parangaria, & omnibus tributis, & Maragmate urbium, & Caſalium, Pirr. *loc. cit. p.* 1042. Rogerius Chamet Eccleſiæ Panormita. Tria Caſalia jure feudi donavit Burgeniſſema, Rachalyob, & Raſgaden quæ Rogerius noſter confirmavit, Pirrh. *loc. cit.*

Epiſcopatus quoque feudis abundarunt. Epiſcopus Polycaſtenſis eſt Baro Turris Urſacæ, & Turris Petroſiæ, & temporalem in iis juriſdictionem exercet. Archiepiſcopus Compſanus feudum S. Andreæ, & S. Mennæ. Ferdinand. I. Anno 1458. conceſſit Archiepiſcopo Nazareno Jacobo Aurilia jus celebrandi nundinas, & juriſdictionem civilem, Ugell. *loc. cit. p.* 542., 725., *to.* VI. *p.* 799. Rex Ferdinand. an. 1467. 12. Maj XV. indict. confirmavit Epiſcopo Eccleſiæ Cuſentinæ juriſdictionem Civilem, & Criminalem, & Terram S. Lucidi cum Vaſallis, ejuſque reditibus. Eidem Eccleſiæ Alphons. I. An. 1450. dedit terram S. Lucidi cum feudis, ſubfeudis, mero, mixtoque imperio, bajulationibus, & ſilvis; cujus inveſtituram refert Ugel. *t.* IX. Epiſcopus Bojani habet feudum S. Poli; Epiſcopus Tricarici feudum Montiſmurri; Epiſcopus Caſſani Feudum Terami; Epiſcopus Teatinus Caſtellum S. Cecidii, Caſtellum Leſtimonium, Caſtellum Sculculæ donata a Roberto Comite an. 1095. aliaque feuda, & a Carolo II. *an.* 1295. habuit Juriſdictionem Civilem, Ugel. *to.*, VI. *p.* 701, & 734. Archiepiſcopus Brunduſinus feudum S. Pancratii; Archiepiſcopus Taranti Juriſdictionem Civilem in

Ter-

Terra Gruttalium; Archiepiſcopus Salernitanus feudum Olibani, & Montis Corbini a Gulielmo Duce, de quo, ait, Romuald. Salernit. in Chron. ad An. 1123. *Hic Salernitanæ Eccleſię omnia quæ Robertus dux avus ejus, & Rogerius dux Pater ejus donaverant, confirmavit, & Judaiſcam pro magna parte adjunxit. Caſtrum Olibani reddidit, & totam Paſtinam Eccleſiam moriens reliquit*. Frecc. de *Subfeud. lib. 1. tit. de Orig. Baron. n.* 24. & 28. Archiepiſcopus Barenſis Biteſti, & Caſſani, quæ habuit ex conceſſione Roberti Ducis ſub *Greg. VII. Papa*; ex conceſſione Rogerii Canale Gioiæ, & Juriſdictionem ſuper Judæos; plura quoque Carolus II. an. 1304. eidem donavit. Frider. II. *an.* 1208. Barenſi Eccleſiæ dedit Madugnum, & Laterzam; Ferdinandus an. 1464. confirmavit Juriſdictionem civilem, & Criminalem in Biteſto, quam Ladislaus etſi abſtulerit, hodie tamen poſſidet, Beatil. *in Hiſt. Baren. lib.* II., III. & IV. Frider. II. *an.* 1227. conceſſit Eccleſiæ Teatinæ Caſtellum Triviliani, Caſtellum Furcæ, Caſtellum Villæ magnæ, Caſtellum Orni, Schorcoſæ, Mulcæ, Laſten, *Salvo Servitio, quod Curiæ noſtræ inde debeatur, Salvo inſuper mandato, & Ordinatione noſtra, & heredum noſtrorum*, ut refert Ugell. *t. VI. p.* 718. Denique, ſi lubet, alia Eccleſiarum, & Monaſteriorum feuda inſpicere, adire opus eſt Siciliam Sacram Rocci Pirrhi, & Italiam Sacram Ferdin. Ugelli.

V §. XLIX.

§. XLIX.

De Cauſſis, atque Inveſtituris feudorum Eccleſiaſticorum Regni Neapolit.

EX his, quæ hactenus diximus, cuique patet, Cauſſas, quibus feuda ad eccleſias, & monaſteria tranſierunt, fuiſſe *religioſam Regum, & Comitum Longobardicæ, & Nortmannorum ſtirpis, a qua apud nos feuda orta ſunt, liberalitatem, diligentem Prælatorum ambitionem, Magnam Comitum, & Baronum Poteſtatem, qui Monaſteria, atque Eccleſias expilabant & emtionem.* Aſſidue enim in Monumentis, & Chartis noſtri Regni cauſſa, qua Principes hæc loca inveſtire movebantur, inſpicitur eſſe *Redemptio peccatorum. Ambitio* quoque Abbatum, & Epiſcoporum ſuas eccleſias feudis ditavit; dum nempe mortuo vel Rege, aut Comite, ſtatim aulam Principis ſimul cum privilegiis, & Inveſtiturarum formulis adibant, & Succeſſorem precabantur, ut ea confirmaret. Succeſſor non modo conſenſiebat, ſed & alia prædia, vel Oppida, jura, immunitates, & privilegia concedere, ſua motus Liberalitate, inducebatur.

Quemadmodum Frid. II. *An.* 1225. confirmavit privilegia, jura, immunitates, & prædia a Rogerio, & Gulielmo Siciliæ Regibus conceſſa Cænobio S. Mariæ de Pulſano Ord. Bened. Diæceſis Sipontinæ, & præter hæc donavit Monaſteria ſex, & quatuor Eccleſias plurimas terras, domos, Silvas, ſalinas, piſcationes, atque ut poſſet homines affidare, & diffidare: Diploma refert Ugell. *to.* VII. *p.* 732. Theodoſius Secundus Abbas Monaſterii S. Angeli de Liſico *an.* 1093. Rogerium adiit, ut ſua confirmaret privilegia, nempe *Judicia hominum trium Caſalium habitantium in Terra Eccleſiæ, Anza, Liſico, & S. Angelo, exceptis Sanguine, & proditione, quæ pertinent a Deo Cuſtoditæ Curiæ noſtræ.* Hac occaſione alia jura, immunitates, & privilegia a Rogerie obtinuit.

Ingens Comitum, & Baronum *Potentia* Principes noſtri Regni aſſiduis Antiſtitum, & Monachorum querelis commovit ad conferenda Eccleſiis, & Monaſteriis feuda, & juriſdictionem. Hinc in Longobardicis donationibus ſæpiſſime hæc legitus Clauſula, *Ut a nullo ea noſtris judicibus, ideſt Comitibus, Gaſtaldis,* vel

Digitized by Google

vel a quibuſcumque gentibus habeatis aliquam requiſitionem, ſed perpetuis temporibus poſſideatis, inquit, *Chron. Beneven. S. Sophiæ edit. Ugel.*, & patet ex Chartis Rogerii, Gulielmi, & Comitum, quæ infra referam. Ex qua Baronum Poteſtate orta in noſtris Regionibus fuit Mundeburdii Eccleſiarum, & Monaſteriorum Conſtitutio. Proinde Roger. Rex an. 1148. in ſuam excepit tutelam Monaſterium S. Joannis de Eremis O. B. *Quod nullus alius de Contingentibus Cauſſis inter ſubditos, & Vaſallos ipſius Monaſterii ſe intromittat, niſi ipſe Abbas*, inquit, Diploma apud Pirrh. *to.* II. *p.* 1112. Frid. II. *an.* 1225. recepit ſub ſe cænobium S. Mariæ de Pulſano O. B. apud Ugel. *to.* 7. *p.* 832. Guliel. II. ſuſcepit protectionem Monaſterii S. Bartholo de Carpinate, (*k*).

Poſtrema demum adquiſitionis feudorum, & temporalis dominii cauſa recenſetur *Emtio*, de qua ſupra *cap. 6.* §. *26.* dictum eſt. Raynulphus Epiſcopus Teatinus emit Caſtellum S. Pauli a Goffrido della Vulturara, quod poſtea eidem Eccleſiæ donavit quodammodo jure feudi *Franci*: ſicut emit; Diploma refert Ugel. *to. vi. p.* 700.

Inveſtituræ, quas Principes de rebus ſuis faciebant, plura erant refertæ; & (1) præter feudalem Caſtri vel Oppidi conceſſionem donabant poteſtatem affidandi homines, ut Roger. Siciliæ Rex *an.* 1134. conceſſit Epiſcopo Juvenacenſi *decimas redituum omnium Civitatis noſtræ Juvenacii, & ut pariter Eccleſia affidandi quadraginta affidatos poteſtatem habeat, quos Eccleſia omni tempore libere, atque quiete teneat, & poſſideat*. Idem jus dedit Villel. *an.* 1172. ut ſupra dictum eſt, Ugell. *to. vii. p.* 725. (2) concedebant molendina, aquarum decurſus, flumina, venationes, piſcationes, herbagia, immunitatem ab omni tributo, jus paſcendi animalia per totum Regnum, imo & homines, & Incolas qui habitarent in Oppidis eorum liberos ab omni onere, angaria,

(*k*) Huic Monaſterio plurima intulit damna Robertus Comes Loretelli; idcirco Olibrius Abbas Guliel. II. adivit, ut in ſuam ſuſciperet tutelam; *Recipiens Eccleſiam in ſuo Demanio ſub regia tutela, & protectione cum omnibus ſuis poſſeſſionibus indulgens ei* (id eſt Abbati) *litteras protectionis Sigillo regio inſignitas*, Scribit *Chron. ejuſdem Monaſt.* edit. Ugell.

Digitized by Google

ria, & parangaria declarabant, quorum Bona dicebantur *gentilitia* ideſt libera ab omni præſtatione, uti hodie in Aprutio moris eſt, Frec. *de Subfeud. lib.* 1. *tit. de Antiq. ſtat. Regni. n.* 65. Sic Adelaſia Comitiſſa Donavit Monaſterio S. Mariæ de Gala Ord. Baſil. *poteſtatem Monachis hoſpitari intus præfatos terminos poſitos homines liberos, & Villanos S. Monaſterii habitare, & etiam ipſos homines liberos ab angaria, & parangaria, & Maragmate urbium, & Caſtrorum, ac omnibus Daciis*. Idem jus conceſſit Rogerius Rex Incolis feudi Monaſterii B. Virgini dicati Ord. Baſil. teſte Pirrho *to.* 11. *p.* 1042. *& p.* 1046.

(3) In Inveſtituris etiam, apponebatur clauſula, ut illud Monaſterium, vel Epiſcopatus ab omni Eccleſiaſtica poteſtate exemtus eſſet, & immediate R. Pontifici Subjectus; & qui auderet bona allodialia, aut feuda his locis conceſſa auferre, incurreret excommunicationem; Diploma refert Ugel. *to.* VII. *p.* 804. & Roger. Siciliæ Comes, & Calabriæ poſtquam donavit Monaſterio S. Mariæ de Mili Ord. Baſil. juriſdictionem in pago Mili, ſubjungit An. 1092., *Præterea admoneo Archiepiſcopos, Epiſcopos, & omnes Eccleſiaſticas perſonas non auferre aliquid a tali Monaſterio neque quærere tributum, ut moris eſt, ab aliis Eccleſiis. Sed permittant Monaſterium liberum, & Exemptum, niſi illud ſolum, quod Ordinatum fuit a SS. Papa Urbano, aut a me. Si vero Epiſcopus in Monaſterio applicaverit, gratiam benedictionis habeat duos panes, & unam fialam vini, & non aliud. Ego vero DOMINUS LOCI, ET PATRONUS, & ſucceſſores mei, habeant herbas, & olera. Si vero quiſque cogere voluerit, ſit excommunicatus a prædicto SS. Papa, & ab omnibus Sanctis*. Quæ conſuetudo eximendi Monaſteria, & Eccleſias a poteſtate Ordinarii vetuſta eſt, exempla refert Alteſer. *lib.* x. *Rer. Aquil. c.* 5.

(4) Deinde aſſidua Inveſtituræ clauſula erat, quam Reges, & Comites in ſuis infeudationibus apponebant, jus unicuique eſſe bona ſua illi Monaſterio, vel Eccleſiæ donandi. Ita Comes Andriæ *an.* 1107. Conceſſit Mario Epiſcopo Montis Viridis duo Molendina, quinque quartaria, (modus agri quartam jugeri partem continens) juriſdictionem civilem, excepto jure Gladii, quod Curiæ ſuæ Baronali reſervavit, & addit: *Homines, & mulieres de Monte Viridi liberam habeant poteſtatem, donandi, Commutandi vendendi, locandi bona ſua Eccleſiæ mobilia, & immobilia*. Hanc ego formulam in Chartis apud Pirrhum, & Ugell. crebro inve-

Digitized by Google

invenio; ſuſpicor in noſtris provinciis, ante Conſt. *Prædeceſſorum lib.* III. 29. Frid. II. fuiſſe *jus Amortizazionis*, dum nemo poterat Eccleſiis, vel Monaſteriis donare, ſine Comitum, vel Regum noſtrorum licentia, ut ex ipſa *Conſt.* Satis eruitur.

(5) Non modo territoria, & jura his locis concedebantur, ſed & Eccleſias; ut innumera extant exempla apud Leon. Oſtien. in Chron. M. Caſin., Pirrh. & Ugell.; unum ſeligo: An. 1134. Rex Roger. donavit Monaſterio Liparenſi, Molendina, Silvas, agros, *Pactes quoque, & Eccleſias de Pactis, cum Decimis, terris, & Silvis, aquis, & ſuis omnibus pertinentiis, & Eccleſiam S. Luciæ in Campo Milatii, item & Eccleſiam S. Mariæ de Butero, & Caſale Mirti, & Eccleſiam S. Trinitatis de Sicro, Eccleſiam S. Mariæ de Tuſa, Eccleſiam S. Eliæ in Territorio de Graetera, & Caſale Trabilis &c.* Neque id mirum, cum noſtri Principes jura Regaliæ, & patronatus in Regno habuerint, ædificatis ſuis ſumptibus Eccleſiis, quare modo uni, & modo alteri donabant, jus electionis, Mundiburdii, vacationis inſtar Francorum politiæ habebant, & hodie. De his tamen agere inſtituti mei non eſt, ſed in poſterum, ſi fata volunt.

Ex his conſtat, quænam fuerit Nortmannorum Poteſtas; Nam pulſis Græcis, Saracenis, & Longobardis, noſtri Regni provincias jure optumo maxumo, jure proprietatis poſſidebant; hinc Comites, & Duces dicebantur alicujus Oppidi, Dei *Gratia*; infeudabant, Vaſallos, & clientes, homines affidatos, & recommendatos ſub ſe tenebant; Eccleſias, & Monaſteria ædificabant, quibus latiſundia, & feuda donare religio erat Frecc. *de Subfeud. lib.* II. *n.* 42., dicam *lib.* II. Inſtituta autem Monarchia a Rogerio, etſi magna fuiſſet Comitum, & Baronum Potentia, tamen, quiſque a Rege Caſtra, & Regiones jure feudi recognoſcere debebat. Et cum Rogerius perpendiſſet, magno Regni damno Barones feuda, aut eorum portionem donare, ſpeciali lege in Conſt. *Scire volumus lib.* III. I. Abbatibus, Epiſcopis, & Baronibus interdixit, ſe inſalutato, feuda alienare, quam legem ſicut & alias An. 1140. in Comitiis Ariani publicavit, ut putavit *Inveges in Hiſt. Panor. to.* III.

Publicata hac Rogerii lege, nihilominus Barones Regni Eccleſiis, & Monaſteriis, partem, & jura ſuorum feudorum etiam donabant, non quia, ut putavit Freccia, non tam ſtricte erat tunc feudorum uſus, ſed quia vel expreſſus, vel tacitus Regis ade-

Digitized by Google

aderat conſenſus, qui *Vicariatis*, & *Vicaria* dicitur, Patet ex Charta apud Pirrh. *to.* 11. *p.* 1312. in qua Iſimbardus de Norengia donavit Monaſterio S. Mariæ de Arcu Ord. Ciſterc. (quod ipſe an. 1212. conſtruxit) *Caſtrum cum diviſis, & pertinentiis ſpectantibus ad ipſum, quod tenimentum dividit cum terris S. Luciæ, & terris Bidini, & Burgenſatici Neti, & de voluntate & beneplacito Domini noſtri Sereniſſimi Regis Friderici, & conceſſione ejuſdem Donavimus prædictæ Eccleſiæ S. Mariæ de Arcu Caſalem Bulchalem, cum omnibus diviſis, tenimentis, & pertinentiis ſuis, quod Caſale fuit quondam Gulielmi Croſno, & propter diſcadentiam revocatum fuit, & devenit in Demanio Domini noſtri Regis, & ad preces noſtras Dominus Rex ipſum Caſale pro dicta Eccleſia dedit*. Aliud exemplum ſub Nortmannis refert Ugel. *to.* VI. *p.* 805. *de Comite* Andriæ *an.* 1107.

Nec non etiam in noſtris Provinciis tunc temporis ſervabatur Lex Luitprandii Longob. Regis, quæ *lib.* 11. LL. Longob. *tit.* 18. 1. 2. refertur, *Si quis Longobardus ut habet caſus humanæ Fragilitatis, ægrotaverit, quamquam in lectulo jaceat, poteſtatem habeat dum vivit & recte loqui poſſet, pro anima ſua judicandi, vel diſponendi de rebus ſuis, quomodo, aut qualiter voluerit: & quod judicaverit ſtabile debeat permanere*. Virtute hujus Legis quam in inſtrumento refert, Bernardus Comes Pennenſis ædificavit *an.* 962. Monaſterium S. Bartholo. de Carpin. eique Caſtellum Carpinetum Caſtrum Fara, & Varleczum cum ſuis pertinentiis conceſſit, ut docet fundatio hujus Monaſte. apud Ugell. *to.* X. *p.* 384.

Eccleſiæ itaque, & Monaſteria Baroniis, caſtris, Civitatibus, & feudis a Longobardis, & Normannis cum magnopere locupletatæ, præſertim a Rogerio, quem merito Alex. Teleſin. *in Hiſt. Sicul. lib.* 4. *cap.* 3. *vocat Eccleſiarum, & Monaſteriorum Munificum, & Protectorem*. Et quia nec tot infeudationibus, & largitionibus ſub Frid. 11. Svevo modus dabatur, ipſe ſapienter in d. Conſt. *prædeceſſorum* temperavit, & *amortizationem* induxit, vid. P. Jannon. *lib.* 11. *H. Civil. R. N. cap.* 8. *in fin.* dicam *lib.* 4. *tit. de R. J.*

§. L.

Digitized by Google

§. L.

De Indole Feudorum Eccleſiaſticorum.

DUplicem hic opus eſt detegere feudi Eccleſiaſtici naturam; prima eſt, illius feudi, quod Eccleſia a Principe recipit; ſecunda, quod ipſamet confert. Si Eccleſia de feudo a Principe inveſtiatur, ejus evadit *Vaſalla* & ad omnia obligatur, ad quæ quilibet Vaſallus tenetur, puta exhibere ſuo ſeniori ſervitium ſive militare, ſive aliud in inveſtitura conventum. Antiquis enim Canonibus, etſi Clericis vetitum fuerit arma movere, aut ſecularem exercere militiam, ut docet *Gratia. in C. xxIII. q.* 8, *&* *Ziegl. Opuſc. de Epiſcop. Milit.*, & dicam *lib.* III., tamen poſtquam Eccleſiæ Feudis liberalitate Principum ſcatere ceperunt, & Epiſcopi, Abbates, & Archiepiſcopi ſimul Duces, & Comites extitere, tempore expeditionum certum militum numerum, ſuis ſumptibus altum, ad exercitum mittebant, Thomas. *P.* III. *lib.* I. *cap.* 40. *& ſeqq.*, ſicut etiam ipſi Epiſcopi, ceterique Prælati feuda a Regibus habentes, bellum petebant, Ottho Friſig. *lib.* II. *cap.* 12. Gunth. *lib.* II. *v.* 40., *lib.* VIII. *v.* 318. cecinit.

Tunc bene re geſta, cunctiſque in pace locatis
Cæſaris a facie, cum tellus tota ſileret,
Militię partem placuit dimittere Caſtris.
Auſtricus Allobrogum Dux cum Duce, Rexque Bohemus,
Pannonięque ſimul ſub eodem Rege Cohortes
Et Moguntino Proceres cum Pręſule multi
Rege Salutato, meritis, & Laude venuſti
Diſcendunt Caſtris, converſaque Caſtra ferentes.

Et hodie Eccleſiaſtici Principes publica Imperii, aut cujuslibet ditionis onera ſubire tenentur; & quia nunc feudalis obligatio non tam arcta eſt, ideo vel ſubſtitutum mittunt, vel aliquam fructuum feudi quantitatem ſoluunt, conf. Boehmer. *tit. decret. de feud.* §. 101.

(2) Si Vaſallus in Dominum delinquit, quo poſſet feudo privari, delictum ejus non nocet Eccleſiæ, ſed feudum revertitur ad

ad Dominum, penes quem tamdiu erit, quamdiu vivit Prælatus, qui deliquit, eo defuncto, feudum redit ad Succeſſorem in Prælatura II. *f.* 40. §. *fin.* Scrader. *P.* IX. *Par. Princ. ſect.* 9. *n.* 70., Capyc. *in Inveſt.* §. *feudatariorum delicta n. Prælati delictum*; quia Princeps non perſonæ, ſed Eccleſiæ feudum conceſſit, & Eccleſia eſt Vaſalla, non Prælatus, qui feudum dumtaxat adminiſtrat, ut recte Friſigens. *loc. cit.*, *quod regalia non perſonis, ſed Eccleſiis perpetualiter a Principibus tradita ſunt.*

(3) Et quia Epiſcopus, vel Abbas propter feudum quod poſſidet, non uti Eccleſiaſtica perſona cenſetur, ſed ut Baro, & Comes, idcirco tenetur fidelitatis jusjurandum Regi præſtare *cap. nimis de Jurejuran.*, omne enim jusjurandum, quod alicui præſtari poteſt, vel eſt ratione feudi, vel Juriſdictionis, omnis qui feudum tenet, jurare tenetur; Clericus vero cum juriſdictioni laicorum in Spiritualibus non ſubjaceat, non jurat. Recte Frid. I. apud Radevic. *lib.* II. *cap.* 30. reſpondit Legatis Alex. III. *Epiſcoporum Italię Ego quidem non affecto hominium, ſi tamen & eos de noſtris Regalibus nihil delectat habere: qui ſi gratanter audierint a Romano Pręſule; quid tibi, & Regi. Conſequenter quoque eos ab Imperatore non pigeat audire, quid tibi, & poſſeſſioni.*

(4) Feudorum ea fuit origo primæva, ut ad vitam dumtaxat Vaſalli concederentur, quo defuncto feudum redibat ad Dominum; paulatim tamen invaluit, ut ad heredes tranſiret conſenſu Domini, ſed id ſoluto *certo pretio*, quo feudum a Domino relevabant, quod *relevium* dixerunt. An hac lege feuda conceſſa fuerint Eccleſiis, non ſatis liquet? Equidem proprie Principum liberalitas noluit Prælatum de ſuis allodiis inveſtire, ſed Eccleſiam, quæ nunquam moritur, ut ſenſit Andr. in Conſt. poſt *mortem lib.* III. 25. Illud tamen exploratum eſt vetuſtis annorum curriculis, Reges Galliæ, Eccleſiaſticis perſonis feuda dediſſe iiſdem conditionibus, ac a reliquis hominibus poſſideantur, nempe vacante feudo per obitum Epiſcopi, Rex illud ad ſe revocat, fructuſque percipit, donec novus Epiſcopus inveſtituram acceperit, & clientelare præſtiterit Sacramentum Petr. de Marc. de Concord. *lib.* VIII. *c.* 19. *n.* 1. *Cum Eccleſię Regum beneficio donatę fuiſſent bonis hujuſcemodi, neceſſarium prorſus fuit, ut illę poſſiderent feuda iiſdem conditionibus, quas in prima feudorum origine invexit publica utilitas. Ergo perſonę Eccleſiaſticę, quę* feu-

feuda poſſidebant, per conſequentiam fiebant Vaſalli Regum, illiſque preſtare tenebatur homagium, & juramentum fidelitatis, itemque certum militum numerum juxta valorem feudorum. Præterea Regi tradere tenebantur arces, & Caſtra, quoties id Regis utilitas poſtulabat. Unde ſequitur neceſſario, Regem poſt obitum Epiſcopi, quod eo caſu feudum vacet, illud ad ſe recipere poſſe, ac retinere, donec novus Epiſcopus inveſtituram feudi receperit, homagiumque, & juramentum fidelitatis præſtiterit. Interim tamen Regi competit jus quoddam fruendi reditibus, dum Cuſtodia durat., Ruzæus *P.* II. *præfat. n.* I. Probus *q.* I. Franc. Florens *tit. decr. de elect.* Defuncto enim Epiſcopo Regalia dicitur *vacans*, atque *aperta*, & utilitas conſolidatur cum directo Dominio.

Succeſſor itaque tenetur juramentum fidelitatis præſtare, & inveſtituram petere intra annum, & diem, ſecus clientelari poſſeſſione indignus evadit. Quæ inveſtituræ petitio tunc faciunda, cum vel Patroni, vel Vaſalli perſona civiliter puta depoſitione, aut exauctoratione Epiſcopi, vel naturaliter nempe morte mutatur II. f. 23., Hotom. *diſput. feud.* xxiv., Roſent. *cap.* vi. 31. *n.* 3., Kloc. de *Contribut. Cap.* iv. *n.* 160. Hoc enim feudatarius Eccleſiaſticus eodem utitur jure, quo Baro, vel Comes laicus. Symbola, quæ Impp. & Reges in Inveſtituris adhibebant, erant *baculum*, & *annulus;* quæ inſtrumenta adeo ſedi apoſtolicæ monſtruoſa viſa ſunt, ut Simoniæ labe Epiſcopatus, & Abbatias adquiri aſſereret (*l*). Hæc controverſia (quæ ab Eruditis luculenter deſcripta eſt, præſertim Florente *loc. cit.* Nata. Alex. *H. E. Seculo* xi. & xii. *diſſert.* iv. & P. de Marca *loc. cit.*,) 50. ann. Europam vexavit, donec *Callixtus* II., & *Henr.* v. *Imp.*, pace inita, ſtatuerint, exoletis Inveſtituris, Regalia, ideſt feuda, & latifundia jure clientelæ conceſſa Epiſcopis, & Abbatibus, non per annulum, & virgam conferri, ſed per ſceptrum Dodechin. *in Append. ad Chron. Mar. Scot. Edit. Piſt.*, Si-

X

(*l*) Sed non ita ſedit Ivoni Carnot. *Epiſto.* 60., & recte Ciròni. *in parat. decret.* de *Sacra Unct.* fatetur Principes ſibi vindicaſſe collationem Epiſcopatuum, ***non quidem ut paſtoralis muneris jus impendere cogitarent, ſed tantum bonorum temporalium & feudi Eccleſiaſtici uſum redderent.***

Digitized by Google

Sigebert. Gemba. *in Chron.* Cur per ſceptrum? quia tunc in Italia Principatus, Comitatus, & cetera feuda regalia per ſceptrum conferebantur, & feuda ſecularia per Vexillum; hinc orta diſtinctio in feuda *Vexilli*, & feuda *Sceptri*. Hac tamen compoſitione, Eccleſiæ remanſerunt *Vaſallæ* Principum, atque Imperatoris. Et ita Cecinit Gunth. *lib.* 1. *v.* 570.

Nec prius electum quemquam de jure Sacrandum
Quam ſceptro Princeps regalia præſtat Eburno.

Hodie tamen Moribus regni noſtri dum feuda ad manus mortuas, Eccleſias videlicet tranſeunt vel Collegium, ſingulis xv. an. ſolvitur relevium, ſive Quindennium, exemplo beneficiorum Eccleſiaſt., pro quibus etiam ſingulis xv. an. Solvitur annata ſedi Apoſt., ne R. Curia defraudetur, Monta. *in* 11. *f.* 55. §. *preterea ſi quis infeudatus* n. 52., Car. Ant. de Luca *ad Deci.* 659. *Defranc.* *n.* 4., Carol. de Alexio ad *De Marin. Meliorat.* 144. Seraph. Biſcard. *in ſuo Reſpon.*, dicam lib. III. Sicut etiam in hoc Regno conſuetudo invaluit, ut, dum feuda alienantur ad Eccleſias, Collegia, vel Univerſitates, emptio feudi ſequatur in perſona alicujus Regnicolæ, qui Succeſſores habet, cum inſtrumento recognitionis, quo declarat emptor perſonam, cujus pecunia feudum emit, ſuumque conſtituit Procuratorem irrevocabilem ad exercendam Juriſdictionem, fructus percipiendos, Philip. Marad. *ad Singul.* 161. *n.* 2.

Denique Epiſcopi, atque Abbates qui ab Imperatore, vel Principe feuda tenent, dum jus dicunt ſuis Vaſallis, ſi aliquod læſionis iis acciderit, appellant non ad Metropolitanum, ſed ad Regem quia Dominus Eccleſiæ feudum concedens, non intellitur abdicaſſe a ſe omnem juriſdictionem. Aut ſi Eccleſia exercet juriſdictionem per Laicos, appellatio datur ad Epiſcopum *cap.* III. §. *debet de Appell. in* VI. Epiſcopus Baro debet potius Regi, quam Metropolitano obedire; Clericus feudatarius conveniendus coram Domino directo, non judice Eccleſiaſtico *cap.* 5. *de judic. cap.* 6. *&* 7. *de For. Compet.*, Undique enim Epiſcopus Regis feudatarius cenſetur uti Baro, & Comes, & Vaſallus Regni, atque Imperii, ut Mich. Coccin. *de Bello Maximil.* Patriarcham Aquilejenſem appellat ob feuda, *Imperii Vaſallum.*, Petr. Creg. *de Republ. lib.* VII, *cap.* 1. *n.* 9.

Dicen-

Digitized by Google

Dicendum nunc de proprietate feodi, quod Eccleſia alteri concedit de bonis ſuis. Porro cum Eccleſiæ ſint corpora, quæ nunquam moriuntur, unde naturalia feudi videlicet *renovatio Inveſtituræ*, *Sacramentum Fidelitatis*, *& ſervitiorum exhibitio* vix poſſunt explicari, niſi Collegium conſtituet aliquem in quo directum repræſentetur dominium, & cui Vaſallus valeat hujuſcemodi præſtare, quum Vaſallus non cogatur pluribus dominis ſervire 11. *f.* 55., *& in cap. extraord.* 11. *f.* 102. Hinc ſi Capitulum poſſidet dominium directum, & objerit *Decanus*, Inveſtituræ renovatio erit petenda a noviter electo., Si infeudatio competat Capitulo, & Epiſcopo, ſede vacante, Capitulum nequit inveſtituram præbere, cum inveſtituræ Conceſſio recenſeatur inter cauſſas majores, ſicut de beneficiis ſtatutum eſt *in cap.* 11. *Ne ſede Vacan.*, Duaren. *de ſacris lib.* 3. *cap.* 6. Et quia collatio beneficii inter fructus recenſetur, & fructus Eccleſiæ vacantis futuro Epiſcopo ſint reſervandi, Gloſſa *in cap. cum olim de M. & O.*, Natal. Alex. *Hiſt. Eccl. Secul. XIII. & XIV. diſſert.* 8. *art.* 6. *n.* 6. Si vero collatio vel feudi, vel beneficii ad Epiſcopum, & capitulum communiter pertineat, mortuo vel naturaliter, vel civiliter Epiſcopo, capitulum poterit infeudare *cap. un. Ne ſede vacan. in* 6. Boehmer. *tit. decret. de feud.* §. 54. Diſſentit Struv. *S. J. S. cap.* x. *A.* 2. 3. ſed rationem non affert. Tempus vero petendæ inveſtituræ eſt annus, & dies; qui non currit, antequam eligatur Epiſcopus Scrad. *P.* 111. *cap.* 2. *n.* 24.

Forum Competens in Cauſſis feudalibus eſt Tribunal Epiſcopi a quo feudum recognoſcitur, cum hæc ſit feudorum omnium natura, Scrad. *P.* x. *ſect.* 1. *n.* 4. ſive Vaſallus laicus ſit, ſive Clericus; & Epiſcopns ſi Pares Curiæ habet ideſt alios vaſſos, ſimul cum iis judicat. Ab hoc judicio appellatur ad forum Imperatoris, aut Regis, inquit Boehmer. *loc. cit.* ſed male: Nam hoc judicium eſt eccleſiaſticum, non ſeculare, quum feudum conceſſum fuerit ex bonis, & patrimonio Eccleſiæ, & omnis controverſa de bonis Eccleſiæ Eccleſiaſtica eſt, quare appellandum ad tribunal Eccleſiaſticum; ſecus ſi Epiſcopus de bonis ſuis feudum conſtituiſſet, tunc appellatio erat ad Regem, ſeu juriſdictionem ſecularem.

Succeſſio in feudis Eccleſiaſticis vel hereditaria eſt, vel promiſcua, ut fæminæ etiam admittantur: Etenim Feuda plerumque omnia, quæ olim, & hodie Eccleſiæ, & Collegia

Digitized by Google

poſſident, ſolent eſſe oblata, ut ſunt feuda *Fuldenſia*, *Colonienſia*, *Monaſterienſia*, *Leodienſia*, *Oſnaburgenſia*, *Trevirenſia*, *Metenſia*, *Corvienſia*, cetera, de quibus paſſim D. Ludewig., & Boehm. *loc. cit.* §. *62.* in quibus etiam filiæ ſuccedunt. Dum enim quis bona ſua Eccleſiis obtulit ut ab iis jure feudi reciperet, non cenſetur ea tam liberaliter jactaſſe, & renunciaſſe, ut filiabus ſuis damnum quoque afferret. Nihilominus inſpicienda Inveſtituræ forma, conſuetudo, & an Epiſcopus, qui de bonis ſuæ Eccleſiæ feuda conſtituit, militari manu, neceſſitate invitante, ad Civitates, oppida, Caſtra, prædia, Villas, & agros defendendos indigeret. Vetuſta enim in Germania, aliiſque provinciis erat Prælatorum ambitio, & Pompa aſſiduas peragendi de bonis Eccleſiæ feudales inveſtituras, quibus magnum Vaſſorum gregem ſibi creabant armis, & loricis armatum, ut ſupra dictum eſt, conſ. Ziegl. *de Epiſcop. Mil. cap. XI.*, Maiſtre *de Decim. lib.* 1. *cap.* 8. ſi vero Inveſtituræ tenor non appareat, tunc mares, modo a primo Adquirente deſcendant, excluſis fæminis, admittendi.

Amitur hoc feudum, felonia, ſi Vaſſus in Rectorem, aut Eccleſiæ Prælatum aliquid commiſerit, quo cetera feuda amitti poſſunt, ut illos occiderit *cap. XII. de Pœnis*, Roſent. *cap. X.* 20. *n.* 1., & 34. *n.* 71., vel ſi res Eccleſiæ diripiat, aut hæreticus evadit. Denique Prælatus cui competit feudi collatio poteſt culpam remittere; ſi vero collatio pertinet ad capitulum, & Prælatum, utriuſque requiritur conſenſus *ut lib.* 4. dicam, vid. Roſent. *loc. cit.* 38. *n.* 9.

§. LI.

De Eſſentia feudi.

IN omni Clientelari Conventione tria, ſicut in ceteris contractibus, ſunt diſtinguenda; *Eſſentia*, *Natura*, & *accidens*. Etenim quicquid de re qualibet prædicatur, vel genus eſt, vel differentia, vel proprium, vel accidens. Genus, & differentia cudunt eſſentiam, proprium eſſentiæ perpetuo inhæret; accidens nutro modo de re dicitur. Et proinde eſſentia contractus eſt illa, ſine qua contractus, aut nullus eſt, aut corruit, videlicet bona

bona fides, non dolus: in emptione pretium, res, conſenſus; in ſtipulatione interrogatio, & reſponſio, Oſvald. *ad Donel. XV. cap.* 1., Zaſi. *P.* 1. *n.* 7. Lyncher. *differ. de feud. pecun.* §. 2. Beck. *differt. de feud. fœmini.* §. 10., Struv. *S. J. F. cap.* 11. *A.* 4. Hinc male Cujac. *ad l.* 72. *D. de Contrab. emp.*, & Wiſenbach. *ad Inſtit. diſp.* 35. *th.* 6. hæc tria in contractibus rejiciunt, decepti, quia in jure ſæpe ſubſtantiæ, & naturæ promiſcuus eſt uſus *l.* 72. *D. de Contrab. emp. l.* 27. §. 3. 7. §. *D. de Pactis*.

Ad feudi Eſſentiam pertinet, (1) *ut utile dominium* tranſeat in Vaſallum, directum remaneat penes Dominum, quia feudum eſt inſtar uſusfructus, & uſusfructus ne pacto quidem recipere valet utilis, & directi dominii translationem, 11. *f.* 23. Errant itaque, quibus ſedet, poſſe feudum erigi, etſi utile, & directum dominium in Vaſallum transferatur: tunc non eſſet feudum, ſed allodium, ideſt res jure optumo maxumo poſſeſſa, libera ab omni nexu; quæ formula apud Romanos in agrorum venditione apponi ſolebat, *l.* 126. *D. de V. S. l.* 59. *D. de Contrab. Empt.*, Cice. *pro lege Agrar.* Neque poteſt concipi Dominus niſi cum Directo Dominio, nec Vaſallus niſi cum utili jure, quod ſi in Inveſtitura facta fuerit mentio tantum *Donationis*; non feudi, prædium erit allodiale; ſed ſi dictum ſit & *de feudo*, *& de Donatione*, Clientela exiſtimanda eſt; Vox enim *feudi* indicat rem donatam ſervitiis eſſe ſubjectam, & fidelitatis nexu conceſſam.

(2) *Fidelitas*, quæ vetus eſt, & præcipua feudorum Origo, ſine qua omnis ruit fiduciariæ poſſeſſionis conditio. Nihil tam contrarium feudo eſt, quam ne fides præſtetur; quum nulla, ſive vetus, ſive nova erit ei faciunda Inveſtitura, qui recuſat fidelitatem præſtare 11. *f.* 3. *in fi.* Nomine fidelitatis intelligitur Promiſſio, vel ſimplex, vel religioſa, quæ continet illa ſex *in* 11. *f.* 6., de quibus *lib.* 3. dicam, ſancta enim, & honeſta debet eſſe perſona Domini apud Vaſallum, ſicut Patroni apud Libertum, Adam Blacuodæus *in Apolog. pro Regibus cap.* 26. Ivo Carn. Epiſt. LXXXVIII. *Nullus qui fidelitatem fecerit Regi præſumat illud dare Conſilium, quod ſit contra fidelitatem ſuam, & regni minuat Majeſtatem. Cum his enim, quæ fidelitas continet præcipue obſervandum eſt utile, & honeſtum.*

Cavendum tamen eſt, aliud eſſe fidelitatem, aliud fidelitatis jusjurandum; feudum non poteſt conſiſtere ſine fidelitate, licet eſſe

Digitized by Google

eſſe poſſit ſine juramenti præſtatione, quia nihil refert juratane, ſit fides, an ſimpliciter exhibita. Errat igitur Hotom. *in d.* II. *f.* 3. qui immerito arguit feudiſtam aſſerentem pacto remitti poſſe juramentum fidelitatis: recte; non, inquit, feudiſta generaliter poſſe in feudi conceſſione remitti fidelitatem, ſed eximere Vaſallum a juramento. Hinc Diviſio Vaſalli in *Juratum, & non juratum*, II. *f.* 16. II. *f.* 24. §. *ſi tamen*, II. *f.* 47. dicam *lib.* 3.

(3) Ut conſiſtat *in re Immobili*, videlicet Terris, Prædiis, arbuſtis, Paſcuis, Nemoribus, Regnis, Caſtris, Territoriis, quia in omni feudo proprietas debet eſſe Domini, utilitas Vaſalli; idque in rebus immobilibus contingit, quarum uſus adeſſe poteſt, ſalva ſubſtantia. Mobilia autem corruptioni, & conſumationi ſunt obnoxia. Longobardi itaque *in* II. *f.* 6. a Romanis, qui etiam uſumfructum conſtituunt in rebus, quarum uſus non eſt, ſed abuſus, diſceſſerunt. Vel in rebus, quæ Immobilium vicem obtinent, ut jura, reditus, Juriſdictiones, dicam *lib.* II. Hæc tria hactenus recenſita mutari non poſſunt, quia ſubſtantia comparatur *numeris*, quibus ſi vel addas, vel detrahas, jam eorum ſpecies mutatur. Neque pactum aliquod contra feudi, aut alterius conventionis eſſentiam appoſitum, haberi poteſt pro non adjecto, quia non eſt contra bonos mores, ſed contra ſubſtantiam; quare nec vitiatur, nec vitiat, ſed ſpeciem mutat *l.* 80. §. *ult. D. de Contrab. empt. l.* 46. *D. Loca.*, §. *ult. Inſt. de Mand.*, Struv. *S. J. F. cap.* II. *A.* 6. Conſ. Scrad. *F. II. cap.* 2. *n.* 34.

§. LII.

Digitized by Google

§. LII.

De Natura, atque Accidentibus feudi.

NAtura feudi eſt *quædam qualitas a principio innata, ex qua virtus contractus proficiſcitur, quæ regulariter ſemper feudo ineſſe dicitur, niſi per pacta conventa contrarium ex adverſo factum probetur*, ut depingit Thom. de Marin. de *Gener. feud. tit.* 18. *n.* 2., quæque in jure vocatur *Communis feudi ratio* II. *f.* 2. §. *præterea*, vel *conſuetudo*. Inventa enim Conventionis ſpecie, ſtatim ſponte ſua fluere ceperunt ex ea, quæ *naturalia* dicta ſunt, ſingulisque contractibus, ſi nihil convenit, naturaliter, ſive, ut, inquit Vulpia. *in l.* 30. §. 20. *D. de Ædil. Edict. ex more, & conſuetudine*, inſunt poteſtate conventionis, ut evictio, uſuræ ex mora & ſi quæ ſunt.

Feudi Naturalia ſunt (1) *Servitium*, quo Vaſallus obſtringitur II. *f.* 23. *in fi.*, II. *f.* 28., II. *f.* 24., quia feudum conceditur utriusque Domini, & Vaſalli gratia, I. *f.* 72., II. *f.* 6., & cenſetur eſſe conditionale, ſub pacto videlicet ſervitii, quod expreſſe, vel tacite ex communi feudorum jure, & Regionum moribus intelligi poteſt. Finge: Dominus in Inveſtitura ſervitium non nominatim definivit, cenſetur *militare* II. *f.* 55. §. 1., exemplo operarum, *officialium*, quas natura libertus debet præſtare Patrono, etſi promiſſæ non fuerint, ob libertatis beneficium *l.* 24. *D. de Oper. Libert.* Sedulo tamen hac in re ſervandum illud Pauli *in l.* 16. §. 1. *D. eo. Tales Patrono operæ dantur, quales ætate, dignitate, valetudine, neceſſitate, propoſito, ceteriſque ejus generis, in utraque perſona æſtimari debent*. Si vero expreſſe ſervitium fuerit remiſſum, tunc oritur feudum improprium, quod vocatur *francum*, dicam *lib.* 3.

Hæc ſervitiorum præſtatio adeo feudi naturæ adnexa eſt, ut quemlibet ſequatur Poſſeſſorem; cum perſonæ mutatione ſervitium non amittatur, ſicut nec uſusfructus, nec via, nec actus. Dominii mutatione extinguitur *l.* 19. *D. Quibus mod. uſusfr.*, Andr. *in* II. *f.* 24. *n.* 36. & 37. Eſt enim ſervitium onus reale, & tranſit cum feudo, Camer. *in* II. *f.* 55. *p.* 20., Camil. de Curte *in Diver. jur. feud. P.* 1. *p.* 42. *n.* 68., & ſanxit Frider. noſter

noſter in Conſt. *ſive reali lib.* 1. 103. *Ad hoc enim ut Servitiorum noſtrorum exactio non fruſtretur, ab illis feudorum ſervitia debita volumus exigi, quæ feuda ipſa quolibet titulo detinere noſcuntur.* Ut ſi reus latitet, & contumax fuerit, actor in feudi poſſeſſionem, quæ a nobis dicitur *tenuta*, miſſus, debet ſervitia præſtare *arg. l.* 2. *C. ſine cenſu, vel Reliq.*

(2) *Alienationis Prohibitio* ſine Domini conſenſu ex duabus Celeberrimis Conſtitut. Lotharii *in* 11. *f.* 52. *&* Frid. *in* 11. *f.* 55. & apud Radev. *lib.* 11. *cap.* 7. Lunig. *Ital. Diplom. to.* 11. *p.* 2285., & cecinit Gunther.

Quiſquis habens feudum, precio, ſeu vendere totum,
Seu pro parte velit, Dominique licentia deſit,
Seu dare, ſeu Vadio ſupponere cogitur, illud
Qui dedit, amittet; non qui ſuſcepit, habebit:
Nullaque vel longi præſcriptio temporis obſtet,
Quominus ad Dominum redeant translata priorem.
Emptorique bona fidei præſtetur in illum
Actio, quę precium cogat redhibere ſolutum.
Hæc magnus fieri vetuit Lutharius: at nos
Facta retractari volumus, facienda caveri.

Ratio prohibitionis eſt contemptus Domini, quo inſalutato, Vaſallus temere feudum alienat: Vaſallus, feudo alienato, carens fructibus feudi, Domino non ſervit: Ne Dominus cogatur alium Vaſallum recipere, cum fidelitas unius non ſit fidelitas alterius: ne Vaſallus de re undique non ſua, uti lubet, diſponat. Antiquitus tamen facultas Vaſſo erat totum, vel partem feudi ſine Domini venia alienandi, quod jure noviſſimo, excepta ſubinfeudatione, interdictum eſt; recte Joan. Besler. *Differ. de feud. fideicommiſ.* §. 4. *Neque enim jure ſuo ſe omnino abdicat Dominus, ſed tantum in partem Dominii, plene ad ſe ſpectantis, Vaſallum adſciſcit, illique ut fructus in compenſationem fidelitatis promiſſę ex beneficio percipiat, permittit.*

(3) Judex Competens in Cauſſis feudalibus eſt *ipſe Dominus*, etſi Vaſallus ſit Clericus, & Dominus laicus, & viciſſim 11. *f.* 55. §. *præterea in fi.*, *cap.* 5. *de judic. cap.* 6. *&* 7. *de for. compet.* Ivo Carnot. Epiſt. 168. *Ut utraque pars irent in Curiam Comitiſſę ad quam talia judicia pertinebant, & de cujus feudo iſta* tene-

Digitized by Google

tenebant; Innoc. III. *in epiſt.* 128. *lib.* 1., Joa. Saresber. *epiſt.* 89., Arnil. *de ſtatu Imper. G-rman. cap.* 5. *ſect.* 5. *n.* 14. Cuja. *lib.* 1. *f.* 15. dicam *lib.* 4. Cecinit Gunther.

Inter Vaſallos unius ſorte Patroni
Quæſtio de feudo quoties agitatur eodem:
quo feudi Domino gaudent, hoc judice certent.
Si tibi pro feudo, quod te tribuente, fatetur
acceptam, tu vero negas, Vaſallus agendam
forte movet litem, non tu, ſed Curia judex
audiat, & certo determinat ordine Cauſſam.

(4) Vaſallus non amittat feudum *ſine culpa*, 1. *f.* 7., 1. *f.* 21. 1. *f.* 22. §. *ſancimus ut nemo*, Becki. *loc. cit.* §. *XI.*, quæ non præſumitur, niſi probetur, ſive in omittendo, ſive in committendo conſiſtat, neque Vaſallus erit condemandus ſine Paribus Curiæ 11. *f.* 54., Conſtit. Conrad. apud Cuja. *feud. lib.* 5. Cauſæ quibus Vaſallus feudo cadit, viginti in jure recenſentur, occiſio Domini, vulneratio, pulſatio, inſidiæ in eundem, ejus arcis oppugnatio, deſerere eum in periculo, contumelia, accuſatio, teſtimonium atrocius, læſa uxoris ejus, vel filiæ, vel nurus, vel ſocrus pudicitia, interfectio fratris, aut fratris filii, recuſatio eundi ad bellum, vel renovandæ fidelitatis, vel jurisjurandi, obnegatio Patroni, relevatio arcani commiſſi, contumacia in vocatione in jus, alienatio feudi, inconſulto Domino, debilitatio corporis, Clericatus, ſive Monachatus, Conſtitut. Otthonis I. Imp. An. 968. apud Goldaſt. *to.* 3. Conſtitut. Imper. *p.* 304., Roſent. *cap. X. to.*, Scrad. *P. IX. cap.* 1., dicam *lib.* 4.

(5) In eo non *ſuccedant fœminę* 1. *f.* 1. §. 3., 1. *f.* 8., 11. *f.* 50., 11. *f. XI.*, ubi feudiſta, *Ad filias vero, ſeu Nepotes, vel pronepotes, vel ex filia nepotes, ſeu pronepotes Succeſſio feudi non pertineat. Proles enim fæminini ſexus, vel ex fæmineo ſexu deſcendens, ad hujuſmodi Succeſſionem aſpirare non poteſt, niſi ejus conditionis ſit feudum, vel eo pacto adquiſitum*, 1. *f.* 14. §. 3. Aſſidue enim a cultis, barbariſque Nationibus uti naturæ dogma illud obſervatum eſt, præcipuum fæminarum munus eſſe, *accipere, & tueri conceptum l.* 14. *D. de ædil. edict.*, quum intentio naturæ fuerit, dum fæminas genuit, *ut partus ederent, & maxi-*

na ejus Cupiditas in hoc conſtituta ſit, *l.* 2. *C. de Indict. Viduit.*

Qua de re mediæ ætatis Populi non modo a Clientelari poſſeſſione, ſed & ab allodiis fæminas abegerunt. De Germanis teſtatur Baſtinell. *Diſſert. de Præjudic. Princip. ex abuſu jur. feud.* §. 25. *Dedecori ſibi reputarunt Germani*, *gens militaris mulieri parere*. De Ripuariis, Anglis, Saxonibus, Francis, Perſis, Græcis, Armeniis, & quibus non, Petr. Greg. Syntagm. *lib. XLV. cap.* 13. *n.* 7., Guliel. Forſter. *de Jur. Interpret. lib.* 11. *cap.* 2. §. 1. *n.* 4., Cuja. 8. *obſer.* 14. *in fin.* Et, inquit, Lex Salica *tit. LXII.* §. 6. *De Terra vero Salica nulla portio hereditatis mulieri veniat*, *Sed ad virilem ſexum tota Terræ hereditas perveniat*. (m) Quænam ſit ratio, cur fæminæ a feudis excludantur, docebit *lib.* 11. Imo non modo fæminæ a Succeſſione excluduntur, ſed etiam ejus filii, etſi mares ſint 11. *f. XI.*, quia lex de origine, ſeu principio diſponens, cenſetur etiam diſponere de iis, quæ exinde naturaliter, & non ficte naſcuntur, dum *ſatis abſurdum eſt*, *ipſa origine rei ſublata*, *ejus imaginem derelinqui l.* 1. *C. de lati. liber. tollen.*

(6) *Inveſtituræ Renovatio* II. *f.* 24. Jure feudali longobard. comparatum eſt, ut quoties vel Patroni, vel Vaſalli mutetur perſo-

(m) Lex Salica fuit francorum Orientalium, de cujus etymologia, & auctore nihil fere conſtat. P. Gregori. *Synt. lib. XLV. cap.* 4. *n.* 7., Lazi. *lib.* 3. *de Migrat.* Gent. a Pharamundo primo francorum Rege latam eſſe tenent. Nonnullis ſedet, vocari *ſalicam* ab Archiflamine diali Salagoſto uti Sacerdotum Principe, quorum conſilio Pharamundus leges condidit, Ottho Friſig. *in Chron.* ſcribit, *Leges Wiſigaſtaldo*, *& Salagaſto auctoribus exhinc habere cepere*. *Ab hoc Salagaſto legem*, *quæ ex nomine ejus Salica uſque hodie vocatur*, *inventam dicunt*. *Hac nobiliſſimi francorum*, *qui Salii dicuntur*, *adbuc utuntur*. Rectius felix Oſius *in not. ad Alberti. Muſati in Hiſto. Aug. lib.* 1. *rubr.* 2. probat dici a Saliis Francis orientalibus a *Saliendo*, ut Sidon. Apollinai. *Carm. VII. v.* 240.

tibi

Digitized by Google

perſona, toties Inveſtituræ faciunda erit renovatio. Sicut de Romanis Imperat. narrat Sveton. in Tito *cap.* 8.. *Cum ex inſtituto Tiberii omnes debin: Cæſares beneficia a Superioribus conceſſa Principibus, aliter rata non baberent, quam ſi eadem iiſdem & ipſi dediſſent*. Tempus hujus Renovationis eſt annus, & dies, ut in jure ſtatutum eſt, & jubet Imperat Leopold. an. 1695., teſte Lunig. Ital. Diplom. *to.* 1. *ſect.* 1. 46. Ut Vaſalli *intra annum. & diem ab earum affictione proximum de ſubjectis bonis ejuſmodi feudalibus a nobis, & Sacro Romano Imperio, jure Clientelari, relevantibus, debite recognoſcant, & implorent, inveſtiturarumque ſibi, majoribus ſuis, olim a nobis, noſtriſque prædeceſſoribus Romanorum Imperatoribus, aut Regibus conceſſarum, renovationem petant, niſi illa, ipſo facto contrario, confiſcata*.

Ratio juris eſt, quia olim nulla in feudis dabatur Succeſſio, ſed precario jure Vaſallo uti datum erat, poſtea liberalitate Dominorum admiſſa fuit Succeſſio; at quia fidelitas puta Patris, non eſt fidelitas filii, idcirco ſi Pater inveſtituram accepit, & juraverit, filius eandem & petere debet, & jurare: re-

---

———— tibi vincitur illic
Curſu Herulus; Chunus jaculis, francuſque natatu,
Sauromatas clypeo, Salius pede, falce Gelonus.

Auctor itaque Legis Salicæ fuit Pharamundus, quam deinde ſequentes francorum Reges auxerunt, & emendarunt, ut Clodoveus, Cildericus, Carolus M., Clotarius, & Ludovicus Pius conf. P. Ludewig. *lib.* 1. *Hiſt. Opuſc. IX.* §. 2. *not.* (6) ſicut contigit legibus XII. tab. imo & plura Salicæ legi attribuerunt, quod moribus francorum inductum erat, Heinec. *Elem. jur. Germ. lib.* 1. §. 301.

Hæc lex Salica diverſa eſt a lege *Gallica*, Lege Salica utebantur franci Orientales, quaque diſpoſitum in feudis, & allode maſculos æque omnes ſuccedere, excluſis fæminis, quæ non vocantur, niſi deficientibus maſculis. Verba vero hujus Legis, quæ ſupra retuli pertinent ad demanium Regis, & bona Coronæ ad differentiam

Digitized by Google

ctc Roſent. *cap. 6. 29. n. 6. Ut Vaſalli intelligant ſe feudum beneficio Domini & primi Acquirentis pactionibus magis, quam Succeſſionibus obtinere*, & Sylvan. *tract. de feud. Recognit. quæſt. XII.* dicam *lib. 3.*

(7) Ut *Succeſſio detur perpetua*, hoc eſt ut ſuccedant legitimi & naturales heredes ſanguinis tantum, non adoptivi, non adrogati I. *f.* 8., I. *f.* 50., II. *f. XI.*, I. *f.* I. §. 4., quia Dominus eligit ſibi fidum Vaſalli ſanguinem, qui in filiis præſumitur *l.* 10. *D. de Alimen. & lib. legat.*, Ariſtot. *lib.* III. *Politic. cap.* 8. *Conſentaneum eſt ex melioribus ortos eſſe meliores*.

(8) *Libere refutari valeat* II. *f.* 38., II. *f.* 14., II. *f.* 44., Etſi enim Dominum inter, & Vaſallum ultro citroque adſit obligatio, a qua diſcedere ſine cauſſa nequit Vaſallus; tamen contrarium dictitat feudi natura; cum quilibet vel favori, vel juri pro ſe introducto valeat renunciare. Sive renunciatio fiat in manus Domini, ſive in Agnatos; modo tamen hæc refutatio peragatur tempore, aut loco congruo: Nam ſi Dominus velit vel ſponte, vel neceſſitate motus bellum gerere, munire Caſtra, fines ſui regni cuſtodire, aut aliquid agere; tunc Vaſallo negatur jus refutandi, quia præſumitur fraus, cum tempore pacis fructus feudi perceperit, nunc belli velit Dominum deſerere, dicam *lib.* 3.

(9) *Aſcendentes non ſuccedant deſcendentibus* II. *f.* 50. Si enim Mævio feudum conceſſum fuerit, & ſine filiis defuncto, pater ſuus non ſuccedit; hinc filius patris ſui Vaſallos recte dicere poterit eſſe ſuos Vaſallos, ſed non viciſſim, ſicut & paternus, avituſque libertus recte vocatur meus libertus; quia natura-

---

tiam Terræ allodialis. In Regno franciæ ferro, & lege vetitum fuit feminas admittere. Lex vero Gallica vocabat maximum Stirpis ad feudorum ſucceſſionem, & quæ dicitur *jus francorum*, quo franci Occidentales utebantur; Ita Henri. VII. ſucceſſit, *quia paternæ domus major ut primogenitus lege Gallica*, inquit, Albertin., Muſſat. *loc. cit. ubi Oſius*.

Digitized by Google

turalis ratio filios vocat ad debitam Parentum ſucceſſionem *l.* 58. §. 1. *D. de V. S., l.* 7. *D. de Bon. Damnat.* Ceteras rationes dabit *lib.* 11., vid. Camer. *ad cap.* 1. *de Natu Succeſ. feud. lect.* 25, *n.* 57.

(10) *Evictio*; Si Dominus prædium ſub nexu fidei Sabino concedit, illudque fuerit evictum, tenetur vel pecuniam ſolvere, ex qua res æquivalens ematur, vel æquivalentem rem tradere, 11. *f.* 8., modo Vaſallus ignoraverit rem illam alteri eſſe obligatam; ſi enim cognovit, Dominus evictione non tenetur *d. tit.* 8. ubi Andr., & Alvero. *n.* 1., Sonsbec. *P. IX. n.* 33. Weſenbec. *cap.* 8. *n.* 16. dicam *lib.* 3.

(11) Inter Dominum, & Vaſallum *reciproca* debet eſſe *fides* 11. *f.* 6. *Dominus quoque in his omnibus vicem fideli ſuo reddere debet, quod ſi non fecerit, merito cenſebitur maleficus*, & eleganter expreſſit Reſcriptum Caroli V. An. 1526. ad Clementis VII. criminationes (refert Goldaſt. in conſtit. Imperial) *Tenebatur enim veſtra Sanctitas jure feudi tanquam directus illius Dominus potius nos in feudo tueri, quam Invaſoribus aditum dare, aut ſe Socium Invaſionis præſtare. Eodem enim ordine quo tenetur Vaſallus pro feudo Domino ſervire, eodem ordine tenetur Dominus Vaſallum in feudo tueri, & ex quibus Cauſſis Vaſallus feudum amittit, ex iiſdem Cauſſis directa proprietate feudi, illiuſque directo dominio privatur. Eſt enim ipſius feudi natura, ut ultro citroque obligationem pariat, &c.*, Et Robertus Comes Gloverniæ Stephano Regi Anglorum hominium præſtitit, ſub *Conditione Scilicet ſi dignitatem ſuam ſibi reſervaret illibatam, ſecundum illud antiquum proverbium: quamdiu habebis me pro Senatore, & ego te pro Imperatore*, refert Matth. Pariſ. *ad an.* 1136.

Accidens feudi eſt pactum, quod extrinſecus Clientelæ Inveſtituris apponitur, variumque eſſe poteſt ex diverſa Inveſtientis voluntate, & Vaſalli, & Populorum moribus; neque tamen ſubintelligitur, niſi exprimatur, puta ſi dictum ſit, Vaſallum obligari uxorem Domini ad Eccleſiam comitari 11. *f.* 2. §. *fin.* aut ſi fæminis permittatur Succeſſio, vel feudum ſit francum *d.* §. *fin.*, Struv. *S. J. F. cap.* 11. *A.* 9., Beck. *diſſert. de feud. fæmin.* §. *XI.* Exemplum affert Zaſi. *P. XII. n.* 10. *Sic Nobiles de Masmunſter feudum habent, ut hoſtilitatis tempore Claves ad oppidum Enslheim, tanquam ad Cameram Archiducalem in*

exte-

Digitized by Google

exterioribus provinciis retineant, portas claudant, & aperiant; ſic alii Nobiles in Principis adventu menſam parare adſtricti ſunt, alii cibos ferre, alii pręcedere, alii ſubſequi.

In iis quæ ſunt de feudi natura, hæc juris Regula adeſt, ea mutari poſſe privatorum pactis, aut moribus, quin feudi ſubſtantia lædatur; Accidens eſſe, & abeſſe poteſt, illæſo remanente feudo. Sicut ceræ forma mutatur fictione, etſi eadem maneat Maſſa, ut eleganter Ovid. *lib. XV.* Metamorph. *v. 169.*

Utque novis fragilis ſignatur cera figuris,
Nec maneat, ut fuerat, nec formas ſervat eaſdem,
Sed tamen ipſa eadem eſt.

CAP.

Digitized by Google

C A P. X.

DE AFFINITATE, ET DISSIMILITUDINE FEUDORUM.

§. LIII.

De ſimilitudine feudi cum aliis Contractibus.

FEudalis Conventio plurimum nonnullis Contractibus, quos jus Romanum, & Barbarorum mores invenerunt, conſonat, ut ſunt *Emphytheuſis*, *ſuperficies*, *locatio*, *uſusfructus*, *precaria*, *libellus*, in quibus utile transfertur Dominium. Emphytheuſis vetuſtiſſima conventio eſt, qua agri ſteriles, atque inculti, in perpetuum alicui locabantur, ut labore, cultura, & ſumptu, colendo, arando, ſerendo, plantando, meliores, cultioreſque redderent, ſub lege ſolvendi vectigal ſeu penſionem. Poſtea etiam agri culti locari ceperunt, *tot. tit. C. de jur. Emphytheut.* ubi Leonin., conf. Wilenbac. *ad tit. D. Si ager Vectig. th.* 30. Noodt *ad tit. D. Locat.* Et (1) convenit cum feudo, quia in ea utile transfertur dominium, nec ſine Cauſſa a directo Domino poteſt privari, ſi ſolvitur penſio, ſicut & feudo non cadit Vaſallus ſine juſta Cauſſa *l.* 2. *C. de jur. Emphyth.*, 1. *f.* 22. (2) Emphytheuta ſuo prædio adquirere poteſt ſervitutem, ita & Vaſſus ſuo feudo 11. *f.* 8. §. *quid ergo*, Jul. Clar. §. *Emphytheuſis quæſt.* 21. devoluto tamen feudo, & Emphytheuſi, ceſſat ſervitus. Reſoluto enim jure dantis, reſolvitur jus accipientis *l.* 2. *C. Si Pigno.* 1. *f.* 13. *l.* 3. *C. eo.* dicam *lib.* 4. *tit. de V. S.* (3) Emphytheuta, & Vaſallus cadunt jure ſuo ſi prædium, inſalutato Domino, vendunt, 11. *f.* 55. §. 2. 1. *f.* 5. §. 2. 1. *f.* 13. & 18. §. 2., Hotom. *diſp. feud. cap.* 35.

Superficies eſt id quod ſolo inædificatum eſt; Superficiarius eſt, qui in ſolo, vel area conducta ædificium conſtruit, habet vel in perpetuum, vel ad longum tempus ſub penſione, quam Varro vocat *locarium*, quia datur ab eo, qui conduxit locum Cuja.

Cuja. XIV. *Obſer.* 1. Hic contractus antiquiſſimus eſt; exempla duo affert Juſtinus *lib. XVIII. Hiſt.* de Eliſa loquens, inquit, *Itaque conſenſientibus omnibus Carthago conditur, ſtatuto annuo vectigali pro ſolo urbis.* Et lib. XIX. *Iis ducibus Sardiniæ bellum illatum adverſus Afros quoque Vectigal pro ſolo urbis multorum annorum repetentes dimicatum.* Affinis eſt feudo, quia in utroque utile reperitur dominum, ambobus imponi poteſt ſervitus; ſuperficiarius, ſicut vaſallus actione in rem, vindicatione ſervitutum ſuperficiei, & feudo debitarum, interdicto uti poſſidetis uti poſſunt, *tot. tit. D. de ſuperfic.* dicam *lib.* IV.

Locatio, ſed ad longum tempus, hoc eſt ad decem annos, vel ultra; ſi eſt ad 30. an. vocatur in perpetuum; ſi eſt ad novem annos appellatur *modica*. In hoc contractu utile transfertur dominum, eſt actio in rem, conſiſtit in iis rebus, quarum uſus habetur ut in feudo eſt, *l.* 1. *D. ſi Ager vectiq.*, *l.* 1. §. 3. *D. de ſuperfic.*

Uſusfructus eſt *jus utendi fruendi rebus alienis, ſalva rerum ſubſtantia l.* 1. *D. de Uſufr.* Donatus in Prolog. Terent. v. 5. *Utimur fructibus rei, quæ ab amantibus, Salvo uſu, nobis ſubminiſtratur. Abutimur, quando deperdimus & rem, & fructum.* Quid *uti*, quid *frui* ſignificet, vid. S. Aug. *lib.* 1. *de Doctr. Chriſt. cap.* 3. Cum feudo concurrit (1) ſicut fructuarius agrum, in quo habet uſumfructum, nequit pignori dare, ita & Vaſallus ſuum feudum *l. 6. C. de Uſufr.* 11. *f.* 8. §. *ul.*, quamvis fructum perceptio, quæ eſt facti, vendi, locari, atque oppignorari valeat *l.* 27. §. 11. *D. ad leg. Jul. de Adult.* (2) fructuarius, & Cliens meliorem fundi conditionem, non deteriorem facere debent, ſecus non eſt uti, ſed abuti *l.* 13. §. 4. *D. de Uſufr.*, 11. *f.* 8. §. 2. conf. Noodt *de Uſufr. lib.* 1. *cap.* 5. (3) fructuarius, & Vaſallus poſſident naturaliter *l.* 12. *D. de Adquir. Poſſeſ.* 11. *f.* 8. §. *ult.* (4) fructuarius, & Vaſallus poſſunt de perceptis fructibus, ut lubet, diſponere, quia aliud eſt fructus, aliud uſusfructus, primum indicat rem corporalem; ſecundum jus perſonæ inhærens, Sichard. *ad l. 6. C. de Uſufr.*

Precaria eſt *Ceſſio uſusfructus in remunerationem facta ei, qui bona ſua donavit Eccleſiæ*, inquit, Ciron. *parat. decret. de Precar.* Cuja. *in lib.* 1. *f.* 5. Et duplici modo fieri poterat, vel quis bona ſua Eccleſiæ offerebat, eamque rogaret, ut iis, quamdiu

diu vixiſſet, uti frui liceret, Marculf. *lib.* II. *form. cap.* 5., lex Alemann. *tit.* II., Bajuvar. *cap.* I. *tit.* I. Qui contractus *precaria* dicebatur, quia ad Preces contrahentis concedi ſolebat, Concil. Toletan. *6. can.* 5., vocabant quoque *beneficium* quum a liberalitate Eccleſiæ videbatur hujuſmodi precaria accepta, & quia *beneficiare* idem eſt, ac *infeodare*, ſeu feodo aliquem afficere, late Angel. Godin. *ad can.* X. *Concil. Rotbomag. An.* 1048. (*n*) Vel Epiſcopus ad preces alicujus bona ſuæ Eccleſiæ largiebatur, hac lege, ut eo defuncto, redirent ad Eccleſiam, quod Epiſcopus facile aſſentiebat cum ut eluderet legem alienationem bonorum Eccleſiæ vetantem, tum ut pauperibus ſuccurreret, Boehm. *ad tit. decr. de Precar.*, vid. Bigno. ad Marculf., hinc recte Tertull. adver. Hermog. *Tribus modis aliena ſumuntur, jure, beneficio, impetu, ideſt dominio, precario, vi.*

Precaria magnopere affinis eſt feudo; (1) tam qui precariam habet, quam qui feudum, deſtituitur *pontificio*, ideſt (ut loquitur Marculf. & Agell.) *auctoritate* eam alienandi; (2) uterque contractus conſiſtit proprie in rebus immobilibus; (3) precaria, & feudum ad tempus uſque vitæ dabatur, vel brevi 1. *f.* 1., (4) in precaria, & feudo transfertur tantum uſusfru-

Z

(*n*) Origo hujus contractus a nonnullis ævo Clodovei petitur, qui ob inſignem de Alemannis adquiſitam victoriam ad Tolbiacum, quoſdam recenter ad fidem converſos, res ſuas Eccleſiæ donaſſe, & rurſus ab eadem in modum beneficii recepiſſe ad vitæ tempus ſub annua penſione, neque filii, heredeſve ejus hujuſmodi donata vindicare poterant, unde feuda *oblata* dum magna religionis vi quiſque bona ſua Eccleſiis offerebat, deinde jure feudi reciperet, P. Grego. *Synt.* 23. *cap.* 2. *n.* 5. Aliis arridet, ex invaſione bonorum Eccleſiæ ortum eſſe dum laici bona ejus rapiebant, & viſum eſt iis relinquere ſub iis conditionibus, ut melius, æquiuſque videbatur. Quicquid ſit in his precariis etiam Principum conſenſus interveniebat *can.* 44. 12. *q.* 2., & de luſtro ad luſtrum renovatio erat *oap.* 1. *de Preca.* Ratio Redditur a Joan. Fileſac. *opuſc. de Eccleſ. Gallica. querel. Ne bona hęc Eccleſiæ in perpetuum alienata videantur, & poſſeſſores illorum proprii haberentur.*

fructus, proinde precaria dici poteſt *datio in uſumfructum l.* 14. §. 5. *C. de SS. Eccl.*

Libellus eſt contractus, quo ſub vili dᴏnariorum penſione, ſeu cenſu rem aliquam alteri vel perpetuo, vel ad certum tempus renovando contractu, utendam quis concedit, interveniente Scriptura brevi, unde nomen *libellus*, quia hujuſmodi agrorum vel Eccleſiæ, vel Privatorum Conceſſiones ſcribebantur, Abbas de Nuce *ad Leon. Oſtien. lib.* 1. *cap.* 18. *Hinc tenere per libellum, facere libellum dare ad libellum, vel libellum concedere*, Cuja. *in tit. C. de jur. Emphyth.* vid. Dufreſ. *in Gloſ. h. v.* Connan. 7. *Commen. jur. Civil.* 12. *n.* 12. putat hunc contractum ita appellatum eſſe, quia ſub vili penſione, hoc eſt numo, quem *libellam* Romani dixerunt, celebratur. Differt ab Emphytheuſi, quia libellaria ſtaṭis temporibus, data pecunia, renovari ſolebat, Sirmund. *ad cap. RR. franco. to.* 11. *cap.* 10. *p.* 241. Plurima extant exempla apud Greg. M. in epiſt., & Leonem Oſtienſem. Duo afferam. Leo. Oſtien. *lib.* 1. *Chron. cap.* 18. *Hic Abbas fecit libellum quibuſdam hominibus de Tremule de omnibus rebus Sancti Benedicti, quas ibi poſſidebamus pro cenſu XIV. ſolidorum, & medietate unius paſtionis*, S. Grego. *lib.* 11. *ep.* 1. *indict. X. edit.* PP. S. Mauri, *ſed & terrulam Eccleſiæ noſtræ vicinam ſibi, quam ſolidum unum, & tremiſſes duos penſitare aſſerunt, ſi ita eſt, libellario nomine ad ſummam tremiſſis unius habere concede*. Sæpe non pecunia, ſed vinum, aut oleum, vel piſces pro penſione ſolvebatur, Leo. Oſtien. *lib. cap.* 50.

Hic contractus eſt vera alienatio, quippe feudiſta *in* 11. *f.* 9. prohibet dari feudum ad libellum; & concedi ſolebat, ut de Coloni Stirpe non exiret, ideo vetatur dare feudum in libellum Eccleſiæ, quia ea nunquam moritur 1. *f.* 13. denique omnis affinitas quæ eſt emphytheuſim inter, & feudum, eadem eſt inter libellariam conventionem.

§. LIV.

§. LIV.

De ſimilitudine feudi cum Eccleſiaſticis Beneficiis, aliiſquo negotiis.

VEtuſta ab ævo uſque Apoſtolorum conſuetudine, & jure ſcripto inductum eſt, eos, qui templo Dei ſacra, & miniſteria gererent, ex oblationibus fidelium, decimis, & ſportulis vitam vivere; hinc D. Ciprian. *Epiſt.* 34. Clericos appellat *fratres ſportulantes*, & ſportulas dicit *menſurnas diviſiones.* Omnis tamen proventuum Eccleſiæ diſpenſatio, acta etiam bonorum ſeculo 4. partitione, penes Epiſcopos erat. Seculo autem quinto beneficiorum jacta ſunt fundamenta, quæ jure uſufructuario, *ſalvo jure Eccleſiæ*, ut loquitur Concil. Agath. *can.* 7. *an.* 50., Clericis conceſſa ſunt. Hinc orta eſt vox *beneficii*, quo agri, & prædia Clericis benemeritis dabantur, deinde dicta *præbenda*, quia pro modo, & menſura præberetur portio fructuum Eccleſiæ; quæ vox ævo Caroli M. nata videtur, Ciro. *in parat. decret. de præben.* Nata. Alex. *H. E. ſeculo 6. Synop. cap.* 11. *art.* 1. Thomaſi. *de V. & N. E. D. P. III. lib.* 11. *cap.* 16. *n.* 2.

Inventis enim feudis, ſicut laici Principes viris domi, militiæque Claris prædia, latifundia uſufructuario jure ſub fidei nexu donabant, ita exemplo eorum, Epiſcopi, & Pontifices agros, vineolas, terrulas, & poſſeſſiones Eccleſiæ Clericis tanquam Eccleſiæ Militibus impertiebantur, quas *beneficia* dixerunt, quæ apud Auguſtæ Hiſtoriæ ſcriptores erant prædia ab Hoſtibus capta, & ab Imperatore Ducibus, Militibuſque conceſſa, ut militare pro Republica ſervitium præſtarent, *tot. tit. C. de fund. limitroph.* Hygin. *de Limit. Agror.*, vid. Alteſer. *Rer. Aquitan. lib.* 3. *cap.* 1. Apud mediæ ætatis populos indicat prædium *fiſcale* quod Regis liberalitate quis jure feudi habet, Duaren. *de Sacris lib.* 11. *cap.* 3., Gebaver. *de orig. feud.* §. 6.

Hujuſmodi beneficia Clericis conceſſa conveniunt (1) cum feudis; olim ſicut Eccleſiaſtica beneficia erant in poteſtate, & nutu Epiſcopi revocandi. *Necdum ergo fixa, & ſtabilis erat ea inſtitutio, non perpetua ulla, & irrevocabilis conceſſio, inoleſcebat con-*

ſuetudo necdum convaleſcere potuerat. Mortales exuvias corporis exeunte beneficiario, fundos recuperabat Eccleſiæ ſuæ Epiſcopus, poteratque uſque retinere, nec præterea in Succeſſores ullos traducere, inquit, Thomaſin. *loc. cit. n.* 5. Sic etiam erat primæva feudorum conditio 1. *f.* 1. Struv. *S. J. F. cap. XV. A.* 1. *n.* 1. (2) beneficia jure uſufructuario ad vitam, non ſtatim, ſed lapſu temporis dabantur, neque beneficiarius alienare poterat, ut de feudis etiam dicitur *in d.* 1. *f.* 1. (3) beneficia olim nutu Epiſcopi revocabantur, ita & feuda, quæ deinceps ambo, niſi juſtis ex Cauſſis viſum eſt non poſſe revocari Concil. Aurelia. III. *can.* 17., 1. *f.* 7. 21. *&* 22. Roſent. *cap. X. I.* (4) Sicut Eccleſiaſtica beneficia jure ſanguinis tam veteri, quam novo jure non poſſidentur, ita in feudis olim non dabatur Succeſſio, quam deinceps adquiſiverunt 1. *f.* 1. (5) beneficia dantur iis, qui poſſunt divinis Eccleſiæ miniſteriis vocare, cum beneficium concedatur propter officium, feuda nemo poteſt obtinere, niſi qui militare valeat præſtare ſervitium, etſi indulgentia Inveſtientis aliter ſtatui poſſit, *cap. fin. de Reſcrip. in 6.*

Antiquitus beneficia ſimul cum ordine dabantur, poſtea ab eo ſeparari ceperunt, atque orta fuit *inſtitutio, & miſſio in poſſeſſionem*. Nam peracta collativa Inſtitutione, faciunda eſt Miſſio in poſſeſſionem prædii, aut juris in beneficium dati. Ita & Dominus directus poſtquam abuſivam fecerit inveſtituram, quæ comparatur Inſtitutioni auctorizabili, juramentum fidelitatis, ceteraque receperit, cogitur Vaſallum realiter inveſtire, ſeu in feudi poſſeſſionem mittere, Cuja. *ad cap.* 22. *de Præben.*, Ciron. *in Parat. decret. de Inſtit.*, Gudelin. *de feud. P. II. c.* 9. P. Greg. Synt. XVII. *cap.* 16.. 11. *f.* 7. §. 1. 11. *f.* 2[illegible] §. *ſi facta*, dicam *lib.* III. Denique nec Vaſallus, nec beneficiarius poſſunt deteriorem facere beneficii, & feudi conditionem. Ex quibus patet naturam beneficiorum conditam eſſe ad exemplum Clientelaris poſſeſſionis.

Quoniam in recenſitis conventionibus plurimæ apparent cum feudis affinitates, recta ratio docet ab una ad aliam valere argumentum, puta ab Emphytheuſi, precaria, uſufructu, libellarica, beneficiis ad feudum. At quia non una eſt feudi proprietas, ideo ad alia extendi valet, ſcil. ad fideicommiſſa, majoratus, juſpatro; primogenituram, & Regnum, donec eadem reluceat ratio, Stuv. *Obſer. cap.* 3. §. 9. *& ſeqq.* fideicommiſſa agnatitia iiſdem

dem fere regulis ſi de Succeſſione agitur, procedunt ac feuda, ſicut majoratus, juſpatronatus, & regna uſufructuaria. Regnum enim patrimoniale regitur uti allodium, & alienari poteſt, Groti. *de Jur. Bel. & Pac. lib.* 3. *cap.* 20. *n.* 5.

Feudalis quoque Clientela affinis eſt juripatronatus Romanorum: Nam Libertus ob libertatis beneficium debet præſtare Patrono operas *officiales*, etſi tempore manumiſſionis non fuerint promiſſæ, ut ſunt honor, obſequium, & reverentia, non agere cum eo actione famoſa, non vocare in jus ſine venia Prætoris, non teſtari de Cauſſa criminali, aut civili *l.* 6. *C. de Obſeq. Patr. præſt.*, *l.* 2. §. 5. *D. de Obſeq. Parent. l.* 1. §. 1. *D. de in jus vocand.* Hæc eadem Seniori ſuo Vaſſus exhibere debet II. *f.* 33. §. 1., II. *f.* 2., Cuja., & Alvero. *ad d.* §. 1., Sichard. *ad tit. C. de Obſeq. libert.* Libertus præſtat operas ſuis ſumptibus, non Patroni, *l.* 18. *D. de Oper. Libert.*, ita Vaſallus, niſi aliter Regionis jubeat Conſuetudo, ſicut in Saxonia Vaſſi ſerviunt Dominorum expenſis, modo feudum fuerit magnum Scrad. II. *P. IX. ſect.* 4. *n.* 28., *& P. VI. ſect.* 6. *n.* 15. Roſent. *cap.* 8. 24. *n.* 3., vid. Cuja. *ad l.* 16. *D. eo.* Alias relinquo analogias; & recte Sichard. *ad tit. C. de Oper. Libert. n.* 2. *Præterea hodie Vaſalli, vel feudatarii noſtri habentur pro libertis ..... Ideo quod jus antiquum ſtatuit circa operas libertorum, quomodo, & qualiter præſtare debeant operas patronis ſuis: hoc idem obtinebit etiam locum hodie circa Vaſallos.*

§. LV.

§. LV.

De Diſſimilitudine feudi cum recenſitis Contractibus.

ACtum ſupra eſt de ſimilitudine feudi, nunc videndum in quibuſnam differat. Et quidem differt ab Emphytheuſi; quia feudum conceditur militibus, qui fidei Sacramentum, & militare ſervitium præſtant 11. *f.* 23. *in fin.* 1. *f.* 21. ſucceditur jure ſanguinis, ideſt feudalis ſucceſſio eſt *gentilitia*, mares, & non fæminæ admittuntur, clericus, vel monachus divinis jam contemplationibus mancipati feudo cadunt; pluribus cauſſis amittitur feudum, 1. *f.* 1. §. 2., Hotom. *Diſput. feud.* 35., Leonin. *ad tit. C. de jur. Emphyth.* Atque hæc in Emphytheuſi non reperiuntur.

Eadem juris ratio videtur in contractu ſuperficiario, qui nec hominium, nec militarem operam; nec feudum vendi, donari, aut locari poteſt; ſicut jus ſuperficiarium *l.* 7. *D. de Supesfic.*, Cuja. *ad tit. D. Si ager Vectigal.* Nec in feudo ſolvitur penſio, ſecus eſſet pſeudofeudum, quia feudum magis adhæret perſonis, quam patrimonio, ſeu prædio feudali, & Vaſſus inſtar Liberti ſæpe perſonale obſequium præſtat Domino, Sichard. *ad tit. C. de jur. Emphyth. n.* 36. *&* 37. recte Giphan. *ad l.* 12. *n.* 12. *D. ad Adqui. Poſſeſſ. n.* 12. *Certe in feudo Dominus, ſive Patronus nihil fere juris habet, tantum præſtatur ei aliquod hominium, & reverentia, quæ eſt perſonæ potius, quam rei.*

Differt ad uſufructu, qui is ſola conceſſione conſtituitur; feudum adquiritur Inveſtitura quæ eſt proprius modus adquirendi, & Succeſſione, quæ plerumque in uſufructu non reperitur, etſi heredis mentio facta fuerit, quæ de primo, non ulteriori herede intelligitur, quia uſufructus eſt jus Conſiſtens in facto perſonæ, qua ſublata, tolli & ipſum neceſſe eſt, Salvian. *lib.* 3. *Adver. Avarit. Uſum rerum habentem, jus rerum non habentem, quaſi locupletem quidem vivere, ſed quaſi mendicum mori.* Nec mentio heredis inducit Succeſſionem, quia rei, de qua agitur natura adverſatur, & diſſentit, quum uſufructus ſit jus perſonæ inhærens *l.* 70. *l.* 227. §. 1. *D. de V. S. l.* 1. *D. de Vulg. l.* 14. *C. de Uſufr.* feudum

dum vero etſi ſit uſufructus, tamen differt ab uſufructu, de quo jus Romanum, aliæque loquuntur leges, ut in Hiſt. *cap.* 1. §. 1. dictum eſt, feudalis uſusfructus, pacto fieri poteſt, ut ad Succeſſorem in infinitum tranſeat, modo addatur lex fidei, ſervitii, atque hominii, atque ita uon redditur inutilis proprietas, ſemper feudali uſufructu abſcedente. Imo moribus Gentium, qui pauci non ſunt, heres Vaſalli ſolvit Domino integrum reditum illius anni, quo in Clientelam ejus ſe commendat. Quæ Quantitas *relevium* dicitur præcipue in Regno Neap., nam *relevare* feudum nihil aliud eſt, quam feudum caducum morte Vaſalli in Senioris jus relapſum, illius conſenſu, ſoluta certa pecunia, adire, Dufr. *in Gloſ. hac voce*, Cuja. *in præfat. feudo*.

Nec fructuarius mutare formam ædium, aut aliquid in area ædificare valet *l.* 13. §. 7. *D. de Uſufr.*, Vaſſus poteſt ædificia conſtruere, meliores ſui feudi tractus reddere 11. *f.* 8. §. 2., 11. *f.* 28. §. *ſi Vaſallus*; nec fructuarius obſequium, aut hominium ſuo Domino exhibet, ſed vaſſum inter & Dominum benevola adeſt fidei neceſſitudo, & veneratio 11. *f.* 28. §. *Domino*; nec fructuarius poteſt prædio ſervitutem imponere, etſi proprietarii adſit conſenſus *l.* 15. §. *fin. de Uſufr.* vaſſallus poteſt, 11. *f.* 8. §. *quid ergo*, Hotoman, *diſput. feud. cap.* 34. (*n*)

Diſ-

(*n*) Mirum prorſus eſt, quod Uulpian. *in l.* 17. §. *ul. D. de Uſufr.*, inquit, *Proprietatis Dominus nequidem conſenſiente fructuario ſervitutem imponere poteſt*. Negat Ictus poſſe fructuarium imponere ſervitutem prædio jure uſusfructus dato etſi proprietatis Dominus conſenſiat. Ultro fatentur omnes rationem, hujus diſpoſitionis deſperatam omnino eſſe, & conjecturis nixi varia commenti ſunt, Donel. *X. Commen. XI.* putat, quia ſervitus eſt ſpecies elienationis, & qui alienare non poteſt, neque alienanti conſentire valet *l.* 165. *D. de R. S.* Male: applicatio enim regulæ ſcita non eſt; hic enim non agitur de ſervitute fundo debita alienanda, ſed de ſervitute fundo uſufructuario imponenda. Noodt *lib.* 1. *de Uſufr. cap.* 15. tenet, quia non habet plenam proprietatem fructuarius, nihilque facit ejus conſenſus. Jac. Gotofr. *Animadverſ. jur. Civil. cap.* 5. inquit, quia ſervitus eſt jus reale, ita & perpetuum ſua natura onus eſt, & proinde conſenſus fructuarii nihil agit, qui jus per-

Digitized by Google

Diſſentit a Precaria, cujus origo, uti nonnultis viſum eſt fuit invaſio Laicorum, qui bona Eccleſiæ uſurpabant; feudales autem natales ſunt militia; nec in precaria fides, aut hominium præſtatur; nec penſio precariæ invenitur in feudo, nec requirit clientela renovationem de quinquennio in quinquennium; nec in precaria admittitur ſucceſſio; ſed feuda jure novo ſucceſſionem agnoſcunt, 1. *f.* 1. Quæ differentiæ etiam de Libellatica prædicantur. Recte Salmaſi. *De mutuo*, inquit, *Conſtat ad Emphytheuſeos exemplar formata fuiſſe, & ab Emphytheuſi Originem duxiſſe omnia illa contractum genera, quæ barbarico ſeculo imperii partim in Eccleſiam introducta ſunt, partim in vitam civilem, precariarum, libellariarum, cenſuum, redituum. Etenim feuda ipſa inde traxerunt nomen fortaſſe an cum re ſuum. Nam* ἐμφυτεύσεις *ab* ἔμφυτον, *& ſimplex* φυτὸν, *unde feudum barbari fecerunt.* Hæc tamen Etymologia displicet Ludewig. ut dicam *lib.* 4. *tit de V. S.*

LIB. I.

---

perpetuarium in fundo non habet; Fatetur tamen duram eſſe legem, & emolliri poſſe, ſi dicatur fructuarium vel ſolum, vel cum Proprietario ſervitutem imponere, quæ magis perſonalis ſit, quam realis, aliterque hodie judicandum. Et quidem Vaſallus poteſt imponere ſervitutem feudo, ita tamen, ut aperto vel felonia, vel lineæ interitu poſtea feudo, pereat & ipſa 11. *f.* 8. §. 2. vid. Hotom. *ad d.* 11. *f.* 8. §. 3. Alias theſes refert Oſvald. *ad Donel. loc. cit.* & Gotofr. *loc. cit.* cujus mihi præ ceteris opinio arridet, & Joan. Stekius *vindicat. leg. Anticrit. cap.* 5.

Digitized by Google

LIBER PRIMUS
FEUDALIS JURISPRUDENTIÆ

TIT. I.
DE JURE PERSONARUM.
§. I.
De Diviſione perſonarum.

HActenus de ſeudorum definitione tam nominis, quam rei, origine, diviſione, ſubſtantia, natura, atque accidente, ſimilitudine, & differentia cum reliquis conventionibus; ad rem ipſam propius accedere neceſſe eſt, & principio, duce Triboniano, triplici aſpectu ſeudalem perpendimus materiam, videlicet circa *perſonas*, *res*, atque *Actiones*. Omne enim jus, quo quiſque in Societate uti valet, vel perſonas, vel res, vel actiones reſpicit; primum itaque de Perſonis agendum, quas in tres claſſes diſtribuo, primam appello *juris naturę*, ſecundam *juris gentium*, tertiam *juris barbarici*.

Summa, & vetuſtiſſima perſonarum diviſio *jure Naturali* eſt in

in *Laicos*, & *Clericos*. Statim enim ac Homines naturæ viribus, & vi intus monſtrata Dei Majeſtatem, & perfectiones agnoverunt, neceſſitas loca, tempora, & Miniſtros conſtituendi eos coegit, qui Sacrificia, oblationes, & primitias aſſidue divinitati offerrent, Cornel. Bertram. *de Republ. Hebræo. cap.* 2. *& ſeqq.*, & patet ex Sacro Amanuenſi Geneſeos. Hujuſmodi perſonas divinum oraculum appellat *Levitas*, & *Clericos*, quos Imp. Conſtantinus in *l.* 2. *C. Th. de Epiſcop. Eccl. & Cler.* definit, *qui divino cultui miniſteria Religionis impendunt*. Laici vero ſunt *βιωτικοὶ Seculares*, quia temporalia, & ſeculi adminiſtrant, atque agunt negotia. Hanc Perſonarum diviſionem a nonnullis perperam repudiatam Eccleſia excepit Bingha. *O. E. lib.* 1. *cap.* 5. §. 1. *& ſeqq.*

Secunda diviſio Perſonarum *jure Gentium* eſt in *Liberos*, & *Servos*. Etenim poſtquam Homines dominia, Civitates, provincias, oppida, Pagos, conciliabula, & Regna ſibi conſtituerint, ad ea a Vicinorum injuriis, & incurſionibus defendenda, armis indiguere; Hinc orta bella, ex quibus ſponte ſua *Servitus*, ſeu Poteſtas in victum populum fluere cepit; & Libertas jure naturæ Hominibus conceſſa extingui viſa eſt. Nam libertas vocatur facultas, quam quiſque naturæ beneficio impetravit, agendi quicquid lubet intra tamen naturalis rationis limites; in ſtatu autem ſocietatis eſt poteſtas vivendi ut velis, niſi vi, ut jure prohibeatur *l.* 4. *D. de Stat. Homi.*, Cicer. in *Paradox.* Servitus eſt Inventio juris gentium ex bello, & voluntate deſcendens; hinc ſervus dictus, qui alieno ſubjacet, & dominio, & poteſtati. Hac ſervitute non modo veteres Nationes ante R. Imperii declinationem uſæ ſunt, ſed & ruente Monarchia, Barbarorum inſtituta retinuerunt nempe Gothi, Wiſigothi, omneſque Germaniæ Populi, & Longobardi in Italia ut ex 11. *f.* 13. conſtat, & infra dicam. Immo & Eccleſia in Imperio nata huic ſervituti nunquam ſe oppoſuit, quæ ad ſeculum uſque XIII. & XIV. duravit, Bodin. *de Republ. lib.* 1. *cap.* 5., Mornac. *ad l.* 75. *D. de Uſufr.* Gudelin. *de jure noviſ. lib.* 1. *cap.* 6. Connan. *Commen. jur. Civil. lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 3., Madris. *in not. ad D. Paulin. Patriar. Aquil.* in Append. *veter. monum. XXVI. XXVII.* vid. Johan. Angeli. I. C. Werdenhagen *de Rebus public. Hanſeati. tract.* 11. *cap.* 5. *& ſeqq.*

Tertia Perſonarum diviſio *jure barbarico* eſt in *Allodialem*, & *feudalem*.

Digitized by Google

dalem. Allodialem voco perſonam, cui bona ſua jure optumo, maxumo ideſt ab omni onere libera ſunt, videlicet nexu fidelitatis, jurejurando, inveſtitura, relevio, adoha, etſi quæ ſunt feudorum munera. Inventis tamen clientelarum Poſſeſſionibus, quiſque bona retinere cepit ſub aliquo onere vel ab eſſentia feudorum, vel natura, vel accidente exorto. Feudalis itaque perſona eſt, quæ bona poſſidet non jure proprietatis, non jure quiritum, ſed uſufructuario ſimul cum fidelitatis nexu & ſervitio inſtar prædii ſtipendiarii. Etſi hæc perſonarum inſpectio impropria videatur.

Perſona feudalis ſubdividitur in quatuor claſſes; *in Capitaneos, Regis Valvaſores, Minores Valvaſores, & Valvaſinos*, ut jure Longobardico receptum eſt *in* 11. *f.* 10., 1. *f.* 14., 1. *f.* 1. *in fin.* ubi Cujac., Struv. *S. J. F. cap.* 3. *A.* 5. 3., Zaſi. *P.* 5. *n.* 14., Sonsbec. *P.* 6. *n.* 13., Weſenbec. de feudis *cap.* 4. *n.* 3., Giphan. *tract. jur. feudal. cap.* 6. *n. n.* 24. Generaliter *Capitanei* appellantur Comites, Duces, Marchiones, quos non raro jus feudale dicit *regni Capitaneos*, quia regni Longobardici in Italia erant uti capita, & Proceres. Regis *Valvaſores* erant, qui ab his Regni Capitaneis ſcilicet Duce, Comite, & Marchione de aliqua eorum feudi parte inveſtiebantur. Moribus enim apud Longobardos in Italia inductum fuit, Vaſallis jus eſſe alios de ſuis feudis inveſtiendi, ſibique *Vaſſos* adquirendi, qui non raro *Dominici* dicuntur, quo jure franci & utebantur. *In Capp. RR. Francorum* Vaſſus Dominicus diſtinguitur a Vaſſo Regis, Vaſſus Dominicus eſt, qui ſub ſe alios habet Vaſſos, Vaſſus Regis eſt, qui immediate ſubiicitur Regi, a quo feudum cognoſcit, Cap. Caroli M. An. DCCCI. *cap.* 18., & An. DCCCIX. *cap.* 9. *edit. Balut. Ut Latrones de infra emunitatem illi judices ad Comitum placita præſentent. Et qui hoc non fecerit, beneficium, & honorem perdat. Et qui beneficium non habuerit, bannum ſolvat. Similiter & Vaſſi noſtri, ſi hoc non adimpleverint, beneficium, & honorem perdant*, ubi duo Vaſſi diſtinguuntur, unus tenet feudum a Rege, alter ab alio.

Minor Valvaſor, ſeu *ſimpliciter Valvaſor*, eſt qui inveſtituram habet a Regis Valvaſore de feudo. Denique Valvaſinus, minimus Valvaſor eſt, qui a minore Valvaſore feudum recognoſcit, quod Ruſticum dici poteſt, proprieque feudum non eſt, feudiſta in 1. *f.* 1. *Notandum eſt autem, quod illud beneficium, quod a Regis capitaneis vel regni Valvaſoribus aliis impenditur, proprie jure feudi*

cenſetur. Illud vero, quod a minoribus in alios transfertur, non jure feudi judicatur. (licet aliter in Curia mediolanenſi obſervatur) ſed quando volverint, recte auferre queunt: niſi Romam cum illis in exercitum perrexerint: quo caſu in jus feudi tranſit, (& adjudicatur) vel niſi aliquid propter feudum acceperint: tunc enim niſi reſtituto pretio auferre non poſſuut.

Textus duo nobis exhibet, (1) feudum, quod Regni Valvares concedunt, eſſe proprium ideſt perpetuum, ad heredes tranſire, nec ſine cauſſa revocari; (2) feudum a minoribus Valvaſoribus datum, non eſſe proprium feudum, non perfectum, hoc eſt ad heredes non tranſire, & uti libet, poſſe revocari. Tres tamen in jure feudali reperiuntur exceptiones, prima eſt, feudum quod minimus Valvaſor poſſidet, in Mediolanenſi Curia eſſe proprium. Longobardi enim, qui Mediolanum obtinuerunt, etiam plebejos, & mechanicorum artium Opifices ad Militiæ Cingulum, & dignitatem invitabant, Ottho Friſigens. *lib.* II. *de Geſt. Frider. cap.* 12. *Tres ſunt ordines in Langobardia, Capitaneorum, Valvaſoris, plebis*. Præſertim ſi hic minimus Valvaſinus ab antiquo in ſua familia illud feudum habuerit, cum vetuſta annorum copia nobilitatem non raro tribuat. Secunda, ſi minimus Valvaſinus, cum Domino Romam in Exercitu iverit, ſeu, uti loquitur textus in I. *f.* 8. *niſi fecerit hoſtem*. Hoſtis pro exercitu ponitur; Si enim minimus Vaſallus Romam pergeret in Imperatoris comitatu ad accipiendam e manibus Pontificis Imperii coronam, hoc jure fruebatur, ut feudum perpetuo obtineret, II. *f.* 54. Tertia eſt, ſi Valvaſinus aliquid pecuniæ dederit, ut de feudo inveſtiretur, tunc feudum nequit ei auferri, niſi reddito pretio, Cuja., Hotoman., & Gotofred. *ad d.* §. *notandum*.

Hæc itaque eſt Vaſallorum Partitio, licet rectius dividi poſſent in tres tantum partes, videlicet Capitaneos, Valvaſores, & Valvaſinos, ſeu infimos Vaſallos. Et ſæpe de Majoribus & minoribus Vaſallis mentio occurrit, ut Conrad. Imp. *in lib.* 3. *LL. Longob. tit.* 8. *l.* 4. *præcipimus, etiam ut cum aliquis miles, ſive de majoribus, ſive de minoribus de hoc ſeculo migraverit, filius ejus beneficium tenere &c.* Hotoman. *II. obſer.* 16. dixi *in prolego. cap.* 7. §. 23., Struv. *Hiſt. jur. feudal.* §. 12. Olim enim feuda Nobilibus tantum, quibus militaris cinguli jus erat, concedebantur, non Plebeis, ſeu, ut inquit Sidoni. *lib.* I. *epiſt.* II.

muni-

Digitized by Google

municipaliter natis. Et in Francia hæc etiam Vaſallorum diviſio ſervata eſt in Regni Capitaneos, Valvaſores, & Plebejos Maiſtre *de Bonis Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 4.

Eccleſia quoque cum feudis, & Latifundiis a Principibus eſſet locupletata, & de Bonis ſuis infeodare cepiſſet, tres Vaſallorum ordines cognovit, *Capitaneos*, *milites*, & *caſatos*. Capitanei erant, qui immediate ab Eccleſia tenebant feudum; Milites qui ſub Capitaneis militabant; caſati erant, qui militibus ſervientes aliquam feudi partem poſſidebant. Hi omnes *Vaſalli* Eccleſiæ, vel Monaſterii, vel Epiſcopi dicebantur, de quibus Capit. Caroli Calui DCCCLXIX. *Et volumus atque jubemus, ut Vaſalli Epiſcoporum, Abbatum, & Abbatiſſarum, atque Comitum, & Vaſſorum noſtrorum talem legem, & juſtitiam apud Seniores ſues habeant ſicut eorum Anteceſſores apud illorum Seniores tempore Anteceſſorum habuerunt*.

Animadvertendum tamen eſt, Vaſallum Caſatum diſtingui a ſervo Caſato. Vaſallus Caſatus erat, qui feudo ad certum ſervitium conceſſo fruebatur, videlicet Comitari Dominum, Domi miniſtrare, & ſimilia. Hinc *Caſare* idem eſt, ac in feudum dare, & *Caſamentum* dicitur feudum, quod a Caſa Dominica dependet Dufres. *in Gloſſar. V. Caſare*. Et quemadmodum Capitaneis, Valvaſoribus & Valvaſinis Regem, atque Imperatorem Domi, militiæque onus erat adjuvandi, ita Capitanei, Milites, & Caſati Eccleſiarum bona, Prælatos, & non raro ipſum Regem tueri tenebantur, Ivo Carnot. *Epiſt. XXVIII.*, Maiſtre *loc. cit.* Ziegl. *de Epiſcop. Milit. cap. XI.* §. 47. (*o*) Servus vero Caſatus

---

(*o*) Omnes hi Vaſalli, dum opus erat, ab Epiſcopis convocabantur, vel ad tuendas Reipubl., vel Religionis partes. Exemplum affert Juret. ad *Ivon. loc. cit.*, *cum omnes Barones, & Epiſcopi vocati ad hunc exercitum conveniſſent ad Medontam, & miſiſſent ad mandatum Regis homines ſuos, prout debebant in expeditionem illam, Aurelianenſis, & Altiſioderenſis Epiſcopi, cum militibus ſuis ad propria ſunt reverſi, dicentes ſe non teneri ire, vel mittere in exercitum, niſi quando Rex ipſe perſonaliter proficiſcitur. Et cum nullo ad hoc privilegio ſe tueri poſſent, generali conſuetudine contra eos faciente, petiit Rex, ut hoc emendarent. Ipſis autem emen-*

Digitized by Google

ſatus dicebatur, qui in villis, & ruralibus prædiis agricultura opus exercebat, a *Caſa* ita dictus, quæ habitationem cum certa terræ quantitate ad familiæ ſuſtentationem ſignificat; vivens tamen ſervili conditione, ut docet vetus Inſcriptio apud Lindenbr. *in Gloſſ. ver. Caſati.*

EX BENEFICIO. S. †. PER.
JOHANNEM. EPISCOPUM. ET.
PER. ALBERTUM. S. †.
CASATUM. FACTUS. EST.
LIBER. LAMBERTUS.
TESTES. HAC. SANCTA.
ECCLESIA.

In Regno Neapolit. a vetuſtis temporibus eadem invaluit Perſonarum Diviſio, nempe ut aliæ eſſent *allodiales*, aliæ *feudales*. Etenim Longobardi, exceptis Urbibus, atque Oppidis, quæ Græco Imperatori parebant, cum in noſtras Provincias feuda induxiſſent, ſtatim prædia, latifundia, & terrarum Regni tractus fidei clientelari, & Vaſſatico ſervitio ſubjecti fuerunt. Hinc alii comites, & Duces propter Civitatum, atque oppidorum Inveſtituras dici ceperunt, quos *Capitaneos* nuncupare merito poſſimus; alii prædia jure privato, ſeu propria poſſidebant, nulli oneri, aut ſervitio obnoxia. At nec qui feuda, nec qui allodia habebant, ejuſdem erant vel dignitatis, vel conditionis, ut conſtat ex Conſtit. *Intentionis lib.* 1. 10. in qua Frid. prohibet arma deferre, & deinde perſonas recenſet, ſicut conditio eorum ſuadebat, *Quiſquis autem poſt hęc, prohibita arma detulerit, ſi quidem Comes fuerit, quinque uncias, Si Baro, quatuor, ſi miles ſimplex, tres.*

---

emendare nolentibus, Rex eorum regalia confiſcavit, ſcilicet ea tantum temporalia, quæ ab eo feudaliter tenebant, decimas, & alia ſpiritualia eis in pace dimittens, & Epiſcopi illi omnes ex fidelitate feudali obligati erant, & ex hac cum militibus ſuis ad Regis convocationem comparere tenebantur. Quod cum renuerent Aurelianenſis, & Altiſiodorenſis, felonia arguebantur, & feudis, quibus a Rege inveſtiti erant privabantur.

tres. Si Burgenſis, duas. Si Ruſticus fuerit, unam unciam fiſco noſtro componat.

Eadem diſtinctio ſervatur in Conſt. *Cultus juſtitiæ lib.* 1. 32. ubi Frider. ſtatuit pænam litigantibus, qui obſequium, & reverentiam judicibus non exhibent, *Si ruſticus fuerit, unum Auguſtalem: ſi Burgenſis, duos: ſi Miles, quatuor: ſi Baro, octo: ſi Comes, ſexdecim Auguſtales Curiæ noſtræ componat.* Ipſamet Perſonarum diverſitas reperitur in Capit. *etſi frequenter* Caroli I., & in Capit. *Prædeceſſorum noſtrorum*. Comes eſt qui de territorio titulo Comitis, Baro qui de feudali caſtro titulo Baroniæ inveſtitus eſt, Miles qui utitur fruitur feudo Conſt. *conſtitutionem D. M. lib.* 3. 5. Burgenſis qui privata poſſidet bona; Ruſticus, qui Homo angarius dicitur, agriculturæ vocat. Nunc de ſingulis Vaſallorum generibus.

TIT. II.

Digitized by Google

ſatus dicebatur, qui in villis, & ruralibus prædiis agriculturæ opus exercebat, a Caſa ita dictus, quæ habitationem cum certa terræ quantitate ad familiæ ſuſtentationem ſignificat; vivens tamen ſervili conditione, ut docet vetus Inſcriptio apud Lindenbr. *in Gloſſ. ver. Caſati*.

EX BENEFICIO. S. †. PER.
JOHANNEM. EPISCOPUM. ET.
PER. ALBERTUM. S. †.
CASATUM. FACTUS. EST.
LIBER. LAMBERTUS.
TESTES. HAC. SANCTA.
ECCLESIA.

In Regno Neapolit. a vetuſtis temporibus eadem invaluit Perſonarum Diviſio, nempe ut aliæ eſſent *allodiales*, aliæ *feudales*. Etenim Longobardi, exceptis Urbibus, atque Oppidis, quæ Græco Imperatori parebant, cum in noſtras Provincias feuda induxiſſent, ſtatim prædia, latifundia, & terrarum Regni tractus fidei clientelari, & Vaſſatico ſervitio ſubjecti fuerunt. Hinc alii comites, & Duces propter Civitatum, atque oppidorum Inveſtituras dici ceperunt, quos *Capitaneos* nuncupare merito poſſimus; alii prædia jure privato, ſeu propria poſſidebant, nulli oneri, aut ſervitio obnoxia. At nec qui feuda, nec qui allodia habebant, ejuſdem erant vel dignitatis, vel conditionis, ut conſtat ex Conſtit. *Intentionis lib.* 1. 10. in qua Frid. prohibet arma deferre, & deinde perſonas recenſet, ſicut conditio eorum ſuadebat, *Quiſquis autem poſt hęc, probibita arma detulerit, ſi quidem Comes fuerit, quinque uncias, Si Baro, quatuor, ſi miles ſimplex,*

tres.

emendare nolentibus, Rex eorum regalia confiſcavit, ſcilicet ea tantum temporalia, quæ ab eo feudaliter tenebant, decimas, & alia ſpiritualia eis in pace dimittens, & Epiſcopi illi omnes ex fidelitate feudali obligati erant, & ex hac cum militibus ſuis ad Regis convocationem comparere tenebantur. Quod cum renuerent Aurelianenſis, & Altiſiodorenſis, feloniæ arguebantur, & feudis, quibus a Rege inveſtiti erant privabantur.

Digitized by Google

tres. Si Burgenſis, duas. Si Ruſticus fuerit, unam unciam fiſco noſtro componat.

Eadem diſtinctio ſervatur in Conſt. *Cultus juſtitiæ lib.* 1. 32. ubi Frider. ſtatuit pænam litigantibus, qui obſequium, & reverentiam judicibus non exhibent, *Si ruſticus fuerit, unum Auguſtalem: ſi Burgenſis, duos: ſi Miles, quatuor: ſi Baro, octo: ſi Comes, ſexdecim Auguſtales Curiæ noſtræ componat*. Ipſamet Perſonarum diverſitas reperitur in Capit. *etſi frequenter* Caroli I., & in Capit. *Prædeceſſorum noſtrorum*. Comes eſt qui de territorio titulo Comitis, Baro qui de feudali caſtro titulo Baroniæ inveſtitus eſt, Miles qui utitur fruitur feudo Conſt. *conſtitutionem D. M. lib.* 3. 5. Burgenſis qui privata poſſidet bona; Ruſticus, qui Homo angarius dicitur, agriculturæ vocat. Nunc de ſingulis Vaſallorum generibus.

TIT. II.

Digitized by Google

TIT. II.

DE VASALLIS.

§. II.

De Duce, & Comite juris Romani, & Germanici.

HUjuſmodi dignitatem creatio triplici modo inſpici poteſt; nempe ſecundum Romanos, Germanos, atque Italos. *Jure Romano* Ducis vocabulum militare eſt a ducendo exercitu dictus, Cæſar *de B. G. lib. 3. cap.* 14. *&* 15., eumque depingit Bodin. *de Republ. lib.* 3. *cap.* 2. *Dux autem de eo qui quod ſtrenuus eſt, & militaris diſciplinę peritus, aciem inſtruit, caſtra metatur, acies obſidet, Imperatore tamen inferior eſt.* Tacit. de *Morib. German. cap.* 7. de veteribus Germanis loquens, *Reges ex nobilitate, Duces ex virtute ſumunt.* Poſteriori tamen ætate nomen *Ducis* tributum eſt etiam iis, qui Imperii limites, & confines a Barbarorum incurſionibus tuerentur, ſicut ex Notitia utriuſque Imperii conſtat, (*in proleg. cap.* 11. §. 3. *dictum eſt.*) In Ægypto erant duo Duces, Lybiæ, & Thebaidis; erant & Dux Palæſtinæ, Arabiæ, Phæniciæ, Syriæ, & Meſopotamiæ, qui orientem cuſtodiebant. In Occidente XII. Duces idem defenſionis munus exercebant, Buleng. *de Imperio Rom. lib.* 4. *cap.* 33., Alteſer. *de Ducibus lib.* 1. *cap.* 1., Salced. *in Theat. Honor. Glos.* 30. *l.* 16. *lib.* 4. *Recopit. n.* 20., Ziegl. *de jur. Majeſt. lib.* 1. *cap.* 28. *n.* 4.

Munus iſtorum Ducum erat exercendi jus Gladii in ſuos Milites, provincias regendi, limites Diæceſeos ſibi commiſſæ tuendi *l.* 2. §. 4. *C. de offic. Præfect. Prat. Afric. l. ult. C. de offic. Magiſtr. Milit. l. Duces. C. de offic. Milit. judic.* Conſuetudine enim apud Romanos receptum erat; Provincias alias a Vicariis, alias a Comitibus, alias a Præfectis, alias a Præſide, alias a Ducibus adminiſtrari, qui propter limitum Imperii defenſionem,

nem, *limitanei, limitrophi* ſunt appellati, quibus ob cuſtodiæ curam aliqua agri portio dabatur, ſicut illius ætatis uſus ferebat, Servi. in IX. Aen. *Mos fuerat, ut viris fortibus, ſive Regibus pro honore daretur aliqua publici agri particula, ut habuit Tarquinius ſuperbus in Campo Martio, quod ſpatium ab Homero τό τιμενο dicitur*, Confer. P. Ludewig. *lib.* 1. *jur. public. opuſc.* 4. *cap.* 3.

Jure Francico, & Germano Ducum munus, & Poteſtas nihil fere a Romanis moribus differt. Franci enim, & Germani, devictis Populis, & ſubjugatis Civitatibus, & Provinciis eas adminiſtrabant opera hujuſmodi ducum, B. Rhenan. *lib.* 11. *Rer. German.*, Uuolſan. Lazi. *lib.* 1. *de Republ. cap.* 2. *Marcha limes eſt; qui limitibus imperii præerant, olim Marchiones dicti, proprie Marchgravii: Romani duces limitanei. Ita Franci ex quibus majori ex parte Germani deſcenderunt, imperium extra Franciam cum propagaſſent, duos limites (ut Romani Orientis, & Occidentis) conſtituerunt. Unum Oſtenriche Marcham, ac ſi dicas Regni Orientalis limitem. Alterum vero, qui Francos proxime a Saxonibus, Alemanniſque, & Burgundis ſequeſtrabat, Uveſtenriche Marcham, hoc eſt Occidentalis Regni limitem nuncupabant*, Alteſer. *ad Epiſt. III. D. Greg. lib.* 7. *indict.* 15. Dux igitur apud Francos, & Germanos, ut ex Grego. Turon. patet, ille dicebatur, qui alicui præerat Regioni, eamque adminiſtrabat; quem merito Walafrid. Strabo Archiepiſcopo comparat. Nam ſicut Archiepiſcopus regit provinciam jure ſpirituali, ita & Dux eandem jure temporali.

Qua de re recte, ſcribit Adr. Vales. Rer. Franc. *lib. XI. to.* 11. in Childeberto, *Duces autem tum appellabantur Provinciarum, exercituumque ex iis contractorum Rectores, qui Comitibus prçerant hoc eſt Urbium Præfectis, & judicibus*; & late *in lib.* 13. in Clotario. Greg. Turo. *lib.* 9. *cap.* 7. *Ennodius cum ducatum urbium Turonicæ, atque Pictaviç miniſtraret, adhuc & vici Julienſis, atque Benarnæ Urbium principatum accepit*. Nicetus a Childeberto in Urbe Arverna, Ruthena, & Ucetia dux conſtitutus eſt; hinc Codinus duces collocat inter βαδλιχῶ θιματαν *Præfectos provinciarum*, & in utroque Cod. dicuntur *Rectores provinciarum*, ſicut in LL. Wiſigoth.

Duces itaque in Francia, & Germania integris Provinciis præerant, quorum hæc erat Poteſtas, (1) Militares copias tem-

Digitized by Google

pore belli ducere, Lex Aleman. *cap.* 35. *dum dux utilitatem Regis poteſt facere, ideſt exercitum gubernare*. Fortunatus *lib. X.* de Rodegiſſo Maſſiliæ Duce, inquit, *ex veteri inſtituto Maſſilienſes Duces habuerunt, qui urbem belli, paciſque temporibus cuſtodirent*; Savar. *ad Sidon. Apollin. lib.* 7. *epiſt.* 17., ibique Sirmundus, & Fortuna. ad Lupum Ducem *lib. VII. cap.* 7.

Antiquos animos Romanæ ſtirpis adeptus
bella moves armis, iure quiete regis.

(a) Jus Civibus in ſuis provinciis dicebant, & proinde *judices* appellati, Adr. Vales. Rer. Franc. *lib. XXII. Mittebantur quoque ad Præfectos Urbium, provinciarumque, quos proprie Comites, ac Duces, communi autem nomine JUDICES vocabant, litteræ Clodovei Regis nomine ſcriptæ, & edicta, atque decreta, quibus qui parere nollet, aut fuga ſibi conſulere, aut amiſſo honore latere cogebatur, aut perſequentium manus minime evadebat*. Fortunat. *loc. cit.* de Duce Maſſiliæ cecinit.

Juſtitiam pauper nunquam de judice perdit,
Nec poterit pretio vertere jura potens.

Audiebant enim cauſſas viduarum, orphanorum, atque Eccleſiarum Alteſer. *de Ducibus lib.* 1. *cap.* 4. Eorum tamen juriſdictio ita erat reſtricta, ut *graviora negotia regio tribunali reſervarentur* recte, inquit, Ziegl. *loc. cit. n. 6.*, Conring. *Exerc. IV. de Ducibus n.* 5. Et patet ex formula conferendi Ducatus, Comitatus, & Patriciatus apud Lindenbrog. *in form. XXXII. Ergo dum & fidem, & utilitatem tuam videmus habere compertam, ideo tibi actionem Comitatus, ducatus, aut Patriciatus in pago ill. quem Anteceſſor tuus ill. uſque nunc viſus eſt egiſſe, tibi agendum, regendumque commiſſimus. Ita ut ſemper erga regimen noſtrum fidem illibatam cuſtodias, & omnes populi ibidem commanentes, tam Franci, Romani, Burgundiones, vel reliquæ nationes ſub tuo regimine, & gubernatione degant, & moderentur, & eos recto tramite, ſecundum legem, & conſuetudinem eorum regas, Viduis, & Pupillis maximus Defenſor appareas, Latronum, ac Malefactorum Scelera a te Severiſſime reprimantur. Ut Populi bene viventes ſub tuo regimine, gaudentes debeant conſiſtere quieti, & quicquid de ipſa actio-*

Digitized by Google

actione in fiſci ditionibus ſperatur per voſmetipſos annis ſingulis noſtris ærariis inferatur. Denique Regis, atque Impp. mandato vectigalia imponebant, Alteler. *loc. cit.*

Labentibus vero ſeculis adeo Ducum crevit auctoritas, ut Regia fere cenſeretur, non modo in cauſſis Civilibus ſed & in criminalibus, ſublato quoque appellationis remedio, ut Duces Septimaniæ, Nortmanniæ, Aquitaniæ, Burgundiæ, & ſimilium, qui *Miſſos* a Carolo M. ad juſtitiæ adminiſtrationem inſtitutos, in ſuis Ducatibus non reciperent, *ſed aut ipſi jure dicundo præeſſe voluerunt, aut alios habere magiſtratus, puta Bajulos, aut Ballivos, & Seneſchallos, qui eorum nomine jus dicerent*, inquit, Franc. Roye *diſſert. de miſſis Domin. cap.* 7., Selden. *in Titul. Hono. par. 2. cap.* 3., Cabot. *diſput. jur. publ. lib.* 11. *cap.* 30., Conring. *loc. cit. n.* 19. Ad quos profligandos pene & Gallia, & Germania impotens viſa eſt, Buleng. *append. de offic. Reg. Galli. tit. de Ducibus*.

Excepta enim *Superioritatis* recognitione, atque homagio omnia exercebant regalia, videlicet jus cudendi monetam, vectigalis, & adjutoria exigendi, pedagia, portoria, ripaticum, jus venationis, piſcationis, creandi magiſtratus, nobilitandi, legitimandi, in bona vacantia ſuccedendi, confiſcationem, theſauros, nundinas, amortizationem, electiones in Eccleſiæ miniſtris, jus condendi leges, & abrogandi, ut probat, & exponit V. CL. Alteler. *in libris de Ducibus*. Hæc tamen eorum poteſtas imminui cepit, I. propter aſſiduas de ſuis feudis ſubinfeudationes, quæ reditus, & juriſdictionem debilitarunt; II. auctis oppidanorum opibus, & Civitatum, qui ad libertatem ceperunt proclamare; hinc in Germania tot *Civitates liberæ*; III. propter ſacram Belli expeditionem ſub Urbano II. qua Galliæ, & Germaniæ nobilitas, & divitiæ extinctæ propemodum fuerunt; IV. paulatim Comites ab hac Ducum poteſtate ſe ſubtraxerunt Conring. *loc. cit. n.* 28.

Quæſitum eſt an ad rationem Ducatus requirerentur XII. Comites? P. Pith. *Adver. lib.* 1. *cap.* 8., Hoepping. *de jure Inſig. cap. 6. n.* 621., ceterique affirmant ex Eginhardo, qui, inquit, Pipinum, Grifonem more Ducum donaſſe duodecim Comitatibus; hinc Goldaſt. & Pithæus Aimoinum emendare conantur *lib.* 5. *cap.* 11. *Itidem Baldrico Duci forojulienſi dum obiiceretur, & probatum eſſet, ejus ignavia, & incuria vaſtatam a Bulgaris* regio-

Digitized by Google

regionem noſtram pulſus eſt ducatu, & inter quatuor Comitatus eſt ejuſdem poteſtas diſſecta, ubi pro *inter quatuor* legunt *in ter quatuor*. Male: nam, Hiſtoria Duce, ſcitum eſt, Ducibus aliquando duos, tres, quatuor, aliquando plures, vel pauciores; Comites fuiſſe ſubjectos Adnot. *Annal. fuldens. ad An. DCCLI.*, Alteſer. *de Ducibus lib.* 1. *cap.* 4., Et paſſim Peregr. *in diſſert. de ducat. Benevent.* & Auctor Anoym. *in Tabul. Geograph.*

Comes jure Romano dicitur, qui alterum comitatur, ſive ſervus ſit, ſive liber *l.* 15. §. 16. *D. de injur.*, ſicut qui ſponte, vel mandato Senatus, aut Magiſtratuum comitebatur Proconſules, vel Præſides in Provincias euntes, *Comes* dictus, (*p*) ut erant Quæſtores, Legati, Scribæ, Icti, Accenſi, tanquam negotiorum adjutores, cum & ipſi poſtulationes, ſupplices libellos; epiſtolas, decreta, & cauſſas cognoſcerent, reciperent, vel interpretarentur, quare ſæpe Aſſeſſores vocantur, *l.* 1. *D. de Offic. Aſſeſ. l.* 1. *C. eo.*, Paurmeiſt. *de Juriſdict. lib.* 11. *cap.* 2., Bulenger. *de Imperio Rom. lib.* 4. *cap.* 24., Salced. *in Theatr. Honor. Glos.* 30. *l.* 16. *tit. lib.* 4. *n.* 29. Cuja. *ad Novel.* 44.

Dubitatum eſt, quonam tempore Comites dignitatem habere ceperint? Creditum fere communiter eſt, Conſtantinum M. ad dignitatem evexiſſe. Recte tamen Claud. Salmas. *not. ad Trebell. in Macrino*, Selden. *de Titul. Honor. Par. II. cap.* 5. *n.* 6. probant antiquiorem eſſe Conſtantino; & ab ipſo etiam Cæſarum imperio in tres Claſſes fuiſſe diviſos, nempe primi, ſecundi, & tertii Ordinis, eoſque omnes Lamprid., & Sveto. appellant *amicos*, & *gratos Imperatorum*. Comites primi Ordinis in Conſiſtorio, vel extra plura Principis negotia agebant, eiſque tantum arcana imperii cognita erant, coram Imperat. ſedere poterant, Guther. *de Offic. Dom. Aug. lib.* 1. *cap.* 17. *l. ult. C. de Profeſſor. & medic.*, *l. ult. C. de Comit. qui Provinc. reg.*, *l.* 1. & 2. *C. de Comit. rei milit.* Comites ſecundi ordinis Civitates, & ſæpe Provincias regebant, Caſſiodo. *lib.* 7. *Epiſt.* 26. *d. l.* 2. *C. de Comit. rei milit.*

(*p*) Quemadmodum Gratius Faliſcus in Cynegetic. Satyros, & Nymphas vocat Dianæ *Comites v.* 125, & *v.* 16.
Adſcivere tuo Comites ſub nomine Divę.

Digitized by Google

lit. De his non rara eſt in Conciliis mentio, exempla dat Selden. *loc. cit.* Comites tertii ordinis erant omnium infimi.

Ex hoc triplici Comitum ordine quamplurima in R. Imperio orta fuerunt munera, & Officiales, ut Comes *Sacrarum largitionum*, qui theſauros, & opes fiſcales Principes miniſtrat; Comes *rerum privatarum*, qui privati Patrimonii Principis per Procuratores curam gerit; Comes *ſacri patrimonii*, cui commiſſa eſt Imperatoris penus, epulæ, regii apparatus, apothecæ, Cellarium, & id genus; Comes *ſacri ſtabuli* qui equorum præſtationi, quos Provinciales exhibebant, præerat; Comes *rei militaris* qui exercitus ducebat, & jure gladii utebatur. aliique, ut ex Cod. *lib.* 1. conſtat, & XII. Imo omnis dignitas, & munus in R. Imperio Comitivæ titulum adjunctum habebat late Guſſanv. *ad Epiſt.* 13. *D. Gregor. lib.* 1. *in dict.* 9., & Salmas. *loc. cit. Ceterum ſciendum eſt Comitivæ titulum omnibus fere dignitatibus ſemper adjunctum, & adfixum fuiſſe, quaſi quoddam honoris incrementum, iiſque tantum ferme tribui ſolitum qui dignitatis alicujus, aut magiſterii, præfecturæve merito pollerent, adeo ut poſteriorum Imperatorum ævo nulla pene inveniretur in aula dignitas, quæ non Comitivæ honore eſſet ornata*, Quænam fuerint conferendi Comitivam formulæ, non ſatis liquet; ſed ſuſpicari poſſimus eaſdem eſſe, quas refert Caſſiodo. Sub Gothis, qui Romanas leges, & politiam retinuerunt.

Jure Germanico comes erat, qui jura per Pagos, & vicos incolis reddebat, cujus territorium, ſeu diſtrictum dixerunt *Comitatum*. Ex Ceſare enim *lib.* 4. *de R. G. cap.* 6. *& Tacit. de M. G.* conſtat, univerſam Germaniam a comitibus per pagos fuiſſe adminiſtratam, quorum & civilis, & criminalis erat juriſdictio & alios ſub ſe judices diverſi generis habebant, uti *pedaneos*, ut de minoribus cauſſis cognoſcerent, ſicut ex legibus Populorum Germaniæ ſatis patet, vid. Heinec. *Elemen. jur. German. lib.* 3. §. 7. Quemadmodum igitur Duces in provinciis juri dicundo præerant, ita & Comites judiciariam in Civitatibus obibant poteſtatem; quare Comites apud Francos erant judices Ordinarii in urbibus, Murat. *diſſert.* 8., Lex Babar. *cap.* 5. §. 8. Selden. *loc. cit. cap. par.* 2. Greg. Turon. apud Pithæ. in Gloſſar. Capitul. *Nam vidi ego quodam tempore Baſilium presbyterum miſſum ab eo ad Armentarium Comitem, qui Lugdunenſem urbem*

bis

Digitized by Google

his diebus poteſtate judiciaria gubernabat (*q*), & recte Valafrid. Strabo comparat Comites Epiſcopis, ſicut Duces Metropolitanis, non quia omnis provincia neceſſario a Duce eſſet adminiſtranda, & Civitas a Comite, quum id affirmare non audeam, ſed quia ita plerumque eveniebat. Immo præter judiciariam poteſtatem civilem, & criminalem, militari gladio quoque fruebatur, ut ſatis a V. Cl. Franc. Roye in *pererudito Opuſc. de miſſis Dominicis* probatum eſt, & Heinec. *loc. cit.*, & cecinit Sidon. *lib.* 11. *Carmin.* 5. 20. (qui deinde dictus fuit *Marchio.*) .

———— Comitis ſed jure recepto
Danubii ripas, & tractum limitis ampli
Circuit, hortatur, diſponit, diſcutit, armat.

Hujuſmodi Comites, ſicut & Duces initio erant ſimplices Urbium, & provinciarum Adminiſtratores, deinde, inventis feudis, ſuum territorium pro munere regio, ideſt jure feudi, & homagii poſſiderunt titulo tamen precario. At debilitato Carolinæ ſtirpis robore, Germania, & Gallia in varias diſciſſa factiones, jus ſupremum, & pretioſiora Principum regalia., & juriſdictiones uſurparunt, cives uti mancipia tenebant, ſicut ante de Ducibus dictum eſt ex Alteſerra, & Roye. Antequam vero

(*q*) Hincmar. Opuſc. XV. inquit, Comites, & judices conſtitui debere fideles; *qui autem poſt Regem populum regere debent, id eſt Duces, & Comites, neceſſe eſt, ut tales inſtituantur, qui ſine periculo ejus, qui eos conſtituit, quos ſub ſe habent cum juſtitia, & æquitate gubernare intelligant, atque cum bona voluntate, quod intelligunt adimplere procurent*. Et Adr. Valeſi. *Rer. Franc. lib.* 24. refert Carolum Regem *an.* 736. uſque ad Coloniam, Arelatum, & Maſſiliam, judices in urbibus, & Regionibus conſtituiſſe, addit; *judices vulgo appellabant non Præfectos Urbium modo, ſeu Comites, ſed etiam provinciarum Præſides, qui proprie, Duces, aut Patricii vocabantur, propterea quod eorum omnium præcipue partes erant, conventus agere, atque jus dicere*, Conring. Exercit. *Exerc. IV. de Ducibus n.* 13.

Digitized by Google

vero hæc ſibi vindicarent, in Civitatibus, earumque pertinentiis, nempe ſuburbis, Villis, & Coloniis, jure regia, vectigalia, & tributa in fiſcum Regis colligendo inferebant, Aug. Campian. *de Offic. & Poteſt. Magiſtr. Rom.* §. 131.

§. III.

De Duce, & Comite Juris Italici.

NUnc dicendum de Ducibus juris *Italici*. Ante Longini Exarchatum Italiæ Provincias Conſulares, Correctores, & Præſides regebant, qua politiæ ſpecie Romani, & Gothi ante uſi ſunt. Longinus vero An. DLXVIII. dum Italiæ adminiſtrationem ſuſcepit, in ſingulis Oppidis, & Civitatibus gubernatores quos *Duces* dixit, conſtituit, qui juri dicundo præeſſent, ſalva appellatione ad ipſum in Ravennatenſi Exarchatu, Blond. *lib.* 8. *decad.* 2. *Longinus namque novum in Italia adduxit Magiſtratus nomen, Exarchatus Italiæ, qui interpretabatur ſummus Italię Magiſtratus, & Ravennę ſe continens nunquam ivit ad Urbem Romæ, vel qualis eſſet, inſpiciendam. In adminiſtratione vero Italiæ, & Urbium, quę in Juſtini Imperatoris partibus cum Roma, & Ravenna duraverant, hunc primum ſervavit morem, ut non provinciæ, aut Regioni præeſſet Præſes, ſive quiſpiam Magiſtratus, ſed ſingulæ Urbes, ſingula Oppida a ſingulis cuſtodirentur, regerenturque Magiſtratibus, quos appellavit Duces*, Sigon. *in Hiſto. Bonon. lib.* 1., *& lib.* 1. *de Regno Ital.* P. Greg. *de Republ. lib.* 6. *cap.* 7. *n.* 5. Hinc tot in Italia Ducatus exorti, qui judices tantum erant, & nudi Officiales Civium querelis, & litibus audiendis addicti.

At cum ſeculo VI. opere magni Narſetis An. DLXVIII. Longobardi Italiam prope univerſam, Duce Alboino, expulſis fere undique Græcis occupaſſent, *Ducis* nomen, & dignitas non tantum judiciaria, ſed & *feudalis*, & *Vaſallitica* evaſit, ut in *proleg. cap.* 4. §. 7. dictum eſt. Alboinus enim Urbibus conſtituit Duces, ſed inter celebriores Ducatus, qui primum in regno Longobardorum occurrunt, recenſetur Spoletanus. Defuncto Alboino, ejuſque Succeſſore Glefo, interregnum decem annis conſtitit, & quiſque Dux in civitatibus ſibi deputatis regale exer-

cebat

Digitized by Google

cebat dominium, nulli obnoxium; elapſo tamen decennio, proclamante populo, electus eſt Auctaris Rex, qui, ut ducum animos ſupremo dominio uti aſſuetos ſibi alliceret, eis omnem reliquit poteſtatem, reſervato *jure ſuperioritatis*, & *Majeſtatis*; & quilibet eorum cogeretur medietatem tributorum Regi contribuere ex ſuis Ducatibus, ut regia poſſet ſubſtineri Majeſtas, Sigon. *de Regno Ital. lib.* 1., Pancirol. *Theſaur. var. lect. lib.* 1. *cap.* 90.

Quamvis autem in Italiæ Civitatibus ſub Longobardis Duces gubernarent, & titulo feudi poſſiderent, tamen celebriores quatuor exiſtimabantur Ducatus in ipſorum Dominio vetuſtiſſimi Spoletanus, Foro-julienſis, Taurinenſis, & Beneventanus, Blondus *Ital. Illuſtr. Regio. IX.* quorum inſtitutio non eſt ſatis clara. Hujuſmodi enim Ducatus filii, aut propinqui Regum Longobardiæ ſolebant adminiſtrare, eiſque majora concedi regalia, & poteſtatem, ut Græcorum incurſionibus poſſent obniti; Græca enim dominatio in littoralibus Regni Neapol. Oppidis, & Urbibus, & in Ravennat. Exarchatu occludebatur. Hos Ducatus tam majores, quam minores, devicto Deſiderio Longobardorum Rege a Carolo M., Francorum Politia etiam retinuit, ſicut & leges & majorum inſtituta obſervari præcepit, ut infra dicam.

Comes jure Italico eſt, qui etiam Civitati titulo officii, & judiciariæ poteſtatis præeſt. Gothi ſub celeberrimo eorum Rege Theodorico, cum eandem Romanorum Politiam in Italiæ provinciis retinuiſſent, tantum in minoribus urbibus quoſdam conſtituerunt Officiales ab ipſis *Comites* appellatos qui juſtitiam adminiſtrabant. Exemplo Gothorum forſitan Longobardi Urbibus præfecerunt Comites feudales. Et occupata a francico imperio Italia etiam Comites Urbes, & Duces provincias regere ſtatutum fuit; quamvis ſub Longobardis Duces etiam Urbibus præeſſent, & Comites non tam frequentes erant, quam ſub Francis, & Imperatoribus occidentis, Anonym. *in Tabul. Geogra. ſect. X.*

§. IV

§. IV.

De Marchione, Barone, & Principe.

MArchio appellatur a *Marcha* hoc eſt limes, Lex Bajuvario. *tit.* 12. *l.* 9. *Si quis ſervum alienum ad fugiendum ſuaſerit, & foras terminum eum duxerit, hoc eſt foras Marcham cum* 12. *ſol. componat, & ipſum reducat.*, Lex Ripuar. *tit.* 60. §. 5. A Germanis *Marc* id eſt limes, cujus etymon deduco a *Margo* hoc eſt Extremitas, quia limes eſt extremitatis nota, qua unus ager ab agro ſeparatur, P. Ludew. *lib.* 1. *jur. public. Opuſc.* 4. *cap.* 2. §. 2., Alteſer. *de Ducibus lib.* III. *cap.* 17. Hoc Munus Romanis, Germanis, & Francis in Italia ſatis cognitum fuit. *In prolego. cap.* 11. §. 3. probatum eſt, RR. Imperatores ad arcendos Barbarorum impetus, atque incurſiones in Limitibus imperii Milites, & Præfectos limitaneos conſtituiſſe, *tot. tit. C. de fundis Limitroph.*, Buleng. *de Imperi. Rom.* 3. *cap.* 9., Matth. *de Nobil. lib.* 4. *cap.* 6. Nomen itaque Marchionis etſi Romanis fuiſſet ignotum, nihilominus ſignificatio erat, cum *liminarcha* dici poſſet.

Inter reliquas, quibus R. Imperium declinaverit, cauſas, recenſetur negligens, & non idonea tam in numero militum, quam in inſtructis Legionibus limitum Cuſtodia. Hoc exemplo Germaniæ populi ſatis edocti, fines ſuæ Ditionis tueri curarunt iis Militibus, quos patria lingua dixit *Marchiones*, eorumque inſtitutio in Germania vetuſta non eſt. Nam ea regio cum immenſis ſaltuum, & ſolitudinum tractibus a natura defenderetur, Marchionibus indigere non videbatur. Neque apud Barbaros Europam igne, & ferro vaſtantes limitum cura tanti æſtimabatur. At deleta fere Caroli M., & Succeſſorum Potentia, utilius viſum fuit, fines imperii his defendi Militibus, qui plures, præſertim ſub Henrico Aucupe celebrantur; etſi in Francia ab ævo Dagoberti An. DCXXX. *Marchiæ* nomen occurrat, ſed raro.

Longobardi contra Romanos in Italia pugnantes Marchionis titulo nunquam uſi ſunt, quia iis non tam diligens de Italiæ finibus cura erat, quicquid dicat Blondus, quem merito arguit

 Ano-

Anony. *in Tabul. Geogra. ſect. X.* At Carolus M., cum Deſiderium ultimum Longobardorum Regem interfeciſſet, Italiam in Ducatus, Comitatus, & Marchionatus univerſam diviſit; Dux provinciæ, Comes Civitati, Marchio urbi limitaneæ præerat. Neque vero Longobardorum politiam quam in ea invenit, prorſus immutavit, dum recenti victori id congruum non videbatur, rationem addit Blondus *lib.* 1. *Decad.* 2. quia, *quum gentem tam multis Italiæ populis affinitatibus, ac ſanguinitate conjunctam, nec eiicere tutum, nec delere humanum videretur, Pontifex, Imperatorque conſtituerunt, ubi ſedem diu, & ſtatus ſui fundamenta habuerat, genti Longobardicæ nomen, & ſolum patrium conſervare, utque propinquior, conjunctiorque nominis Romani memoria fines illis fecerat certiores, haberentque illi probatæ erga Romanos fidelitatis vicinos, quibus eſſet Cura, aut motus eorum compeſcendi, aut Magiſtratus renunciandi, quidquid Exarchatus Ravennatenſi fines complectuntur, Romandiolam placuit appellari.* Quæ enim Juſtitiæ gratia, rectæ rationis dictamine, æquitate, & rerum judicatarum conſtantia a Longobardis ſancita, & firmata erant, Carolus abrogare ſapienter noluit, ſicut de legibus regiis apud Romanos lata lege Xvirali evenit, Ever. Ottho *in præfat. to.* III. *Theſaur.* §. 3.

Carolus itaque in Italia Ducibus & Comitibus priſtinam reliquit poteſtatem, reſervato ſibi fidelitatis juramento, neque ab eorum feudis ſine Felonia, aut lineæ interitu cadebant, neque ea adquiri poſſent ſine inveſtitura. Ab urbibus fidelitatis juramentum, quod Sigonius refert, exegit, Vaſallis, Eccleſiis, & Monaſteriis tributa impoſuit, quæ *paratam manſionaticum*, & *foderum* dixit, ei exſolvenda dum Italiam ingrederetur.

Eleganter Sigon. *lib.* 4. *de Regno Ital.* enarrat, *His ille* (Carolus) *honoribus inſignitus eo inde alacrius formando Regno atque Italiæ conſtituendæ ſe tradidit. Primum autem Apuliam, & Calabriam Imperatori, ſicut a Victoria fuerat Juſtiniani reliquit, quæ poſt a Nortmannis occupatæ in alterius regni formulam conceſſere, quod demum Neapolitanum eſt appellatum. Ducatum inde Beneventanum Aragiſo Deſiderii Regis Genero, Spoletanum Hildebrando; forojulienſem Rodgando permiſit, antiquo feudi jure erga ſe, quod erga Reges Longobardorum fuerat, conſervato, Exarchatum Ravennatem, Pentapolim, Ducatum Peruſinum, Romanum, Tuſcum, & Campanum, jure Principatus, & ditione ſibi retenta Pontifici permiſit,*

Digitized by Google

ſit, reliqua ipſe ſibi nomine regni retinuit. Id autem fuit, quodcumque Reges Longobardorum in Liguria, Aemilia, Venetiaque poſſiderant, Tuſcia quoque citeriore, & Cottiis Alpibus attributis. Ea pars Longobardia, ſive, ut poſtea dixerunt, Lombardia vocata. Exarchatus Romaniæ, ſive Romaniolæ nomine eſt appellatus.

Italia diviſa ejuſmodi deinde ejus adminiſtrationem induxit. Duces ipſos liberos juſſit eſſe, uno tantum regii feudi vinculo obligatos. Eo vero, qui ſe obſtrinxerunt, ii ad annuum cenſum tale Sacramentum ſuſceperunt, PROMITTO ME DOMINO MEO CAROLO, ET FILIIS EJUS FIDELEM FUTURUM IN TOTA VITA SINE FRAUDE, DOLOQUE MALO. ITEM JURO PER HÆC SANCTA DEI EVANGELIA ME IN POSTERUM FIDELEM EI FUTURUM, UT VASALLUM DOMINO, NEC ID QUOD MIHI SUB NOMINE FIDELITATIS COMMISERIT ENUNCIATURUM IN EJUS DETRIMENTUM SCIENTEM. Hoc autem jusjurandum ſi feſelliſſent, aut ſine filiis deceſſiſſent, ducatus ad alium transferebatur, eaque Tranſlatio, ut in Epiſcopis, & Abbatibus, inveſtitura dicebatur. Atque hoc idem in ceteris Vaſallis, ſeu feudatariis, ut Comitibus, Capitaneis, & Valvaſoribus obſervatum eſt. De quibus poſt pluribus cum de Regno a Germanis inito referemus a quibus hæc omnia inſtituta profecta ſunt.

Porro autem Populos, ac Civitates in Regno ſitas ita gubernare inſtituit. Regni limites atque Oppida Comitibus adminiſtranda commiſit, atque eis omnem publicam & privatam juriſdictionem mandavit. Limites Marchas vocarunt. Unde Præfecti limitum Marcharum Comites, ac Marchiones dicti. Extra ordinem autem Legatos quoſdam in Regnum, majore, quam Comites, cum poteſtate miſit quos Miſſos vocat (de quibus doctiſſimam edidit Diſſert. Franc. Roye) *Singularum Civitatum agros ſuperiore Longobardorum imperio confuſos, aut inter Populos ab antiquo litigioſos pro ſuo judicio, ut quidquid poſtulatum eſt, terminare inſtituit, eoſque fere, aut montibus, aut paludibus, aut fluminibus circumſcripſit.*

Civitates item in verba Regis jurare inſtituit, atque in jurejurando hæc verba adiicere, ET VITAM, MEMBRUM, MENTEM, ET RECTUM EJUS HONOREM SERVATURUM. Feudatariis autem Civitatibus, Eccleſiis, ac Monaſteriis certa tributorum genera impoſuit, foderum, paratam, & manſionaticum

Digitized by Google

cum appellata, quæ advenienti potiſſimum in Italiam Regi perſolverent. Quæ deinde pro ipſius, & Succeſſorum ejus benignitate, aut ex parte levata, aut in totum remiſſa ſunt. Ex quibus Sigonii verbis conſtat, quænam fuerit Imperii Francici politia in Italiæ regionibus, quævæ feudorum & conditio.

Primus igitur Carolus M. in Italia inſtituit Marchiones, ſed non omnes; nam aliqui ſeculo X. alii XI. orti ſunt. Hoc tamen diſcrimine, ut Marchiæ nomen immutatum ſit, nam non pro limitanea ſeu loco in finibus Italiæ ſito cepit excipi, ſed promiſcue etiam pro regione, aut Civitate in ipſiuſmet Italiæ meditullio exiſtente. Plurimæ nihilominus erant Marchiæ, videlicet Tarviſina, Sicuſii, Tridentina, Tuſciæ, Genuæ, Mediolani, Savonæ, Firmi, Forojulii, Anconæ, Camerini, Marteſii, Montiferrati, &c. vid. Anonym. *in Tabul. Geogra. ſect. XI.*, confer Murat. *diſſert. 6.* Et ſæpe quis *Dux*, & *Marchio* ſimul vocabatur, Dux quia præerat provinciæ, Marchio a Marchia, regione limitanea, Abbas de Nuce *ad Leo. Oſtien. lib. 1. cap. 21., & 49.*, exempla præbet Murat. *loc. cit.*

Princeps jure Romano eſt, qui primas tenet, ut Princeps Senatus, Princeps juventutis, Agentium &c., Perez *ad tit. C. de Princip. Agent.* Jure Longobardico primum Arechis hunc titulum aſſumpſit, qui prius *Dux* Beneventanus dicebatur, Selden. *de tit. Honor. P. 11. cap. 2. n.* 7. Nam Arechis, occupata jam a Carolo M. Italia, etſi ejuſdem fuiſſet tributarius, numquam ſeudatarium ſe exhibuit, ſed ungi curavit uti Rex, infra dicam.

Baro in LL. Ripuar., Aleman., Gallor., & Salica ſignificat *virum*, aut hominem liberum, a Germanico *baren* hoc eſt *homo liber*, Ciron. *ad cap. un. de Peſtulan. in 5. collect.*, Pithæ. *Adver. lib. 1. cap.* 8. Poſtea feudalis evaſit dignitatis titulus, etſi de eo nulla in jure feudali mentio occurrat; tamen vetuſtum eſt ejus nomen in Italia; Ottho Friſigen. *lib.* 11. *cap.* 12. Gulielmum Marchionem de Monteferrato recenſet inter Italiæ Barones. Puto feudiſtam in 11. *f.* 10. memoria lapſum. Nam Baro conferri valet Regis Capitaneis: *Et quidem in latiſſima ſignificatione appellabantur olim omnes, qui Vaſſi Dominici, & homines, ſeu Vaſalli Regni dicebantur, quo nomine Regni Capitanei, ſeu Magnates; omnes nempe Comites, Duces, Marchiones &c. comprehen-*

benduntur, inquit Beſol. *diſſert. de Baron. cap.* 4. *n.* 18., quod præcipue in hoc Regno obtinet. Dicam *lib.* 4. *tit. de V. S.*

§. V.

De Vaſallis Regni Neapolitani.

Feudalium Dignitatum Inſtitutio ſub Longobardis, & Nortmannis cœpta, adeo in noſtro Regno crevit, ut nulla glebæ pars fere hodie reperiatur, cui feudalitas non ſit annexa. Porro titulus *Ducis* apud Longobardos in Beneventa. Ducatu, regnante francorum Stirpe in Italia, feudatarius non fuit. Quamvis enim Carolus M. Italia potitus eſſet, nihilominus Arechis Dux Beneventi tributum, non homagium, non fidelitatem ei exhibuit; imo unctus, & coronatus primo *Principis* titulum aſſumpſit, & ex ſuo Palatio tanquam Rex reſcribebat, Romuald. Salernit. *in Chron. Arechis autem, qui hactenus Beneventanorum Dux nominabatur, hic idem poſtea primum appellatus eſt Princeps Beneventi, atque Salerni. Quo defuncto, ſucceſſit ei Grimoaldus Princeps. Deinde Sico Princeps, & ſic ceteri ejuſdem Civitatis Succeſſores per multa annorum curricula Principes ſunt nuncupati. Nam antea ex quo Alboin Longobardorum Rex Italiam ingrediens univerſas Italiæ provincias ſuæ ditioni componeret, omnes Beneventanorum Rectores dicti ſunt Duces, quorum primus Dux nominatus eſt Zotto*; Sicut Nortmanni Ductores dicebant promiſcue *Duces & Comites*, Peregrin. *ad Lupum Protaſp.*

Beneventani Ducatus Magnitudo novem Regni noſtri continebat provincias, nempe Terram laboris, Comitatum Moliſii, Aprutrium, Capitanatam, Terram Barenſem, Baſilicatam, Calabriam inferiorem, & utrumque Principatum. Atque, ut jus ſedulo cunctis adminiſtraretur diviſus eſt in *Gaſtaldiatus*, & *Comitatus*. Gaſtaldia erat collectio plurium oppidorum, cum villis, caſtris, pertinentiis, et diſtrictu, ſicut & comitatus. Sed quomodo ambo inter ſe different? obſcura res eſt. Dignior tamen erat Comes, quam Gaſtaldus, *prolego. cap.* 8. §. 36. Gaſtaldiata erant Tarantum, Cuſentia, Caſſanum, Lainus, Sora, Montella, Rota, Latinianum, cimiterium, Furculum, Capua, Teanus, & ſi quæ ſunt, ut conſtat ex Capitulo Fœderis Radelchiſii Beneven.

ven. Principis, cum Siconolfo Principe Salerni, Peregr. *Diſſert.* 8. *Ducat. Beneven.* Anonym. Salernit. *in Chron. cap.* 69. Sub Nortmannis in eorum vicem ſucceſſerunt Provinciarum *juſtitiarii*.

Hic tamen Principatus in tres diviſus eſt Salernitanum, Capuanum, & Beneventanum. Radelchiſius enim Beneventi Princeps cum magnopere Siconulſum odiſſet, armis demum petiit; ad quos ſedandos precibus Landonis Capuæ comitis Ludovicus Occidentis Imp. Italiam ingreſſus eſt, qui totam Beneventani Principatus ditionem inter eos diſtribuit, Radelchiſius obtinuit Beneventum cum ſuis pertinentiis, Siconolſus Salernum An. DCCCLI. In diviſione Gaſtaldatus Capuæ ad Salerni Principatum pertinuit, cui, cum Landulſus Capuæ Gaſtaldus nollet parere, titulo dumtaxat *Comitis*, etſi non *Principis*, abſoluto utebatur jure. Ab hoc ævo Occidentis Impp. inveſtituras de comitatibus, & Principatibus noſtrarum Regionum cœperunt conferre, & noſtri comites, & Principes homagium, ſervitia, & juramentum iis praeſtare.

Peracta hac Ducatus diviſione, conſuetudine invaluit, ad Principatus ſucceſſionem, aut titulo hæreditatis, aut populi electione, primogenitum admitti; ceteros vero filios urbibus præfici titulo *Comitis*, ut celebrantur filii Radelchiſii, cujus uxor fuit Caretruda, de qua in Tumulo VII. Princip. Long. apud Pereg. *in Stemmat. Princ. Longobar.*

> —— *Sui magno fructus in culmine ventris*
> *Ter quartum vidit fructificaſſe gradum*
> *Pontificem, & Comites genuit, Proceresque Sagaces.*

Hinc in hoc Regno tot feuda, tot Comitatus, videlicet Boviani, Aquini, Teleſiæ, Ariani, Fricenti, Venuſini, Abellinenſis, Triventi, Compſani, Pennæ, Trajecti, Marſicus, S. Agathæ, Carinulæ, Pontiſcurui, Soræ, ſicut noſtri docent Hiſtorici. Et quoniam, excepto ſuperioritatis jure Occidentis Imperatorum, nullum agnoſcebant Superiorem, idcirco quiſque Princeps regalia in ſuo territorio exercebat, vectigal nempe, jus cudendi monetam, tributa, magiſtratus conſtituendi, angarias, et parangarias, cetera.

Deinde cum ſeculo X. Nortmanni *jure* belli, expulſis Græcis, & Saracenis has Regiones adquiſiviſſent, titulum *Ducis*, & *Comitis* non ſub nexu fidelitatis, & hominii, ſed allodii poſſiderunt.

Digitized by Google

runt. Dum nec Orientis, cui ignota erant ſeuda, nec Occidentis Imperatori rebus aliis vacanti vaſallitium exhibere tenebantur. Primumque *Ducis* nomen obtinuit Robertus Guiſcardus an. MLIX. non voto Summi Pontificis, aut inveſtitura, ſed communi ſuæ Gentis conſenſu & ritu, Gaufr. Malater. *lib.* 1. *Hiſt. Sic. cap.* 36. *Igitur Robertus Guiſcardus, accepta, diuturni deſiderii ſui compos effectus cum triumphali gloria Dux* (Calabriæ) *efficitur. Magnaſque gratias cum meritorum recompenſatione, & reliquo exercitui, quorum auxilio tanti culmen honoris attigerat, referens, fratrem cum exercitu per urbes, & Caſtra totius provinciæ, ut ſuo imperio ſubdantur, dirigit,* Præterea cum etiam Apuliam adepti eſſent, de ea inveſtitus eſt primum titulo *Comitis* Gulielmus Ferrabrachius an. MXLIII. vir in bello ſtrenuus. Neque hic titulus fuit Vaſallicii, ſed *honoris*. Urbes autem Apuliæ militibus conceſſæ ſunt, quas refert P. Jannon. *H. C. R. N. lib.* 9. *cap.* 2. §. 2. 1., & cecinit Guliel. Apul. *lib.* 1.

——————— Provectis ad Comitatum
His alii parent; Comitatus nomen honoris,
Quo donatur, erat; hi totas undique terras
Diviſere ſibi, ni ſors inimica repugnet,
Singula proponunt loca, quæ contingere ſorte
Cuique Duci debent, & quæque tributa locorum:
Hac ad bella ſimul feſtinant conditione.

Hujuſmodi Duces, & Comites tanquam Reguli jus Populis a ſe devictis dicebant, & regaliis utebantur. At hæc Nortmannorum Fortuna, & Poteſtas & S. Pontifici, & Imperatori occidentis cepit magnopere diſplicere. Proinde Henricus II. Imp. ad eam deprimendam ingreſſus eſt Italiam, cui cum muneribus Nortmanni obviam ivere, qui ſuorum comitatuum inveſtituram, & infeudationem ab eo exceperunt. Atque hæc eſt prima inveſtitura, quam inclyta Nortmannorum familia primum a manibus Occiden. Imperat. accepit de iis regionibus, quas ſudore adquiſiverat, & jure feudi deinde poſſedit. Quem morem imitati ſunt RR. Pontifices, inter quos primus fuit Leo IX. paulo poſt Henricum II. Denique cum Rogerius Principatum Capuæ, Salerni, Amalphiæ, & Beneventi, ducatum Barii, Calabriæ, Brunduſii, Si-

Siciliæ, & Neapolis, aliaſque Regni urbes adquiſiviſſet, Monarchiam conſtituit, a qua omnes feuda tenentes recognoſcere ea debebant, ſervitia præſtare, relevia, & fidelitatem exhibere, ſicut conſuetudines feudales apud Nortmannos ipſos tunc temporis inductas, *prolego. cap.* 5. §. 11., quæ quum ſatis non eſſet, primum his jus ſcriptum adjunxit, Conſt. *ſcire volumus*, qua omnem feudorum inhibuit alienationem (*r*).

Ex his patet quis ſit Comes, quis Dux. Comes eſt, *qui Civitatem, vel Oppidum cum villis, territoriis, & pertinentiis, expreſſo Comitis titulo, a Rege in feudum recognoſcit*. Dux eſt, *qui regionem, vel provinciam cum iiſdem pertinentiis, ſub Ducatus nomine jure feudi poſſidendam a Rege excipit*. Hinc tam comitatus, quam Ducatus eſt complexus plurium oppidorum, atque feudorum, ſervata fidelitate, legitime facta conceſſio, Fulco Benevent. *Comes ille Jordanus Monteſuſcum aſcendit, deinde totius ſui Comitatus comprehendit Civitates, & oppida*, innuitur *in* 1. 1. *f.* 10. Proinde vetuſtiſſima apud nos invaluit conſuetudine, Comites, & Duces titulo ſubfeudi habuiſſe ſub ſe Valvaſinos, qui de Ducatus, vel Comitatus parte iveſtituram accipiebant. Hinc, antequam etiam Rogerius conſtitueret Monarchiam, quiſque propemodum Comes, & Dux ſuos habebat Barones, *ut lib.* 11. dicam. Valvaſinus, ſeu ſubvaſallus itaque eſt, *qui a feudatario, hoc eſt Comite, vel Duce de feudo inveſtituram accepit*.

A Comite, tamen, & Duce differt *Feudatarius*, qui vetuſta Regni conſuetudine, & lege ſcripta ille dicitur, *qui feudum XX. unciarum poſſidet*, hoc eſt, quod ſingulis annis XX. reddat uncias, Frecc. de *Subfeud. lib.* 2. *tit. quis dicatur feudatarius*; Andr. in Conſt. *ſi quis baro lib.* 3. 13., quod ſi tenetur in capite, hoc eſt immediate a Rege, confert nobilitatem; ſi autem ab alio, & quaternatum eſt, ut caſtrum, idem nobilitatis jus conſequitur,

(r) Noſter Rogerius ad conſtituendum jus ſanctius, aliarum Gentium conſuetudines curabat callere, Hugo Falcand. de Tyran. Sicul. *Aliorum quoque Regum ac gentium conſuetudines diligentiſſime fecit inquiri, ut quid in eis pulcherrimum aut utile videbatur, ſibi tranſumeret*.

Digitized by Google

tur, quia *quodammodo a Rege videtur teneri, illo ſcilicet reſpectu quia non aperitur illi, a quo tenetur, ſed tantum Regi, cujus eſt illud concedere, mortuo tenente ſine liberis, ut in Conſt. poſt mortem*, inquit, Andr. *in* 11. *f.*31. *n.* 14. Etſi Rex poſſit quem de prædio, aliave re inveſtire, quæ ſingulis annis centum exigat uncias, & tunc unum quoque feudum vocatur, Andr. *loc. cit.*

Baro, cujus nomen ante Regni noſtri Monarchiam notum fuit, dicitur, *qui inveſtituram de Caſtro in titulum Baroniæ a Rege ſub fidei nexu obtinuit*; vel *ſi ſubvaſallos, qui ab eo, & ſub eo teneant feuda quaternata ſecundum quid, habent, quæque integram conſtituunt Baroniam*, Conſt. *poſt mortem lib.*3. 25. Baronia enim eſt nomen Univerſitatis, plura ſub ſe continens, ſicut territorium eſt Univerſitas agrorum. Complectitur feuda quaternata *ſecundum quid*, *feuda plana*, *& de Tabula*, & Regni conſuetudine in Inveſtitura inſeritur Clauſula *cum ſubfeudis*. Nec refert an hæc feuda ſint conjuncta, an in ſeparatis locis ſita, ſemper unum Baroniæ corpus efficiunt, quia deſtinatione voluntatis Domini inveſtientis id evenit arg. *l.* 24. §. 4. *D. de Legat.* 1., Andr. *in* 11. *f.* 51. *n.* 23. *& in* 11. *f.* 5. *n.* 2. *Quid ſi in Caſtro Titii Baronis, alius Baro in capite alterius Caſtri, teneat bona Feudalia, & Vaſallos, an jurabunt Titio Baroni: qui tenent in Caſtro bona, dicit quod non ſicut videmus contineri in antiquis regiſtris Imperatoris Friderici, mandantis aſſecurari Baronem de Terra Feudali ſua ab hominibus ipſius Terræ Feudalis: exceptis illis, qui eſſent Vaſalli alterius Baronis, pro cujus feudo quod tenere in capite: & eſt ratio, quia ex quo bona, quæ tenent, ſunt de feudo alterius: ille, de cujus feudo eſt, habet juriſdictionem, & ſub juriſdictione illius eſt: par in parem non habet imperium*, ita Andr. *edit. Lipar.*

Marchionis feudalis dignitas in monumentis, & noſtris legibus non invenitur, niſi ſub Aragonenſibus. Ratio mihi videtur eſſe, quia ſub Longobardis, & Francis loca circa mare Græcis erant ſubjecta, qui feuda ignorabant. Neque ſub Nortmannis hic *liminarcha* ad tuendos ſui Imperioli limites utilis exiſtimatus eſt, cum eorum virtus ſatis eſſet. Sub Alphonſo I. pauci erant Marchiones, P. Janno. *H. C. R. N. lib. XXVI. cap.* 7., de iis primum mentio occurrit in pragm. Ferdinandi I. An. MCCCCLXVI. Sicut & *Ducis* titulus ſub eodem Alphonſo I. primum videtur audiri, qui hodie non modo iis, qui a Rege ſub Ducatus jure

Digitized by Google

feuda tenent, tribuitur, ſed & Primogenito Invictiſſimi Regis noſtri, qui *Dux Calabriæ* nuncupatur.

Principis nomen ſub Longobardis initio feudale non erat, poſtea ſub nexu Fidei ab Occidentis Imperatoribus cœpit recognoſci. Atque inſtituta a Rogerio Monarchia, Principatus Salerni, Capuæ, Beneventi, & Taranti, filiis Regis etiam jure feudi concedebantur. Sub Andegavenſibus filius maximus Regis vocabatur *Princeps Salerni*, qui poſtea *Dux Calabriæ* appellatus eſt. Ex his conſtat feudales Dignitates apud nos eſſe Ducatum, Comitatum, Baroniam, Subfeudum, & Principatum; quænam ex iis dignior ſit, vid. P. Ludevig. *lib.* 1. *jur. Public. Opuſc. IV. cap.* 3., M. Frecc. *de Subfeud. lib.* 2. Ac proinde univerſa Regni Neapolit. terra, & Regio fere ſub fidelitatis, & hominii vinculo, paucis exceptis, quæ regii juris ſunt, poſſidetur; & jus allodii infractum propemodum eſt, ut de Aquitania dixit Alteſer. *Rerum Aquit. lib.* 3. *cap.* 17.

Multitudo hujuſmodi Vaſallorum, quos jus noſtrum ſæpe ſub *Baronum* appellatione comprehendit, ex tribus cauſſis profecta eſt, (1) *Liberalitate Regis*, qua magis Vaſalli augetur fidelitas; ut defuncto Gulielmo Siciliæ Rege, ejus Filius Gulielmus ſucceſſit, qui ad alliciendum Populi, & Baronum animum, *Eccleſiis, Comitibus, Baronibus, Militibus terras multas regia liberalitate donavit. His autem, & plurimis aliis beneficiis totius populi ſui animos in Fidelitatem, & dilectionem filii ſui vehementer accendit, ita quod de fidelibus fideliores, & de devotis devotiores effecit*, inquit, Romuald. Salern. *in Chron.*, dixi in *prolego. cap.* 5. §. 14. Ita & Rogeri. Rex Neapolim petens, jure feudi *donavit inſuper unicuique militi quinque modia Terræ & quinque villanos & promiſit eis, vita comite, munera multa, & poſſeſſiones largiturum*, inquit, Falco Beneven. *in Chron. in fin. ubi Peregrin.* (2) *Neceſſitas, & pecuniarum inopia*, qua noſtri Reges propter bellorum aſſiduitatem laborabant; Ita ævo Philippi II. qui, quum in Hiſpania, & Italia frequentibus eſſet bellis detentus, militibus vix ſtipendia ſolvere potuerat. Hinc vectigalia, tributa, titulos, honores, & feuda parvi vendebat, ut pecuniam contraheret, Thuan. *Hiſt. lib.* 51. edit. Londin. *Bellis ſuperioribus ſub Carolo parente geſtis Philippus, patrimonio omni, portoriis, vectigalibus divenditis, & oppignoratis, cum Italis, quibus ingens æs alienum debebat, vicis, & pagis, quos creditores ſui in Sicilia,*

Digitized by Google

cilia, & Neapolitano Regno poſſidebant, Comitatuum, Principatuum & hujuſmodi titulis ornatis, nullo pretio dato, tranſegit. (3) *Merita* Vaſalli vel domi, vel militiæ adquiſita, ex quibus propria deſcendit feudorum origo, vid. *Prolego. cap.* 5. §. 14. De Vaſallis vero aliarum ditionum vid. Smith. de *Republ. Anglo. lib.* 1. *cap.* 17., Antun. *de Donat. Reg. lib.* 1. *cap.* 6. §. 11. Laet *in deſcrip. Hiſpan. cap.* 16.

§. VI.

De Ætate, qua Feuda evaſerint hereditaria.

OMnis Ducum adminiſtratio, omnis Comitum judiciaria poteſtas, aliorum Vaſallorum præfectura in Provinciis, & urbibus a nutu Principis dependebat, precaria erat, nunquam ad hæredes ſive ſuos, ſive extraneos tranſiens. Et quidem (1) voluntas, & arbitrium Inveſtientis regula fuit hujuſmodi Dignitatum, quas, ut lubet, auferre potuerat (2) hæc feudalis conceſſio ad annum uſque porrecta eſt, quæ hodie in feudis Guardiæ, & Gaſtaldiæ viget 1. *f.* 2. (3), donec Vaſallus viveret, inſtar uſusfructus cepit permitti, uti videre eſt in feudis Habitationum, Soldatæ, atque Advocatiæ 1. *f.* 1. §. 1., 1. *f.* 14., 11. *f.* 10., 11. *f.* 27. (4) propter Patris merita, vel majorem Principis liberalitatem, vel juſtam Defuncti adminiſtrationem ſucceſſio ad filios extendi viſa eſt, 1. *f.* 1. §. 1. ut, jure francorum ſi individua maximus ſtirpis, jure Longobardorum ſi divida eſſent, omnes æqualiter filii ſuccederent. Conradus Salicus in feudis paternis Nepotes, & Defuncti fratres admiſit.

Denique uſurpatione inductum eſt, hanc clientelarum ſucceſſionem ad ſeptimum uſque gradum concedi, atque extendi, Camer. *in* 1. *f.* 7., Struv. *S. J. F. cap.* 9. *A.* 1., de qua M. Freccia *lib.* 11. *de ſubfeud. tit. quis dicat. Comes*, recte ſcribit, *Iſta uſurpatio fuit meritum Comitum inveſtitorum, per quod hæres Filius admittebatur ad ſucceſſionem ſine nova inveſtitura, & ex uſu ſic tolerato fuit inducta conſuetudo ſuccedendi: viſum fuit rationabile, filium admittere ad Comitatum patre mortuo, cum ex paterna inveſtitura ipſe videretur inveſtitus, text. ſingularis in capit. primo de feudo Marchiæ, ibi per inveſtituram patris, & vivente pa-*

patre jam erat Comes ſpe, & opinione, poſt patris mortem, ipſum excludere videbatur filius injuria affici, cum reputabatur indignus, & ad paupertatem devenire, de ſumma opulentia, quæ erat in Comitatu ſine ſui culpa: Fuit hæc uſurpatio rationalis pro merito inveſtiti, & pro alliciendis militibus ad ſerviendum, ut eorum Filii in hoc Comitatu ſuccedant, in quibus præſumitur eadem fides, & induſtria, quæ erat in patre text. ſingularis in l. ſciendum §. legati de legat. Proinde univerſa ſuccedendi ratio, & hereditaria in feudis conditio innititur quattuor potiſſimum cauſſis, merito, & rectæ adminiſtrationi Vaſallorum, uſurpationi, id eſt tacitæ Principum voluntati nimis equidem politicæ, ut *in prolego. cap. 5.* §. 14., & eorundem Principum liberalitati, Nicol. Cuſan. *lib. 3. De Concordia Cathol. cap.* 28.

Inſpiciendum tamen eſt, quanam ætate feudis hereditaria cepit inhærere proprietas? V. Cl. Mabilon. *de Re diplomat. lib. 3. cap. 1. n. 6.* canonem ſtatuit, omnia diplomata, in quibus Ducatuum, & Comitatuum hereditariæ qualitatis mentio occurrat, ante Carolum ſimplicem in Gallia, & Henricum Aucupem in Germania, falſa omnino eſſe; & *n. 7.* inquit, *de Comitibus hic ſuperadde eos ſaltem à Caroli ſimplicis principatu in jus hereditarium ſucceſſiſſe; nec ante id tempus memini legere Comitiſſæ vocabulum, niſi in duobus locis. Primus eſt in bulla Joannis VIII. pro Cœnobio Avianenſis: alter eſt in litteris Avæ Comitiſſæ pro Rivipullenſi, his verbis,* quæ ibi refert. Carolus ſimplex floruit ſeculo IX. an. 893.

At Franc. Connan. Commen. jur. Civil. *lib.* 11. *9. n.* 5. ab Hugone Capeto petiit. Revolvendo annales, inquit, *quiſque cognoſcet, Ducatus, Comitatus, & Baronias, quas vocamus, muneris, & adminiſtrationis olim fuiſſe, non patrimonii nomina, revocarique potuiſſe, cum liberet Principi. Certe quidem ad heredes Ducum, & Comitum non pertinuiſſe. Primus Hugo Capetus ad conciliandos, retinendoſque ſibi Procerum animos, quorum opera Regum Franciæ nullo jure occuparat, has, quæ temporariæ erant Dignitates, fecit perpetuas: atque ita deinceps reliqua feuda tranſierunt ad heredes, dum tamen, ut diximus, milites eſſent, hoc eſt nobiles: nobiles enim militum nomine, & privilegio utuntur;* Bulenger. *de offic. Regn. Gall. tit. de Ducibus*, Alteſer. *de Ducibus lib.* 1. *cap.* 4. Hugo inunctus eſt Rex ſeculo etiam IX. an. 987. quinto nonas Julii.

Hæc

Digitized by Google

Hæc Mabillonii, & Connani theſis ſatis mihi arridet: etenim ante Carolum ſimplic., & Hugo. Capet. proſtant exempla feudorum hereditariæ ſucceſſionis, ſed Principis voluntate; unum affero ex Regino. *in Chron. lib.* 11. edit. Piſto. *Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXLIX. Waldo Epiſcopus Curienſis obiit, cui Hardbertus ſucceſſit. Uto Comes obiit, qui permiſſu Regis, quicquid beneficii, aut præfecturarum habuit, quaſi hereditatem inter filios diviſit*; Fatendum tamen eſt ſub laudatis Regibus illud ſuccedendi jus dubium, atque incertum evaſiſſe exploratum, & univerſale, ut in omnibus feudis ſucceſſio admitteretur. Quæ juris conſtitutio ex negligentia Caroli ſimplicis, & Hugonis Capeti injuſta Regni propemodum occupatione deſcendit.

Sub finem enim dominationis Caroli, Ducum adminiſtratio, & Comitum fere precaria erat, & incerta ſucceſſionis ratio; ſed deinde jure Dominii provincias, & urbes ſibi vindicarunt, Odo Cluniac. *in vita S. Gerardi lib.* 1. *cap.* 32., & tanquam Reguli, merum, mixtumque imperium, non quaſi ſibi mandatum, ſed jure proprio exercebant, Roye *Opuſc. de Miſſis Domin. cap.* 7. Duces ſub Capeto de Rege parum erant ſolliciti, qui inhoneſtis artibus, vi, & armis in Regnum irrepſerat. Et poſteriores Reges in his ducibus deinde profligandis plurimum laborarunt; donec pleraque Galliæ nobilitas tempore ſacri belli fuerit diminuta; quo Galliam Reges ſummo jure ceperunt tenere.

Agendum nunc de ætate ſucceſſionis feudorum in Italia, & Regno Neapolit. Nonnullis viſum eſt ſub Longobardis Ducatus, & Comitatus jure hereditario non fuiſſe obtentos, ſed tantum ſub Imperio Francico. Male: Paul. Diacon. *de Geſtis Longobar. lib.* 4. *cap.* 40. ſcribit, *Mortuo Giſulfo forojulienſis Duce, & Cacco, filii ejus eundum ducatum regendum ſuſceperunt*. Et Auctoris III. Italiæ Rex poſt decem annorum interregnum electus, cum omnem Ducibus reliquiſſet auctoritatem, vindicato tantum ſibi *jure ſuperioritatis*, licet ducatibus ſpoliare, uti lubet, poterat, tamen ſi aderat legitimus ſucceſſor, nunquam eos privabat, niſi aut extincta maſculorum ſtirpe, aut Felonia, aut incapacitate Pancirol. *lib.* 1. *Varia. Lect. cap.* 90. *Is* (Auctaris) *Ducibus urbes, dominio ſupremo ſibi reſervato, conceſſit, quas ad ſtirpem virilem tantum tranſmitti voluit*; Sigon. *de Regn. Ital. lib.* 1. Quamvis hæc ſuccedendi facultas nulli juri, aut rationi niteretur, ſed conſuetudo erat ob merita Patris ſæpe filios admittendi non ſolum Prin-

cipis

Digitized by Google

cipis indulgentia, ſed etiam populi voluntate; & proinde dici non poterat *civilis ſucceſſio*, ſed *incerta*, atquę in ſuſpenſo, donec ſeculo IX. declinante Ducatus hujuſmodi, & Comitatus proprie hereditarii evaſerint, Anonym. *in Tabul. Geograph.* ſect. X. & Blond. *Ital. Illuſtr. in Marchia Tarviſina*, inquit, *Longobardi in ea Italiæ parte maxima, quam obtinebant regiones habuerunt quatuor e ducibus adminiſtratas; in quibus nullum ſucceſſionis jus filiis, & Nepotibus competebat, Beneventanam, Spoletanam, Taurinenſem, & Forojulienſem: duaſque opulentia, & amplitudine ſuperioribus pares Anconitanam, atque Tarviſinam eſſe voluerunt ea affectas legis conditione, ut quod Regum, aut Gentis longobardorum Concilii permiſſione, & decreto impetraſſet; eas filiis, & agnatis ſucceſſione poſſidendas relinquendi jus, facultatemque haberet* (*s*).

Inſtituto & Beneventano Ducatu, initio nullum fere ſucceſſionis veſtigium in Gaſtaldiis, & Comitatibus, in quos diviſus erat, debatur; ſed has dignitates Beneventani Duces iis conferre ſolebant, quos fidelitas, meritum, & juſtitia commendavit, etſi precario, ut dubios in adminiſtrando tenerent, donec ad ſucceſſionem filii ſunt invitati præſertim ſeculo IX. & X., ut ex Pratillo *in prolego. cap.* 5. §. 8. probatum eſt, Janno. *H. C. R. N. lib.* 6. *cap.* 1.. Et cum hic Ducatus in tres eſſet ſciſſus Dynaſtias Principatum Salerni, Capuæ, & Beneventi, Deſcendentes, & non raro Collaterales ſuccedebant; ſicut Landulfus *ante diem obitus ſui Capuam trium fratrum ſuorum filiis ita diviſit, ut omni tempore inter eos gladius rixæ nunquam abeſſet*, Heremper. in *Epito. Chron.* Sæpius Populi conſenſus etiam intererat, ut idem Heremp. de Radelchiſio ſcribit, *Decedente itaque Sicardo ab hac luce corporea, Radelchiſius principatus regimen ſuſcepit, Theſaurarius prædicti viri, in cujus electione omnis Beneventi provincia conſenſit, quod vir eſſet blandis, ac bonis moribus pollens*.

Præterea, quum Nortmanni plures Græcorum regiones, & Longobardorum adepti eſſent dominia, quiſque Dux, & Comes ſuam

(s) Romual. in Chron. exemplum refert ſucceſſionis *Anno MXXX. indi. XIII. Joannes Princeps Salerni defunctus eſt anno principatus ſui LVII. & ſucceſſit ei Guaymarius filius ejus*.

Digitized by Google

ſuam Dynaſtiolam non jure ſeudi, ſed allodii poſſidebat, in quibus teſtata, atque inteſtata admittebatur ſucceſſio tam in deſcendenti, quam collaterali linea, ſicut & exheredatio obtinuit (*t*); Malater. Hiſto. *Sicul. lib.* 1. *cap.* 15. de Hunifredo loquens ait, *Duos itaque fratres ſuos Comites fecit: Malgerium Capitinata, Gulielmum vero in principatu. Sed Malgerius moriens cum omnem Comitatum ſuum Gulielmo fratri ſuo reliquiſſet, Gulielmus Gaufredum fratrem ſuum diligens ſibi conceſſit.* Leo Hoſtien. *lib.* II. *cap.* 67. *in chron.*, adquiſita a Nortmannis Apulia, & in Comitatus diviſa, narrat, *Hoc itaque modo a Nortmannis adquiſita Apulia eſt. Mortuo igitur Comite illorum frater ipſius Drogo illi ſucceſſit, & iſto quoque occiſo, Humfridus defunctorum frater Comes effectus eſt, atque poſt eum Robertus*, (farter ipſorum) *qui & Viſcardus, qui non ſola contentus Apulia; ſed Calabriam quoque totam, & univerſam ſibi ſubjugavit Siciliam* (*u*). Alterum luculenter affert exemplum Falco Beneven. *in Chron.* de Rogerio Comite, ex progenie Roberti Guiſcardi Ducis, Rogerii Ducis, & Gulielmi deſcendente, merito petiit ſucceſſionem in Civitate Salerni. Ex hac tamen Rogerii ſucceſſione conſtat etiam populi conſenſum explorandi moris fuiſſe, qui violentiæ cedebat. Exemplum exhæredationis eſt apud Alexand. Teleſin. *lib.* II. *Hiſtor. cap.* 38.

Conſtituta autem a Rogerio Monarchia, quiſque Dux, Comes, & Baro non amplius jure allodii, ſed feudi territoria, & Ci-

(t) Omne enim quod bello adquirebant ſive pronuncias, ſive Civitates, ſive territorium eſſet inter ſe partiebantur. Quamvis illam partem cuique conceſſam jure feudi ſecundum Longobardorum leges in Italia tunc regnantes inveſtire permiſſum eſſet; & vaſallos adquirere.

(u) Et Romuald. *in chron.* ſcribit, *Anno MLI. ind. IV. menſe Auguſti Drogo Nortmannorum Comes defunctus eſt; fuitque vir egregius, pius, ſtrenuus, atque famoſus, qui propter animi manſuetudinem, & juſtitiæ ſervatam æquitatem a cunctis eſt dilectus. Cui Gofridus frater ejus Nortmannorum Comes ſucceſſit, tenuitque poteſtatem ipſius honoris per annos VII.*

Digitized by Google

Civitates tenebat, primuſque de feudis apud nos leges tulit, ſed non de ſucceſſione. Primus enim, qui de ſucceſſione feudali ſanxerit apud nos fuit Frid. II. Conſt. *ut de ſucceſſionibus lib.* 3. 27. Conſt. *in aliquibus eo.* 26., *in prolego. dictum eſt cap* 5. §. 11. His itaque gradibus, & temporum diverſitate clientalis crevit poſſeſſio, quæ hodie tam apud nos, quam exteros maximam, & merito nobiliſſimam juris partem conſtituit.

§. VII.

De his, qui ſunt ſui, vel alieni juris.

SEquitur de jure perſonarum alia diviſio. Nam quidam Vaſalli ſunt ſui juris, quidam alieno juri ſubjecti. Sui juris dicuntur Patresfam., pupilli, & minores, defuncto eorum patre. Pupillus enim & minor diverſo reſpectu poteſt eſſe ſui juris, & non eſſe; eſt ſui juris inſpecta poteſtate patria, qua ſolutus eſt; non eſt ſui juris inſpecta tutoris auctoritate, ſine cujus arbitrio nihil agere valet, ut D. Paul. *ad Galat. cap.* 4. 5. 1. *Quanto tempore heres parvulus eſt, nihil differt a ſervo, cum ſit dominus omnium; ſed ſub tutoris, & actoribus eſt, uſque ad præfinitum tempus a Patre*. Alieni juris exiſtimantur filiifam. propter Patris poteſtatem, ſervi Domini imperium, (*x*).

In

(x) Hæc perſonarum diviſio, declinante R. Imperio, etſi fuerit retenta, tamen magnopere eſt porrecta; Nam, Germani invenerunt *colonos*, *& homines proprios*, in quibus herile fere exercebant dominium, licet non in omnibus Germaniæ populis æquale. Hujuſmodi nubere vel domicilium mutare, vel teſtari ſine Dominorum venia non poterant, proprio ære agros Domini colere, ut in Holſatia, Weſtphalia, ceteriſque Germaniæ Dynaſtiis, de quibus late joan. Angeli. *tract.* 11. *de Rebuſpubl. Hanſeac. lib.* 1. *cap.* 5., Bodin. *de Republ. lib.* 1. *cap.* 5. Præterea Civitates, Eccleſias, Oppida, Familias, & provincias ſub mundio, ideſt tutela habebant, ut videre eſt apud *Mager. de Advoc. arma.*

Digitized by Google

In conſtituenda Hominis ætate, & jure patriæ poteſtatis Romana Nomotheſia a Longobarda, & aliorum magnopere differt. Minor jure Romano dicitur uſque ad annum XXV. jure autem Longobar. alia eſt ætas ad contrahendum, alia ad nubendum, alia ad conſenſiendum. Ad contrahendum eſt XVIII. an. quæ dicitur ætas minor, ante quam dicitur infantia. In hac enim legitima conſtitutus ætate tam per ſe, quam per procuratorem poteſt agere, ex lege Luitprandi in *lib.* 11. *LL. Longobar. tit.* 29. *l.* 2. *&* 1. *Hoc proſpeximus ut intra X. & VIII. annos non ſit legitimus Homo ad res ſuas alienandas, excepto, ſi pater debitum dimiſerit, habeat poteſtatem una cum notitia Principis terræ ipſius tantum de rebus ſuis dandi, quantum debitum ipſum fuerit, ut ei major indemnitas propter onera ſolidorum non accreſcat. Et in nonodecimo anno* (id eſt tranſactis XVIII. annis) *homini Longobardo ſit legitima ætas, & quodcumque fecerit, vel judicaverit de rebus ſuis ſtabili ordine debeat permanere.* Etſi ante hanc ætatem cauſſa mortis ex eadem lege valeat pro anima ſua *judicare* hoc eſt diſponere.

Ætas autem legitima ad nubendum in maſculo eſt XIV. an., in fęmina XII., ex conſtit. Luitprandi *in lib.* 1. *LL. Longobar. tit. VIII. l.* 9: & Rotharis *in lib.* 11. *eo. tit.* 1. *l.* 10. ſanxit. *De puella, unde jam antea diximus, ut non ante* 12. *annos legitima ſit ad maritandum; ita ſtatuimus, ut non intrante ipſo* 12. *anno, ſed expleto, ſit legitima ad maritandum*, Carolus de Tocco ad *d. l.* 9., Andr. de Barulo *Comment. in Longobar. LL. tit. IV.*, quod & jure Romano ſtatutum prius erat *l.* 4. *D. de Ritu Nuptia. l.* 24. *C. de Nupt.*, Macrob. *VII. Satur. cap.* 7. *ſecundum jura publica duodecimus annus in fęmina, & quartus decimus in puero definit pubertatis annos.* Tunc enim mas vocatur *veſticeps*, fęmina *viripotens*, quia poteſt *muliebris patientiæ legem* accipere, ut, inquit, *Petroni.*, & *Ezech. in cap.* 16. *v.* 7. *pervenire ad mundum muliebrem*, hoc eſt ad *pubertatem*, ubi Groti. Clari., & Druſius.

Denique ætas jure Longobar. ad conſenſiendum eſt XII. an. ex lege Rotharis *lib.* 11. *LL. Longobar. tit. XIV. l.* 3. *Nulli ſit licentia naturales filios æquales, aut conſimiles facere legitimis filiis, niſi filii legitimi poſt completam legitimam ætatem, patri conſenſerint: legitima autem ætas eſt poſtquam filii duodecim annos habuerint.* Si itaque filius velit alienare, requitur an. XVIII. completus, ſi vero velit patri alienanti conſentire, ſatis eſt an. XII.,

Digitized by Google

quum poſſit quis conſentire in id, quod principaliter agere nequit *l.* 37. §. 1. *D. ad Trebell. l.* 2. *&* 22. *D. de Manum. Vindi.*

Jure Regni ante Svevos ſuſpicari poſſimus apud nos viguiſſe legem Luitprandi, quam Frid. Svevus in Conſt. *minorum jura lib.* 11. 42. retinuit, nempe tam in maribus, quam fęminis minorem ætatem eſſe XVIII. an., quo completo *ipſos tam in contractibus quam in judiciis, & in omnibus perfectæ ætatis volumus reputari*; & in Conſt. *in aliquibus lib.* 3. 26. Quæ ætatis definitio in minoribus allodialibus intelligitur: nam in iis, qui feuda tenent, major ætas eſt annus XIV. expletus, ſive mares ſint, ſive fęminæ. Hinc in d. Conſt. *minorum* recte Liparulus ad Andr. *in* 11. *f.* 55. *n.* 28. advertit deficere illa verba *exceptis nobilibus feuda habentibus, qui cum balio careant, ab anno XV. erunt majores*, Franch. *dec. DCL. n.* 3. Hodie in Vaſallo, & Burgenſi *ex* ~~*Prag.* 11. *de minor.* minor ætas durat~~ uſque ad an. XVIII., quo elapſo, tam in judiciis, quam extra, ſicut & in contractibus major cenſetur, & ceſſat Baliatus; niſi ſit fęmina, quæ, ſi poſt an. XII. nubat, etſi ad legitimam non pervenerit ætatem, etiam exit a poteſtate Balii; Marad. *Singul. CCXXXII.*, atque ſi ante matrimonium læſa fuerit, valet petere reſtitutionem intra quadriennium poſt matrimonium; & læſa poſt matrimonium, a die læſionis currit quadriennium, Rovit. *ad d. Pragm.* 11. (*v*)

Sequitur inſpicere de patria poteſtate propter filios Vaſallos. Scitum omnibus eſt jure Quiritum maximam fuiſſe, ſicut & aliarum Gentium patriam poteſtatem; *Sed jure Longobardo filius non eſt in poteſtate patris, ſed in patrisfamiliàs: ut no. Carol. in Longob. de præſc. præ. l. inter fratres. Et concordat jus Longo. cum jure francorum, qui non habent liberos in poteſtate, ſed prorſus abſo-*

(*v*) Minorennitas varia apud Gentes viguit. Gothi, ſpreto annorum numero, ex viribus corporis æſtimabant. Sicut Hebræi, inſpecto corpore de ætate judicabant, Groti. *ad cap. XIV. v.* 7. *Ezech.* Perſæ XXVI. an., Germani, Franci, Nortmanni, Saxones, Svevi, Angli, & Bojoarii XXI. an., Longobardi, ex Neapolitani XVIII., ut probatum eſt ab Heinec. *Elem. Jur. Germ. lib.* 1. *tit. XV.* §. 337. Lyncker *ad Huberum de jur. Civit. lib.* 11. *c.* 5. §. 3. nec tutelam a cura diſtinguunt.

Digitized by Google

abſolutos, *ut no. Inſtit. eo. tit. Sunt & aliæ gentes, quæ habent filios, ut ſervos, & eos vendunt, ut ſunt Dalmati, alias Sclavoni, ut ibi no. Ex quo ergo de jure Longob. Filus non eſt in poteſtate, ſequitur, quod ubicumque jus Longob. obſervatur, quicquid adquirit filius, ſibi adquirit, quoad proprietatem, & quoad uſumfructum*, inquit, Andr. de Barulo *Commen. in LL. Longob. tit. VIII. l.* 12., ubi Carol. de Tocco V. *commutationem LL. Longob. lib.* 11. *tit.* 35.

Ex his ſolvitur quæſtio, an feudum conceſſum filio adquiratur patrii? minime: ratio cur filius adquirit patri eſt, quia in ſacris paternis reperitur; ſed jure Longob. a quo orta ſunt feuda, poteſtas patria ignota eſt. Immo etſi filius eſſet in poteſtate patris, feudum ei conceſſum, ne patri quidem adquireretur, quia feudum eſt inſtar peculii caſtrenſis, quod totum eſt filii, cujus uſusfructus ſi patri eſſet, Senior non poſſet exigere ſervitium a nudo utilis dominii poſſeſſore. Nam ad ſervitium, fidelitalem, adoham, relevium, adjutoria, alia feudorum onera non pater, ſed filius tenetur, Oſual. *ad Donel. lib. X. cap.* 3., H. Piſtor *lib.* 11. *QQ. XIII. n.* 21., Andr. *in* 1. *f.* 1. *n.* 13. Conſtant. *ad l.* 1. *C. de fili. Offic. n.* 57. Bilocta *concl. feud. cap.* 11. *n.* 2. Denique hodie jus patriæ poteſtatis non modo jure feudali ſed etiam in alode in deſuetudinem abiit Groenewe. *de LL. abrog. ad tit. Inſt. de Patr. poteſt.*, Wiſſenbac. *de differt. theo., & prax.* 9.

T I T. III.

DE TUTELIS.

§. VIII.

De Tutela Vaſallitica.

ALtera perſonarum diviſio eſt, ut ex his, qui in patria poteſtate non ſunt, quidam *ſub tutela vivant*, *quidam in curatione, alii neutro jure tenentur*. Inſpiciendum, qui ſub tutela, & curatione ſunt. Et primo tutela eſt *vis, ac poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem ſe defendere nequit, jure civili data, ac permiſſa*: quæque triplex eſt teſtamentaria, dativa, & legitima, in re feudali ſatis cognita.

Teſtamentaria dicitur poteſtas parentibus permiſſa, filiis impuberibus, quos in ſuis habent ſacris, tutorem dandi, Q. Mucius in *l.* 73. *D. de R. S.*, *l.* 120. *D. de V. S.*, *tot. tit. D. & C. de Teſtam. tut.*, inde Vaſallus ſuo filio impuberi tutorem, ſeu mundualdum teſtamento dare poteſt. Nec obſtat feudiſta *in* 1. *f.* 8., qui, docet nullam eſſe de feudis teſtamenti factionem, *nulla ordinatione defuncti in feudo manente, vel valente*. Nam feudiſta loquitur de ſucceſſione feudi, quam Vaſallus teſtator prohibetur intervertere, atque ab inveſtitura initio clientelæ peracta, & conventa diſcedere. Tutela teſtamentaria infirmum reſpicit impuberis judicium, atque immaturam ætatem, quæ diſtincta prorſus eſt a ſucceſſione & poteſt eſſe tutela, & abeſſe ſucceſſio, ut filio exheredato conceſſum eſt tutorem dari *l.* 4. *D. de Teſtam. tutel.*, Scrad. *P. X. ſect.* 19. *n.* 7., Roſent. *cap. XII.* 10. *n.* 11.

Plena igitur eſt patri facultas in ultima voluntate feudalem pupillo conſtuendi tutorem; ſive hic teſtator Comes ſit, Baro, Marchio, Dux, ſive ſupremus Princeps, qui ſupra ſe nullum recognoſcit, modo regnum fuerit patrimoniale, cujus tutelam, aut pater, aut propinqui eligunt. Ita de Ptolemæo Ægypti Rege ſcribit Valeri. *lib.* 6. *cap.* 6. 1. *Cum Ptolemæus Rex tutorem pop. Rom. filio reli-*

quiſ-

Digitized by Google

quiſſet, Senatus M. Æmilium Lepidum bis Coſſ. ad pueri tutelam gerendam Alexandriam miſit. Porro regnum patrimoniale cenſetur tanquam Regis allodium; ſecus ſi eſt uſufructuarium de cujus tutela non ſummus Imperans, ſed lex publica, & ea deficiente, populi conſenſus diſponit, Grot. *de J. B. & P. lib.* 1. *cap.* 3. §. 15. Sic Regnum Pyrrhi devenit ad Arymbam, *cui quoniam pupillus, & unicus ex gente nobili ſupereſſet, intentiore omnium cura ſervandi ejus, educandique publice tutores conſtituuntur*, teſte Juſtino *lib.* 17. *Hiſto.* Mortuo Antiocho Syriæ Rege, relicto parvulo admodum filio populus tutorem creavit, Juſtin. *lib.* 34. *Hiſto.*

Nec refert, an tutor extraneus ſit, an feudalis conditionis *l.* 1. *C. de Tut. & Curat. Illuſt.*, exemplum eſt apud Lunig. *in Ital. Diplom. an.* 1330. *to.* 3. *p.* 984. ubi Philippus de Sabaudia Princeps Achajæ in teſtamento dedit filio ſuo Jacobo, & ſuis poſtumis, *Tutricem, & Curatricem Dominam Catharinam eorum matrem, liberans, & abſolvens eandem a confectione inventarii, & ratione reddenda, volens, & jubens, ipſam Dominam Catharinam gerere, & adminiſtrare dictam tutelam, & curam cum Conſilio. Item inhibuit dictus Teſtator expreſſe, quod predicti heredes, ſeu tutrix, & Conſiliarii per ſe, vel alias ſubmiſſas perſonas directe, vel indirecte poſſint vendere, donare in feudum de novo, vel in emphytheuſim perpetuam, vel ad tempus concedere, obligare, vel ſub quovis alio vocabulo alienationis, in aliquam perſonam transferre aliquam rem, ſeu res immobiles, jura, dominia, ſive actiones, ad ipſum teſtatorem, ſeu heredem ſuum, ut ſupra pertinentia quomodocumque &c.* Aliam Chartam refert idem Lunig. *to.* 11. *cap.* 15. *p.* 190. Et quoniam tutor præcipue datur perſonæ, & acceſſorie rebus: hinc valet adminiſtrare & perſonam pupilli, & bona ſive allodia ſint, ſive feuda §. 17. *g. de Excuſat. tuto.*, etſi pater poſſit unum tutorem in alode, alterum in feudo creare: quum bona quæ diverſo jure regantur, & diſtinctis ſubjaceant juriſdictionibus, diverſum habere valeant tutorem *l.* 15. *D. de teſtam. tut.*, conſ. Sam. Stryk. *to.* 7. *oper. diſput.* 12. *cap.*

Jure Romano poteſtas dandi tutorem filii impuberibus patri dumtaxat competit ob vinculum patriæ poteſtatis, non autem matri, quæ nullum jus in filios jactitat; atque ſi ab ea datus ſit, confirmabitur decreto prætoris, modo liberos inſtituerit heredes *l.* 4. *C. de Teſtam. tut. l.* 1. *D. h. t. l.* 1. §. 1. *D. de confirm. tut.*,

Digitized by Google

tut., quia mater dat tutorem magis in rem, quam in perſonam; pater magis in perſonam, quam in rem; proinde pater etiam filio exheredato dat tutorem, non mater *l.* 1. §. 1. *D. de confirm. tuto.*, Noodt *ad tit. D. de teſtam. tut.* At moribus quorundam populorum mater poteſtatem habet in filios, eiſque tutorem dat, Lex Wiſigoth. *lib.* 4. *tit.* 2. §. 13. *Patre mortuo filii in matris poteſtate ſubſiſtant*; ceterique Germaniæ populi, quibus, conſtante matrimonio par erat utriuſque conjugis in liberos poteſtas: & jus alterius præmortui ſuperſtiti accreſcebat: Lex Burgund. *tit.* 59. *Si mater nubere, electa caſtitate, diſtulerit filii cum omni facultate in ejus ſolatio, & poteſtate conſiſtant*; Lex Baiwar. *tit.* 14. *tit.* 6. & 7. §. 1., nec pupillus dicebatur, niſi patre, & matre orbatus. Si itaque matri, abrogato jure Rom. poteſtas erat in filios, poterat eis tutorem conſtituere, præſertim cum & hodie in feudali re patria poteſtas omnino taceat: quare ſive habeat, ſive non in filios poteſtatem, ſemper Vaſallo impuberi dat tutorem. P. Ludewig. *lib.* 4. *differ. jur. Rom. opuſc.* 4. *differ.* 1., Grot. 1. *manud.* 7. *n.* 14.

Tantum de teſtamentario tutore; quo deficiente, ſequitur legitimus, lege ideſt XII. tabb. ita providente *l.* 1. & 5. *D. de legit. tut.* (z) Jure veteri Rom. matri nullum jus in liberos, non ſucceſſio, non auctoritas; jure autem noviſſimo datur tutela filiorum, excluſis agnatis, & cognatis *auth. matri C. quando muli.*, ſicut & jure Germano ſtatutum eſt, modo ſecunda vota non petierit, Lex Burgund. *tit.* 59. & 85., Wiſigoth. *lib.* 4. *tit.* 3. §. 3., tam in allodio, quam in feudis, ut Vidua Adolphi II. Comitis Holſatiæ an. 1164. a Slavis occiſi, *Cometiam Holſatiæ, Sturmariæ, & Wagriæ adminiſtrabat cum filio adhuc tenello*; Helmod. *Chroni. Slav. lib.* 1. *cap.* 7., nec hodie, moribus populorum, opus eſt renunciatione S. C. Vellejani, Wiſſenba. *ad l.* 1. 2. & 3. *C. quando mulier.*, ſed tantum inventario, Lex Wiſigoth. *lib.* 4. *tit.* 2. §. 3.

(z) Ita de Baliatu Conradini, quem repudiavit Marchio Bertoldus de Honebruch, & accepit Manfredus, ſcribit Nicol. Jamſil. de Rebus Geſt. Frider. II. *Ceſſat ergo teſtamentarius tutor, aut balius, ut legitimo fiat locus, cum teſtamentarius vel tutelam animo non ſuſcipit, vel ſuſceptam inutiliter gerit, aut deſerit.*

Digitized by Google

§. 3. *Si patre mortuo in minori ætate filii relinquantur, mater eorum tutelam, ſi voluerit, ſuſcipiat. Si tamen in viduitate manſerit, & inventarium fecerit. Quod ſi mater alium acceperit maritum, & aliquis de filiis venerit ad XX. annorum ætatem: ipſe juniores fratres babeat in tuitione. Quod ſi omnes cognati deſint, tum datur tutela matri, inventarium a duobus, vel tribus teſtibus ſubſcribatur.* Excepta enim teſtamentaria, mater omnibus præfertur tutelis, Lex Burgund. *tit.* 85. *Si mater tutelam ſuſcipere voluerit, nulla ei parentela præponatur*, ut apud Svevos, Polonos, ceteros juris eſt; non propter *ſucceſſionem* in feudis, ſed propter *amorem*: ſive pupillus ſit Comes, Baro, Marchio, ſive ſupremus Princeps, & diverſi generis bona poſſideat, modo capax ſit, a tutela mater repellenda non eſt, Scrad. *loc. cit. n.* 24.

Mater vero, vel avia, vel proavia ſi non adſit, aut nolit filii tutelam ſuſcipere, aut legitime excuſatur, excluſis cognatis, agnati tantum proximiores admittuntur, quia iis dumtaxat feudorum aperienda ſucceſſio II. *f.* II. §. *proles*, II. *f.* 50, ex regula juris, *eo tutela redit, quo bereditas pervenit, l.*73. *D. de R.J.* non quia hereditas eſt propter tutelam; ſed tutela propter hereditatem defertur. Agnatos conditio clientelaris invitat ad ſucceſſionem, ſeu feudalem hereditatem, non cognatos, niſi aliter pactum, vel conſuetudo ſuadeat: tunc iis ratio juris negare nequit tutelam, & locum habet *Nov.CXVIII. cap.*4., qua tutela inter agnatos, & cognatos defertur. Nec tamen quilibet agnatus ad tutelam admittitur, ſed qui proximior eſt, ſucceſſionis feudalis capax, & a primo Adquirente deſcendit. At quia cognatus a ſucceſſione removetur, legitima bonorum allodialium tutela non erit privandus, quia in hac bonorum ſpecie admittitur. Pupillus enim duplici indutus eſt qualitate feudali, & allodiali, cui, ſicut teſtatoris voluntas duplicem dare poteſt tutorem, ita & legis diſpoſitio, Scrad. *loc. cit. n.* 52.

§. IX.

§. IX.

De Tutela Dominica.

SI nec teſtamentarius tutor adſ erit, nec legitimus, ſuccedit dativus, quem jure Rom. Magiſtratus impartitur in urbe ex lege Atilia, in provinciis ex lege Julia, & Titia *tot. tit. Inſt. de Atilian. tuto.* Hæc tamen Quiritum nomotheſia non modo in allodiis, ſed etiam in feudis a populorum moribus repudiata propemodum fuit. Equidem vetuſtiſſima, atque recenti Germaniæ conſuetudine, & ſcripto jure ſtatutum eſt, pupillorum tutores a Magiſtratibus conſtitui; imo ipſos Magiſtratus eſſe eorundem tutores, quod munus per *vicarios* exercent: neque rogati tutores creant, quotannis rationes exigunt, cuſque de populo eſt facultas accuſandi tutorem. Imo ipſi Principes in die inaugurationis pupillorum tutores; & defenſores ſe conſtituebant, Wippo *in Conrado II. ed. Piſtor.*, cui Moguntinus Archipræſul ante inaugurationis ſacra dixit, *ut ſis defenſor Eccleſiarum, ac Clericorum, tutor viduarum, & orphanorum.* Quæ ſuprema Principum tutela adeo frequens erat, ut Duces, & Comites de juribus territorialis ſuperioritatis inveſtiti, ea ſimul cum villis, ſuburbiis, & pertinentiis tranſibat.

Exemplum eſt apud A. Miræ. *in Donar. Belg. lib.* 1. *cap.* 95., dum Henricus VII. Romanorum Rex an. MCCXXII. Henrico I. Lotaringiæ, & Barbantiæ Duci hanc conceſſit tutelam, *Inventum igitur, & ſententiatum eſt ibi, quod in jure feudali omnis miniſterialis feudatarius æque iudicare poſſit ſuper ſeudis nobilium, & miniſterialium: exceptis tamen ſeudis Principum ... ad hæc ibidem per ſententiam fuit Duci adjudicata TVTELA PARVULORVM USQVE AD XII. ANNVM.* ſicut & Leopold. Imper. an. 1698. apud Lunig. creavit Livium Odeſcalcum Syrmiæ Ducem ſibi, ſuiſque filiis, & deſcendentibus maſculis auctoritatem dedit, *qua poſſit, & valeat poſſint itidem, ac valeant tutores, atque curatores confimare, dare, & conſtituere ipſoſque ex cauſſis legitimis amovere.*

Atque ſi Germaniæ Principes Burgenſium tutelam ſuſcipiebant, magis vero Vaſallorum, quibus propria conceſſerunt ſub nexu fidei

Digitized by Google

fidei patrimonia: hinc orta *Dominica tutela*, quæ nihil aliud eſt, *quam vis, ac poteſtas in pupillos vaſallos eminenter ſummo Principi competens ad tuendum eum qui propter ætatem ſe defendere nequit, reſervato plerumque uſufructu*. Hæc videtur inducta exemplo legitimæ patronorum tutelæ, de qua Johan. Faber vetuſtiſſimus Galliæ juriſperitus *ad tit. Inſt. de legit. patron. tut.* recte, inquit, *per hunc §. poſſet fundari, quod ſi vaſallus, qui nihil poſſidebat, niſi feudum, moriatur, relicto pupillo, nullis exiſtentibus, qui in feudum poſſunt ſuccedere, qui tutelam pupilli pertineat ad Dominum feudi, qui ſucceſſurus eſt*. Multum ſimilitudinis eſſe inter vaſallum, & libertum, patronum, & Dominum feudi, *in prolego. cap.* 10. §. 54. probatum eſt. Hinc ſi Vaſallus Impubes, mortuo patre, nec teſtamentarios, nec legitimos habeat tutores; ejus tutelam ſpectat ad Dominum feudi; ut legibus Germaniæ cautum eſt. Vel ſi impubes Vaſallus a diverſis Dominis diverſa recognoſcat feuda, quiſque Dominorum tutor erit ſui Vaſalli impuberis, qui Domino ſuo propter feudi conceſſionem ſubjectus eſt, in eumque exercet juriſdictionem; *l.* 3. §. 4. *D. de legit. tut*: *l*, 27. *D. de Tutor. & Curat.* Vel ſi ſubvaſallus impubes ſit, etiam ejus tutela pertinet ad Dominum non mediatum, ſed immediatum, cui feudum amiſſum, vel finitum aperitur, P. Ludewig. *lib.* 4. *Differ. jur. Germ. & Rom. opuſc. VI. Differ.* 2., Scrad. *P. X. ſect.* 19. *n.* 70. Atque hæc eſt Dominicæ tutelæ indoles.

Præterea Dominus, vel ſupremus Princeps non modo Impuberis Vaſalli ſuſcipiebat tutelam, ſed & ad minorennem uſque ætatem fructus feudi percipiebat, nec quicquam pupillis dabatur, præter alimenta, modo alia non ſupereſſent bona. Hanc tutelæ ſpeciem Nortmannos in Angliam ſicut feuda primum induxiſſe ſuſpicamur, ex qua magna redituum copia aperitur Fiſco, Smith. *de Republ. Anglo. lib.* 3. *relat.* 12. *Inter hos* (id eſt reditus regni) *præcipua eſt tutela pupillorum, quæ eſt hujus regni, & Scotiæ ſpecialis prærogativa, cum a ceteris Principibus vel Chriſtianis, vel infidelibus nullo in uſu habeatur: Equidem gravamen eſt maximum: nam omnes ſive mares, ſive fœminæ parenti ſuo ſuperſtites, minores uno, & viginti annis ſub tutela regis vivunt, qui Rex omnia illorum bona, quæ coronam recognoſcunt, quantumcumque Exili tributo* (*ſunt autem infinita*) *ſimulque alia, quæ libera ſunt, occupat, fruiturque iis, ac diſtrahit, largitur, vel ſibi, prout libet, retinere poteſt, quoad uſque pupilli unum, & vigeſi-*

Digitized by Google

geſimum attigerit annum; & late Polydo. Vergil. *Hiſt. Anglo. lib.* 16. *in Henrico III.* Rex tutor alit pupillum ad XXI. uſque un. ad arma educat, fructus Clientelares, durante hac ætate, percipit, & omnia in re ſua agit, P. Ludewig. *lib.* 1. *Hiſtor. opuſc.* 3. *cap.* 18., eodem jure uſi ſunt Gothi, Hiſpani, Franci, Germani, Dani, Sveci, Nortmanni, Belgæ, qui vel totum uſumfructum bonorum pupilli, vel partem accipiebant, ut idem Ludewig. ex eorum legibus, & ſtatutis probat, & Heinec. *exercit.* XX. *de ſuprema Princip. Magiſtrat. tut.* §. 31.

Neque hujuſmodi fructuaria tutela ſua deſtituitur ratione, & (1) intereſt Domini pupillum Vaſallum recte in diſciplinis, & armis educari quam judicis, cui generales ſedent cauſſæ: (2) pupillus in ea conſtitutus ætate nequit bona ſua adminiſtrare feudalia, quæ, ne diſſipentur, inſpicere, ſolius Domini eſt: (3) omne feudum datur perſonæ, non poſteritati; & proinde, mortuo Vaſallo, feudum Domino aperitur 1. *f.* 1. *&* 2. penes quem remanet, donec capax erit Vaſallus ſervitii: (4) hinc ſi natura ſua feudum annexum continet ſervitium, quod pupillus præſtare nequit, ratio jubet, Fructus Dominum percipere, ut inveniat, qui ei poſſit ſervire. In beneficiatis juribus ſi ceſſat onus, ceſſat commodum, & ſublata cauſſa, ceſſat effectus. Hodie autem in pleriſque Germaniæ locis hæc fructuaria exolevit tutela, quia pleraque Germaniæ feuda titulo oneroſo, emptionis, aut donationis propter cauſſam adquiruntur; aut ſunt feuda oblata, de quibus *in prolego. cap.* 7. §. 30. *&* 31. (*y*).

§. X.

(*y*) Nihilominus hodie Hiſpani a pupillis exigunt ex vetuſtiſſima illius regni lege decimam fructum partem: Galli omnes fructus: in Portugalia ſolvitur pars vigeſima, Gutierez *de tutel. par.* 3. *cap.* 2. *n.* 11. 14. 15. *&* 17.

§. X.

De Regia Neapolitanorum tutela.

INvictiſſima Nortmannorum proles, a Germanis deſcendens, quum jure belli adquiſiviſſet hujus Regni provincias, conſuetudinem induxit, ſicut etiam in Angliam, pupilli Vaſalli aut minoris Regem dumtaxat eſſe tutorem, ſeu eum, quem Rex pro tutore eligit. Hunc morem primo, lata lege, confirmavit Frid. II. Svevus in Conſt. *minoribus* III. 30., & Conſtit. *in aliquibus* III. 26., quibus ſanxit, pupillis, qui feuda poſſident, Bajulum, hoc eſt tutorem, a Fiſco dari oportere, donec ad pubertatem id eſt XV. an. pervenerint, quo tranſacto Bajulia, hoc eſt tutela, expiret, Camil. de Curte *Reſol. feud. cap.* III. 85., de Ponte *de Poteſt. Proreg. tit. de Diver. proviſ.*, Capyc. *in* II. *f.* 55. §. *præterea ſi quis infeudatus;* ſive mas ſit, ſive fęmina. Hodie autem hæc ætas ex *Pragm.* II. *de Minor.* prorogata eſt ad an. XVIII., niſi fęmina ante hanc nupſerit ætatem, tunc ſtatim evadit ſui juris Conſuetud. *de filiaſam. nuben. Sed & mulier non obſtante, quod emancipata non fuerit, eo ipſo, quod nubit, fit ſui juris*, Biloct. *Concl. feud.* 83. *n.* 2., Liparul. *ad Andr. in* II. *f.* 55. *n.* 28., Montan. *in* II. *f.* 55. §. *præterea ſi quis infeudatus n.* 57.

In Regno igitur nemo valet Bajulum conſtituere his pupillis, niſi Rex, vel Collaterale Conſilium, quod ejus exhibet perſonam, uti Præfectus prætorio: ſive pater pupilli naturaliter, ſive civiliter, ſcilicet forijudicatione decedat, Conſtit. *Si quando lib.* II. 7. *Si quando aliquem forijudicari contigerit, qui liberos habens, inveniatur feudale aliquid poſſidere; ſi quidem liberi ejus vel eorum aliqui in pupillari ætate conſiſtant, qui protectione balii indigere noſcantur, ipſorum Balium cum adminiſtratione bonorum eis contingentem Curia noſtra ſuſcipiat: quemadmodum in caſu mortis Balium ipſum habere deberent, eis autem pubertatis tempus excedentibus, & in tutelam propriam venientibus, fructus partis illius, quæ viventem patrem, licet pro mortuo habitum, ſecundum prædictum modum, dinumeratione liberorum attenta, ſi res adquiſita de feudo foret dividua, contingere debuiſſet patre ipſo adhuc ſuperſtite Curiam noſtram percipere volumus, & habere pro ea tantum parte*

Digitized by Google

de ſervitio nobis pro feudo ipſo debito diminuto, pro qua Curiam noſtram fructus percepiſſe conſtabit. Patre autem forijudicato naturæ debitum exoluente, pars illa, cujus fructus Curia noſtra perceperit ad integritatem feudi libere revertatur.

Duo ſanxit Frider., patre forijudicato, ſi liberi impuberes adſint, Rex accipit tutelam: eis vero pubertatem adimpletis, & patre eorum vivente; Rex virilem partem fructuum feudi excipit, pro qua liberi ſervitia non præſtant. Merito: forijudicatus enim Baro, vel Comes, evadit ſervus pænæ, hoſtis publicus, amittit juris beneficia, nec teſtamentum condere, nec contrahere valet, deportato comparatur. Hinc apud nos praxis invaluit, ut, lata forijudicationis ſententia, præamboli decretum interponatur, non ſecus ac naturaliter mortuus eſſet, in beneficium liberorum, qui ſi feudatarii ſint Bajulum, ſi privati, tutorem accipiunt, Marade. *tract. crim. analy. P.* 1. *cap.* 7. *n.* 16., Capyc. *in Inveſt. V. feudatarorum Balii.* Formulam forijudicationis refert P. de Vineis *in lib. V. Epiſto. cap. CXII. edit. Baſil.*, quæ cum longior ſit, afferam eam, quam ipſemet nobis exhibet in eodem *lib. V. cap. CVII. Quia T. de N. citatus extitit pro morte job. de N. peremptorie coram nobis, & non comparuit in termino propterea ſibi aſſignato ipſe, nec pro eo alius, qui ejuſdem vellet abſentiam excuſare: de cujus citatione conſtat nobis per publicum inſtrumentum: ideo propter ejus contumaciam, auctoritate officii noſtri, forbannimus eundem in perſona, & rebus: ſi binc ad dies decem ad mandatum noſtrum venire ceſſaverit, & quicumque eum effenderit, ſit impunis,* quaſi victima publicæ vindictæ, & homo *Sacer.*

Hæc noſtri Regis Regalia ſub Andegaven. interiit: Nam Carolus II. abrogavit Conſtit. *minoribus*, & Conſt. *in aliquibus*, & ex Capit. *feudatarius* ſanxit, *feudatarius decedens teſtatus ſtatuat filio minori balium, quem vult, qui baliatum ſuſcipiat, nulla de boc nobis, vel a Curia noſtra licentia impetranda. Si inteſtatus, Curia eligat de proximis, & defuncti conjunctis magis idoneum, & ei baliatum committat. Sed ſi mater bujus minoris, filii vitæ ſit boneſtæ, ac ſobriæ, de qua fide dignorum teſtimonio Curiæ liqueat, in baliatu defuncto conjunctis dandis per Curiam quando maritus inteſtatus deceſſerat, præferatur. Sed ſi ſecundis, vel aliis nuptiis funeſtata, ſtatim baliatum ſibi conceſſum per Curiam ipſo facto per ſuperinductionem vitrici perdat, idoneiori de conjunctis feudatario mortuo concedendum.* Tria jubet Carolus, jus eſſe Vaſallo teſtatori de tutela

Digitized by Google

tela feudali diſponere; ſi inteſtatus, præferatur mater omnibus conjunctis, ut jure Rom. *auth. matri, & avia C. quando muli* modò non petat ſecunda vota. Imo & mater, quia in jure feudali patria poteſtas non inſpicitur, poteſt tutorem in teſtamento relinquere, qui confirmatione egens, *gubernatorem* vocat Andr. Conſt. *minoribus*, Curt. *loc. cit. n. 93.*

Hodie vero potius Friderici leges, quam Caroli Capit. obſervantur. Etſi enim Pater uti legaſſit de tutela ſua, ita jus eſſe poſſit, nihilominus Regis requiritur confirmatio, quia nequit adminiſtrare, niſi baliatus privilegium a R. Camera obtinuerit, adimpletis ſolemnitatibus, ſatisdare debet; ſed quia magna eſt feudorum, & divitiarum copia, fidejuſſor tam locuples inveniri facile non potuit, inolevit apud nos praxis, fidejuſſionem faciundam pro unius anni reditu, & cogi quotannis rationes reddere, ut jure Saxonico, & moribus plurimorum ſtatutum eſt. Quæ praxis nata videtur ex Clemen. II. *de Religio. Dom.* §. *ut autem in fi.* Chriſtin. *ad LL. Municip. Melchin. tit. XIX. art.* 13. *n.* 3., Marad. *Singul.* 232., Roſa Conſul. 23. *n.* 47., Carol. de Roſa *ad Conſuetud. tit. XIII. n.* 34. Alia etiam apud nos viget praxis, poſſe concedi minoribus veniam ætatis a Collat. Conſilio, ut ante XVIII. an. valeant allodium, & feuda adminiſtrare, non tamen obligare, vel alienare. Quæ conceſſio fit, cauſſa cognita, prævia inquiſitione in mores, & vitam minoris, Groenew. *ad tit. C. de his qui ven. æta. n.* 6.

Regia Vaſallorum tutela, quam lex vocat *baliatum*, differt a tutela juris Rom. (1) Bajulo datur ſalarium d. Conſt. *minoribus*, non tutori, ſed ſolatium, ideſt mercedula *l.* 33. §. *fin. D. de admin. tut.* (2) Bajulia jure conſtitutionum in mare & fæmina XII., jure pragmat. XVIII. expirat. tutela in mare XIV., in fęmina XII. (3) Bajulus datur a Rege, tutor a judice ordinario; (4) Bajulus etiam a patre, vel matre dari poteſt, in cujus feudum nepos, vel filius ſuccedit, tutor a patre tantum datur: (5) Bajulus ſi dolo adminiſtrat, damnum pupillo illatum tenetur reſarcire, & tantundem R. Curiæ ſolvere d. Conſt. *minoribus*, tutor duplici tenetur actione, quæ altera tutelæ, eſtque perſonalis, altera de diſtrahendis rationibus vocatur, hoc eſt conturbatis, & diſtractis pupilli bonis *tot. tit. D. de tut. & ratio. diſtrahat.* Denique Bajulia, & tutela in ceteris conveniunt; proprieque hæc Bajuliæ conſtitutio locum ſibi vindicat in feudis qua-

Digitized by Google

quaternatis ſimpliciter, & ſecundum quid, non in planis, & de tab., quæ potius feudorum ſimulacra ſunt, quam feuda.

§. XI.

De Curatore feudali.

POſtrema perſonarum diviſio, & differentia eſt, *quoſdam Vaſallos eſſe ſub curatore, quoſdam nullius poteſtati ſubjectos.* Tutela jure Rom. deſinit an. XIV., jure Regni XVIII., a quo incipit Curatio, quæ non perſonæ, ſed rebus conceditur, Lege XII. tabb. de puberum curatoribus nihil cautum erat, ita ſeculi paupertate dictante; quum honeſti, atque integri eſſent Adoleſcentium mores. At creſcente divitiarum copia, & luxu, lata eſt lex Lætoria, quæ juſſit Adoleſcentibus laſcivis, & dementibus a Prætore dari curatores; ſed hoc ſatis non fuit D. Marco, qui præcepit omnibus adoleſcentibus, etſi non probarentur furioſi, laſcivi, aut prodigi, Curatores conſtitui *l.* 1. §. 3. *D. de minor.*, Gajus *lib.* 1. *Inſt. tit. ul.*, Capitolin. *in Marco cap.* 10., Noodt *ad tit. D. de tuto. & Curat.*

Jure Romano Curator non poteſt a patre conſtitui in teſtamento, quia datur bonis minoris, ſed patri jus non eſt de bonis ſui filii ultra pubertatem diſponendi *l.* 2. *D. de Uulgàr.*; ſi tamen datur, indiget Prætoris confirmatione. Imo, ut recte nonnullis viſum eſt Curatoris dationem factam a patre in teſtamento filio muto, ſurdo, prodigo, furioſo, mente capto, valere, quamvis a judice non confirmatur, quia hujuſmodi perſonæ tali vitio laborantes in perpetua pupillari ætate vivere dicuntur. Datuſque intelligitur allodiis, & feudo. Præſertim moribus, & ſtatutis Germaniæ, Angliæ, Galliæ, Sveciæ, Poloniæ, Hungariæ, Bohemiæ, & Belgiæ, qui nullam conſtituunt differentiam inter tutorem, & curatorem, & uterque in teſtamento relinqui poteſt, & tutela, & cura uſque ad an. XXV. durant. Conſuetudine enim iſtarum Gentium plurium tutelis Romanorum derogatum eſt, Scrad. *P. X. ſect.* 19. *n.* 123., Chriſtin *in LL. Municip. Melchin. tit. XIX. art.* 27. *n.* 1. P. Ludewig. *lib. IV. differ. jur. Rom. & Germ. Opuſc. III. differ.* 2., quod a jure Canonico videtur profectum *Can. Cyprianus* 4. *XXI. q.* 3.

Atta-

Attamen ſi pater non dedit Curatorem filio, duplex tunc ſpectanda curæ delatio, prima confertur cognatis, ſecunda agnatis. Si agitur de cura feudali; hanc agnati tantum habent, ut ex aurea Bulla impuberis tutela conceditur agnato proximo, §. *inter ſollicitudines A. B. to.* 11. *in fin.*. Innoc. IV. dedit Curatorem Regno Portugalliæ fratrem Regis, qui negligentiæ crimine accuſatus eſt *cap.* 11. *de ſupplen. Negligen. Prælat.*, illæſis Succeſſorum juribus, P. Greg. *de Republ. lib.* 26. *cap.* 5. *n.* 17. Datur & matri, aviæ, proaviæ, etſi ad feudi ſucceſſionem non admittantur. Regum igitur, Ducum, Marchionem, Comitum, ſimileſque habentium regales dignitates cura, ſicut & tutela agnatis defertur *arg. l.* 1. *C. de Tutor. & Curat. Illus.* Secunda datur cognatis, qui furioſi, prodigi, mentecapti curam accipiunt in bonis allodialibus: & quia hodie ſublata eſt differentia agnationis, & cognationis, promiſcue utrique invitantur, *auth. ſicut hereditas C. de legiti. hered.*

In hac legitima curæ datione Domino feudi geminum adſiſtit jus: ſi enim pater Curatorem relinquit filio furioſo, neceſſaria requiritur Domini confirmatio, quia feudum eſt ſolius Domini, ejuſque ſubjacet juriſdictioni, & Curator datur bonis plerumque, non perſonæ; aut ſi principaliter daretur perſonæ, ut eſt Curator furioſi, aut prodigi, etiam hujus Curæ confirmatio ad Dominum ſpectat, qui eſt judex competens ſui Vaſalli *cap. V. de judic.*, *cap. VII. de for. compet.*, Scrad. *loc. cit. n.* 160. Quæ praxis in Regno viget, qua ſolius Regis eſt Vaſallis prodigis, vel furioſis conſtituere Curatorem; quamvis in Germania jus dandi curatorem non Domino feudi eſt, ſed judici ordinario, ſi fides Roſent. *cap. XII.* 10. *n.* 62., proinde juvat locorum mores inſpicere, vid. Scrad., *loc. cit.*, qui de Curatoribus, paucis exceptis, ſecundum jus Rom. latiſſime agit.

§. XII.

§. XII.

De Tutorum auctoritate, & Curatorum.

QUoniam lex & naturæ, & civilis jubet tutores, & curatores minoribus dari, neceſſaria igitur eſt his perſonis auctoritas tutoris, & curatoris, vel ſi contrahere velint, vel quid aliud agere, ſecus fruſtra eſſet legis auxilium. *Auctoritas eſt approbatio ejus, quod agitur l. 3. D. de Auctor. & conſen. tuto.*

Pupillus ſi velit rem ſuam jure novi feudi concedere, requiritur auctoritas, & conſenſus, & præſentia tutoris, vel Curatoris ut jubet jus civile §. 2. *Inſt. h. 1.*, ſed moribus gentium ſatis eſt conſenſus, licet peractum ſit negotium. Etenim infeudatio eſt utilis dominii alienatio; & nemo valet infeudare, niſi qui liberam de rebus ſuis adminiſtrationem habeat, quæ pupillo, & minori negata eſt, 11. *f.* 3: Neque ſolus tutoris, & curatoris ſufficit conſenſus, verum oportet ſit judicis decretum, *tot. tit. C. de præd. & ali. reb. min.*, *tot. tit. D. de reb. eo. qui ſub tut.* Prædia ruſtica, & ſuburbana tutor, vel curator nequit diſtrahere ex oratione Severi Imp. in *l.* 1. §. 2. *D de reb. eo. qui.* feuda, cum in rebus immobilibus conſiſtent, eadem indigent ſolemnitate; jure Rom. utimur, quotiens jus feudale deeſt. Sic Rex Luitprandus ſanxit in *lib.* 11. *LL. Longobar. tit.* 29. *l.* 7. *ubi Murat.* eos, qui an. XVIII. non adhuc attigiſſent, bona ſua, etiam ſuadente neceſſitate, non poſſe alienare, niſi habeant licentiam a Miſſo Principis, vel judice ſui Oppidi, & Civitatis. Quæ perſona in Conſuetud. Neapolit. Civitatis *pupillus de integr. reſtit. min.* dicitur *Abocator*, qui in minorum contractibus intervenire debebat, Welenbec. *cap. IV. n. 6.*, Giphan. *jur. feud. diſput.* 111. *n.* 17. Struv. *S. J. F. cap. IV. A.* 3., Hannet. *de feud lib.* 1. *cap.* 5.

Enimvero ſi pupillus, vel prodigus nolit de novo infeudare, ſed antiqui feudi inveſtituram peragere, placet, opus non eſſe tutoris, aut Curatoris auctoritate 11. *f.* 3., quia hæcce inveſtitura, priſtinam confirmat poſſeſſionam, quam Vaſallus antea juſte adeptus fuerat, nihilque novi juris contribuit. Neque dicitur

tur alienare, qui alienatum invenit, quum in bonis pupilli remaneat feudum *arg. l.* 1. §. *illud* 17. *D. de Aqua cot.* Duaren. *de feud. cap. IV. n.* 10. Alvero. *ad d.* 11. *f.* 3. Atque dum pupillus, vel minor paterni feudi renovat inveſtituram, non dicuntur contrahere, vel alienare, ſed ſimplicem excipere recognitionem a ſuo Vaſallo Cuja. *ad d.* 11. *f.* 4., Giphan., Hannet. *loc. cit.*, & proinde non recte diſſentit Hotom. *diſput. feud. XIII.*

Quoniam feudum eſt conventio, ex qua mutua oritur viciſſitudo, mutua obligatio Dominum inter, & Vaſallum, idcirco pupillus, vel minor in feudo adquirendo opus habent conſenſu tutoris, vel curatoris, omnis enim actus, qui mutuam parit obligationem, e pupillo celebrari nequit, quin adſit tutoris auctoritas *arg. prin. Inſt. h.* 1. diſſent. communiter *DD.* Quod ejuſmodi perſonæ non habent tutorem, vel curatorem, & de feudo inveſtiantur, læſi, petunt reſtitutionem in integrum *l.* 3. *C. de in integr. reſtit. min.* Denique omnia, quæ jus Rom. de curatoribus ſanxit, locum habent in re feudali, quum jus feudale nihil fere de his loquutum ſit.

Digitized by Google

T I T. IV.

DE NUPTIIS VASALLORUM.

§. XIII.

De jure Dominico in nuptiis Vaſalli.

MAtrimonium apud nos duplici modo conſiderari poteſt, uti contractus, & ut ſacramentum. Matrimonialis contractus ſubeſt legibus Principis ſecularis, D. Thom. *diſt. 36. ar.* 5. *dicendum, quod matrimonium, cum fiat per modum contractus cujuſdam ordinationi legis poſitivæ ſubjacet, ſicut & alii contractus*, & ex Theologis, legibus Imperatorum, & Principnm Europæ probat V. Cl. Johan. Launoi. tract. *de Reg. poteſt. in matrim.*, hinc tot leges *in tit. C. de Nupt., tit. de inceſt. nupt., tit. ſi nupt. ex reſcrip. peta., tit. de ſecund. nupt., divort., repudiis, conſanguinitate, affinitate, impedimentis*, & ſimilibus, quæ a Rom. Imperato. latæ ſunt; neque lex Eccleſiaſtica unquam ſe oppoſuit, nec vel Pontifex, vel Pater obnoxi ſunt; neque in Eccleſia quis in jure hæſit, an Princeps laicus poſſit impedimenta in matrimonio uti contractu apponere; ſed Franciſcus Victoria ex familia FF. Prædicat. Navarræus qui ſeculo XV. floruit, obiit an. 1546. primum dubitaſſe videtur, nihilominus hoc jus Principi laico non negavit.

Si impedimenta Princeps laicus appoſuit, ſi ejus conſenſus plerumque deſideratur; magis Dominus in nuptiis ſui Vaſalli poteſt expoſtulare, cujus intereſt ne fæmina cliens homini nubat, vel inimico, ſuſpecto, hoſti, vel minus grato, ne familiarum ſplendor, divitiæ, Reipubl. tranquillitas læderetur, ne ipſemet ſenior in feudo quid damni ſubſtineret, quod omnibus prope feudorum patronis in Europa conceſſum fuit, Hincmar. Remen. *Opuſc. XVI. cap.* 18., de Anglia, inquit, Smith. *de Republ. Anglo. lib.* 2. *cap.* 17. *relat.* 13. *Neque quiſquam ejuſmodi bonorum* (feudorum) *poſſeſſor poteſt matrimonium contrahere, atque concludere,*

dere, niſi prius Regis beneplacitum impetraverit, utpote qui matrimoniorum Dominus hoc eſt dotis tradendæ eſt; Launo. *loc. cit. P. III. ar. 2. cap.* 10., Alteſer. *de Ducibus lib. III. cap.* 1. eadem nomotheſia apud Hiſpanos, Nortmanos, Danos, Suecos, Francos, Germanos, Belgas, alioſque viget, qui plerumque ſructuaria uſi ſunt tutela, ut ex eorum legibus probat P. Ludewig. *lib.* 1. *Hiſto. opuſc. III. cap.* 18., Heinec. *exercit. XX. de ſuprem. Princip. Magiſtr. tut.* (*b*)

(b) Jus hoc merito Regibus vindicatum, Duces, & Comites etiam in ſuis territoriis exercebant, quum, agmine facto, in regalia irruerint. Hinc in nuptiis colonorum, & Clientum eadem utebantur poteſtate, qua in ipſis Rex potiretur, ut moleſte tulit Eduardus princeps Walliæ, & dux Aquitaniæ, Lebretium Dynaſtam Aquitanum uxorem duxiſſe ſine ejus conſenſu, teſte Froſſardo. Eginhard. Epiſt. XVI. ad Hattonem Comitem, *quidam Homo veſter nomine Hunno venit ad limina Sanctorum Marcellini, & Petri, veniam poſtulans pro eo, quod conſervam ſuam ancillam veſtram ſibi in conjugium ſociaſſet ſine veſtra juſſione, propter hoc precamur benignitatem veſtram, ut a nobis indulgentiam de hoc facto percipere mereatur.* Hac tamen licentia (barbare *maritagium* dicebatur,) indigebant tantum homines ſervilis conditionis, coloni, atque adſcriptitii, pro qua obtinenda, cenſum vulgo *Marchetum* ſolvebant. Quæ conſuetudo apud Scotos, Friſios, Belgas, Anglos, Germanos, & noſtros Siculos erat. Coloni enim in Sicilia, quid pendebant ſuis Dominis, ut liceret nubere, quod Greg. M. coarctavit *Epiſt.* 44. *lib.* 1. *indict. IX. ed. PP. S. Mauri*, *Pervenit etiam ad nos, quod de nuptiis Ruſticorum immoderata commoda percipiantur: de quibus præcipimus, ut omnia commoda nuptiarum unius ſolidi ſummam nullatenus excedant. Si qui ſunt pauperes etiam minus dare debent: Si qui autem divites præfati ſolidi ſummam nullatenus transgrediantur.* Et in inveſtituris feudorum concedebatur ſimul datio tutelæ, & in nuptiis hujuſmodi perſonarum conſenſus. Imo (piaculum) falcidiam ex puellarum in ſuis diſtrictibus nubentium virginitate delibabant, V. Duſr. V. *Marohetum*.

Digitized by Google

Hanc juriſprudentiæ ſpeciem Nortmanni in Siciliam, ſicut in Angliam attulerunt, primumque, lata lege, confirmavit Willelmus I. in Conſt. *fratribus lib.* 3. 17. *fratribus ob dotes ſororum ſuarum, ſi mobilia, vel hereditagia non habeant, ſororibus ſuis partem feudi permittimus obligare: & ſi etiam tria feuda, aut plura habeant, unum ex eis in dotem ſorori dare poſſunt. Ut tamen in omnibus ſupradictis, quando feudum alienatur, vel obligatur, aut in dotarium conſtituitur, matrimonium ipſum de ſpeciali noſtra licentia contrahatur. Aliter omnes conventiones nullas vires habebunt.* Sancta lex eſt, abuſus tamen ejuſdem in Sicilia ſeditiones, odia, atque inimicitias Baronum contra Regem peperit, qui ut facilis familiarum interitus daretur, & feuda fiſco cederent, ſero filiis Baronum nuptias petentibus conſenſum præſtabat, atque ita annis onuſtæ non appetebantur. Sic rem Hugo Falcand. *Hiſto. Sicul.* enarrat, *Enim vero Regem, ſi ſua facta diſcutiat, magis debuiſſe mirari, quod Regni Proceres velut in ſervitutem ſe redigi tamdiu ſuſtinerent, quam quod adverſus eum multis injuriis provocati vix tandem impatientia doloris exarſerint, ut enim cetera, quæ perpeſſi fuerunt, omittantur; miſerrimum eſſe, vel apud ſervilis conditionis homines, filias ſuas innuptas domi toto vitæ tempore permanere. Nec enim inter eos abſque permiſſione Curiæ matrimonia poſſe contrahi, adeoque difficile promiſſionem hanc hactenus impetratam, ut alias quidem tunc demum liceret nuptui dare, cum jam omnem ſpem ſobolis ſenectus ingruens ſuſtuliſſet, alias vero perpetua virginitate damnatas ſine ſpe conjugii deceſſiſſe.*

Nunc autem totius Regni viros nobiles, ſeque cum illis hoc Regem poſtulare, hoc requirere, ut his, aliiſque perniciofis legibus antiquatis, eas reſtituat conſuetudines, quas avus ejus Rogerius Comes a Roberto Guiſcardo prius introductas obſervaverint, & obſervari præceperit, alioqui ſi contra Anteceſſorum ſtatuta niti voluerit, hoc eos minime diutius perpeſſuros. Idem Falcand. de Tyrannid. Sicul. *Rogerius quoque Comes Avellini Regis iram cenſuit declinandam, eo quod nuper injuſſu Curiæ filiam Phœniciæ de Sancto Severino duxiſſet uxorem.*

Hanc Gulielmi legem adprobavit noſter Frider. in Conſt. *honorem noſtri diadematis lib.* 3. 33. qua ſanxit, *Ut nullus Comes, Baro, vel miles, vel quilibet alius, qui baronias, Caſtra, vel feuda in capite a nobis teneat, vel ab alio, quæ in quaternionibus dohanæ noſtræ inveniuntur in ſcriptis, ſine permiſſione noſtra uxorem duce-*

ducere audeat, maritare filios, ſorores, aut nepotes, vel quaslibet alias, quas ipſi poſſent, aut debeant maritare, aut filios uxorare cum immobilibus, aut mobilibus, huic legi conſuetudine, quę in aliquibus Regni partibus obtinuiſſe dicitur, non obſtante. Atque nuptiae contra hanc legem contractæ cenſentur clandeſtinę, & filii ex eis procreati, non ſuccedunt Conſt. *Sancimus lib.* 3. 22. Jvo Carnot. Epiſt. 16. *Habemus in decreto Hormiſdæ papæ, nuptias occulte factas non eſſe legitimas.* Ex his conſtat Nortmannos, & Svevos in Baronum nuptiis ſemper ſuum interpoſuiſſe conſenſum, cui nec Urbanus II., Paſchalis, & Callixtus II., Innoc. III., Honor. & Grego. acerrimi Eccleſiaſticæ libertatis tutores aliquid derogarunt, ſed tacuere, quia jure ſuo noſtri Reges utebantur.

Andegavenſibus vero aliter viſum eſt, (qui Regum noſtrorum regalia plurimum attriverunt, R. Pontificio, a quo honorem habuere, indulgentes): Nam Carolus II. *in cap. item ſtatuimus quod licitum ſit Baronibus*, cuique jus conceſſit, *libere matrimonia contrahere, filias, amitas, ſorores, & neptes maritare, filios uxorare, & alia matrimonia celebrare, in quibus hactenus requirebatur aſſenſus, ſine aſſenſu Curiæ impetrando, dummodo feuda, vel res feudi non dentur in dotem, & dummodo eadem inter fideles contrahant, & fiant. Quod ſi ſecus factum fuerit, ſive quod feudalia dantur in dotem ſine Curiæ aſſenſu, ſive quod cum infidelibus contrahant, feuda amittant, illi qui ſine aſſenſu contraxerunt, & ad jus Curiæ applicentur &c. ubi de Boctis.* Sicut ejus Pater Carolus I. in cap. *ſatis conſtat*, juſſit matrimonia non contrahenda cum filiabus, & filiis bannitorum, ſine Regis aſſenſu; quod abrogavit Carolus II. *in cap. humanitatem*, etiamſi habeant feuda, modo crimine læſæ majeſtatis divinæ, & humanæ non ſint irretiti; & *cap. item Statuimus, quod filiæ proditorum*. Hodie in omnibus Baronum nuptiis opus eſt Regis aſſenſu, & ſæpe impediuntur, ſi juſta ſuppeditatur cauſſa; Exolevit & prorſus Capit. Honorii IV. P., quo cuilibet libere permiſit jus nubendi, ſive vaſallus eſſet, ſive burgenſis, ut apud Lunig. *Ital. Diplom. to.* 11. 60. *p.* 1031. *an.* 1285.

TIT.

Digitized by Google

T I T. V.

DE HIS, QUI FEUDUM DARE POSSUNT.

§. XIV.

De Activa infeudandi facultate.

PEracto perſonarum jure, antequam ad res, in quibus feudum conſtituitur, atque adquiritur, deveniam: inſpiciendum quænam ex perſonis, quas recenſui; & illæ, quæ in jure feudali non reperiuntur, activam habeant infeudationis factionem.

Regula juris feudalis eſt: *non modo qui dignitatem habet, rem ſuam in feudum alteri concedere valet, ſed & penitus privatus, & cujuslibet ſit conditionis, modo libera de rebus ſuis fruatur facultate*, II. *f.* 3., Scrad. *P. IV. cap.* 2. *n.* 17., Roſent. *cap.* 3. 2., Giphan. *jur. feud. diſput.* 3. *n.* 15., Sonsbec. *P. VI. n.* 15., Struv. *S. J. F. cap. V. A.* 3. *n.* 4. Quod male a nonnullis negatum eſt. Nam quiſque, qui rei ſuæ dominium tenet, de ea, uti lubet, poteſt diſponere, ſive titulo venditionis, aut alterius conventionis, ſive jure clientelari, id eſt, uſum, & utilitatem in alium transferre, directo apud ſe Dominio retento. Nec verum eſt, privatum concedere ſuo Vaſallo jurisdictionem, quia olim juriſdictio ſeparata prorſus erat a feudo; & licet hodie infeudatio ſecum ferat juriſdictionem; tamen privatus eam confert non ex ſe, quam non habet, ſed a jure feudali, quod cuique de re ſua concedit *pontificium*, ut loquitur Gell., & Marculſus.

Neque diſtinguendum, an qui infeudat, *mas*, ſit, *an fœmina*, quum in jure feudali ſexus differentia non inſpiciatur II. *f.* 3. §. 1. Obſtat lex Rotharis *in lib.* II. LL. Longob. *tit.* 10. *l.* 1. *Nulla mulieri liberæ ſub Regni noſtri ditione, lege Longobardorum vivente, liceat in ſuæ poteſtatis arbitrio, id eſt ſine mundio vivere, niſi ſemper ſub poteſtate viri, aut poteſtate Curtis regiæ debeat permanere, nec aliquid de rebus mobilibus, aut immobilibus ſine voluntate ipſius, in cujus mundio fuerit, habeat poteſtatem donandi, aut*

aut alienandi. Scitum eſt jure Germanico, Saxoniæ, Longobardico, omniumque fere Europæ populorum, fæminas ſub perpetua tutela, quam *mundiburdium* dixerunt, vixiſſe; quod ante Juſtinianum jure Latii quoque obtinuit, ut Heinec., Ludewig., & Chavar. probant, dicam *lib. IV. de V. S.* Mulier itaque ſine mundualdi licentia alienare rem ſuam nequibat, igitur nec de novo infeudare. Reſpondetur: Olim hàc de re diſſentio erat; tandem placuit, fæminas res ſuas poſſe in feudum dare *d.* 11. *f.* 3. §. 1. *ibi, fæminam quoque etiam novi feudi inveſtituram facere poſſe; plerique conſenſiunt*, ubi Alvero., Cuja., Hotom. ceteri., Zaſi. *P. V. n.* 19. Hinc fæmina in datione feudi ſimilis eſt maſculo, diſſimilis in ſucceſſione.

In Imperio enim reperiuntur *Abbatiſſæ*, quarum nomina deſcripta ſunt in matricula imperii, feuda poſſident, juriſdictione fruuntur, præſtant ſervitia, ſicut ceteri Barones, ut Abbatiſſa Quedlenburgenſis, Eſſenſis, Gerenrodenſis, Rotmunſterienſis, Heckbacenſis, Guten-cellenſis, Lindavenſis, Joan. Angeli. *de Rebus publ. Hanſeat. tract.* 1. Hering. *de fidejuſſor. cap. VII. n.* 517. Legationis munus obeunt, arbitrium exercent, ut Margarita Parmæ, & Placentiæ fuit Princeps, & Belgii Gubernatrix, Caroli V., & Regis Hiſpaniarum Vicaria. *In cap. II. de Exceſſ. Prælat.* fit mentio de Abbatiſſa Jotrenſi in diæceſi Melden. O. B. quæ ſigillo utebatur, & juriſdictionem in presbyteros Jotrenſis Eccleſiæ exercebat; Sigillum enim eſt argumentum juriſdictionis, Ciron. *ad d. cap.* 11.

Celebris eſt in Italia, & noſtro Regno Abbatiſſa Ord. Ciſterc. in Diœceſi Epiſcopi Cuperſani, de qua Ugel. in Ital. Sacr. *to. VII. p.* 700. *Adeſt monaſterium monialium Ordinis Ciſtercienſis Apoſtolicæ ſedi immediate ſubjectum, multis opibus, ac magnis privilegiis celeberrimum, cui fere in tota Italia aliud ſimile non reperiatur, adeoque a juriſdictione Epiſcopi Cuperſani Ordinarii exemptum, ut Abbatiſſa, quæ uſum baculi Abbatialis habet in eodem monaſterio, ac in Oppido Caſtellanæ ſuæ Diœceſis juriſdictionem quaſi Epiſcopalem per ſuos Vicarios in Clericis, & laicis tam in ſpiritualibus, quam in temporaliqus exerceat, ac beneficia omnia conferat.*, & paulo poſt addit. *Nec mirum videri poteſt. Abbatiſſam hujus Cœnobii tales habere prærogativas, talemque juriſdictionem ſpiritualem; tradunt enim communiter Doctores* (quos ibi refert) *poſſe ſummum Pontificem concedere fœminæ dignitatem in titu-*

titulum, vel adminiſtrationem, & ſic habere prælaturas.

Filiusfam. nequit feudum conſtituere in peculio adventitio ſine Patris conſenſu, quia etſi pater uſumfructum tantum habeat, tamen illius peculii eſt adminiſtrator *l. ul.* §. 5. *C. de Bonis, quæ lib.*, proinde filius non dicitur liberam de re adventitia adminiſtrationem habere 11. *f.* 3., quum eam nec alienare, nec obligare, nec teſtari valeat *d. l. ul.* §. *filiis autem l. pen. C. qui teſtam. fac.*, ne juvenili motus calore diſpergat patrimonium, Giphan. *ad l. 6. C. de Bon. quæ lib.* Si vero filius uſumfructum poſſideat & proprietatem, de his recte infeudare poteſt, ſicut & alienare, obligare, pignori dare; non autem teſtari, quia ne teſtetut, ſpecialiter lex vetuit, e Nov. CXVII. c. 1. §. 1., Wiſſenbac. ad *d. l. ul. C. eo.* §. 5. Struv. *S. J. F. cap. V. A.* 5. 3. Idem jus eſt filiofam. in peculio Caſtrenſi, in quo lex pro patrefam. conſiderat.

Non modo *Laicus*, ſed etiam *Clericus* poteſt infeudare. At diſtinguendum; In Clerico triplex ſolet peculium ſtatui: vel poſſidet *bona patrimonialia* ideſt ſecularia, *Eccleſiaſtica, & quaſi patrimonialia. Can. 1. & 2. XII. q. 3.*, Andr. Vallen. *in parat. decret. de Pecul. Cleri. n. 1.* Bona patrimonialia ſunt, quæ Clericus ex ſucceſſione, donatione, aliove habuit titulo; quaſi patrimonialia, quæ occaſione Clericalis officii adeptus eſt, puta celebrando, concionando, canendo, etſi quæ ſunt. De his bonis recte inveſtire valet 11. *f.* 35., quum dicantur Caſtrenſia, vel quaſi, quia Clerici militant, & ſtipendia merent, licet in patria ſint poteſtate; Clericatus non ſolvit jus patrium, ſed tantum Epiſcopatus *Nov. XXXI. cap. un. de Cler. non reſid. in VI.*, Triden. *ſeſſeſ. 22. de refor. cap. 3.* De Bonis Eccleſiaſticis; nequit diſponere, ſeu infeudare ſine ſolemnitate, de qua *lib.* 11. quia res ex Eccleſiæ pecunia comparata, dicitur Eccleſiaſtica, *arg. l. 1. C. de Caſtr. pecul. cap. pen. de pecul. Cleri.*, ut ſi Egenus Clericus factus ſit, poſt Clecatum bona emerit, præſumitur ex Eccleſiæ reditibus adquiſiviſſe *d. cap. pen.* D. Greg: *lib. VI. indict. 14. Epiſt. 1. ed. PP. S. Mauri. Si quid autem de propriis rebus, quas ante Epiſcopatum habuit, quod quidem prius Eccleſiæ ſuæ non contulit, fieri voluit, vel decrevit firmum per omnia robur obtinere neceſſe eſt: nec quiſquam Eccleſiaſticorum id contra rationem tentet qualibet excuſatione convellere;* ubi Guſſanv.

Jure enim canonum de hujuſmodi bonis nullum habeat dominium, ut recte probat Thomaſ. *de V. & N. E. D. P. 111. lib. 2. cap. 38. ſeqq.*

ſeqq., Sguanin *de Benefic. quæſt. IV. concl.* 1. 2. & 3. quamvis hodie ex generali Europæ propemodum conſuetudine de fructibus beneficiorum ad heredes, & cognatos valeat Clericus diſponere, Henric. Bruckner. *de Doman. regni German. cap.* 7. *n.* 36. Thomaſ. *loc. cit. cap.* 48., Vallen. *loc. cit.*, Perez *ad tit. C. de Epiſc. & cler. n.* 15., Raguel. *ad l.* 42. *C. eo.*

§. XV.

De Infeudatione Regni Neapol.

LAudata viguit apud nos ſub Nortmannis regula, videlicet cui libera rerum ſuarum conceſſa eſt adminiſtratio, poſſe ſub nexu hominii, & ſervitii inveſtire. Etenim Nortmanni ante Monarchiæ erectionem, Civitates, oppida, & territoria noſtrarum Regionum, cum jure allodii poſſiderent, de iis aſſidue peragebant inveſtituras: recte noſter Frecc. *de ſubfeud. lib.* 1. *tit. de antiq. ſtat. Reg. n.* 69. rem exponit, *tempore horum Nortmannorum ingens fuit copia Comitum, Baronum, & Militum in Regno, & frequens cepit eſſe uſus infeudandi: legi quamplurima privilegia conceſſionum in feudum ſub præſtatione militaris ſervitii, prout nunc in Regno utimur. Iſti enim Nortmanni in eorum provincia erant de genere militum, Valvaſorum qui ſub ſtipendio dominorum militabant, & ab aliis feuda tenebant, poſtquam in Regno facti ſunt potentes. Domini Reges, Duces, & Comites ceperunt & ipſi aliis in feudum dare, & alios habere Valvaſores, qui in Valvis aſſiſterent: ſicut ipſi erant, ab eis adjutoria perciperent, quamquam & tempore Longobardorum credam fuiſſe etiam conceſſiones in feudum factas ab ipſis. Privilegia tamen ego non vidi, nec legi, niſi dationes in libellum, quæ illis ſimillimæ ſunt.*

Et temporum decurſu, ab eis in feudum dationes, cum utraque forma eorum fuerit inventum. Fridericus in ſuis Conſtitutionibus dat legem, quid ſit faciendum, mortuo barone, vel feudatario qui ab alio tenet feudum: non enim Fridericus Imperator dationem in feudum in Regno induxit, ſed ſuper diſpoſita ſtatuit; Hinc formula in Inveſtituris apud nos ſolet apponi cum *ſubfeudis*. Neque conſtituta Monarchia, videtur prohibitum Baronibus ſua allodia jure feudi concedere, etſi ob Rogerii legem feuda alienare ſtatutum fuit.

Sub Svevis res aliter ſe habuit: nam *d.* 11. *f.* 3. quo cuique

 pri-

Digitized by Google

privato dabatur facultas ſuum allodium infeudare, abrogatus eſt, & ſancitum, ſolum Regem poſſe de alode feudum creare, (1) quia infeudatio præbet Vaſallo juriſdictionem; ſed in Regno nemo poteſt exercere juriſdictionem, niſi Regis adſit licentia, Conſt. *ea quæ ad ſpeciale decus lib.* 1. 49., in qua Frider., inquit, *merum imperium eſſe Celſitudinis noſtræ*, inhibuitque Eccleſiarum Prælatis, & Baronibus, *ne Juſtitiariatus* (hoc eſt juris gladii) *officium in terris ſuis exercere audeant, vel gerendum alicui demandare*. (2) Juriſdictio eſt de Regalibus, & regalia ſolus Rex, vel exercet, vel concedit 11. *f.* 56. (3) Vaſallus accipiens inveſtituram tenetur ſuo Seniori fidelitatis exhibere jusjurandum 11. *f.* 5., 11. *f.* 6. 11. *f.* 6. §. *nulla*, in Regno religio jurata nomini præſtatur, niſi ſoli Regi, vel alteri cum Regis licentia Conſt. *Comite, vel barone lib. III.* 24. *Comite, vel barone viam univerſæ carnis ingreſſo, filii eorumdem, aut nepotes eorum recipere ab hominibus ſacramenta non audeant, niſi prius de ſacramentis ipſius recipiendis, ab Excellentia noſtra, prout moris eſt, obtentis, licentia, & mandato.*

Denique (4) in Regno, exoletis affidatione, diffidatione, & recommendatione, de qua in *proleg. cap. IX.* §. 44. *lit. c.* Rex eſt Dominus perſonarum Conſt. *quia frequenter III.* 9., *Nos etenim, qui ſumus Domini perſonarum abſque noſtræ ſerenitatis aſſenſu, perſonas ſervitiis perpetuis, aut conditionibus nolumus obligari;* quod hodie ſervatur, Capyc. *deci.* 119. Jusjurandum fidelitatis eſt quædam ſervitutis ſpecies, quod quiſque nequit ſubire, ſine Regis venia Andr. *in* 11. *f.* 55. *n.* 45., Zaſi. *P. VII. n.* 20. (*a*) Nemo itaque

(a) Hinc vetuſta in Regno inolevit conſuetudine, ut ſi Caſtrum, vel Civitas feudalis vendatur, Vaſallos poſſe offerre pretium, & ſe redimere, atque in Regis demanio immediata juriſdictione, & protectione ſuſcipi, neque alterius ſubjici juriſdictioni, quam Regis. Idque favore libertatis inventum eſt, quum videatur eſſe quædam emancipatio, & manumiſſio a ſervitiis, & parangariis, quibus in Baronia ſubduntur Vaſalli; proinde Frid. in Conſt. *quiſquis de burgenſibus* punit Barones, qui homines Regii demanii occupant, quia majore ſub Rege vivunt libertate. Eadem conſuetudo viguit in Germaniæ populis, qui ſeculo VIII. IX. & X. magis, magiſque urbium opulentia creſcente, Ducum vero, & Comitum potentia decreſcente, urbes

Digitized by Google

que in Regno poteſt de allodio ſuo feudum creare, ſive privatus, ſit, ſive Comes, Marchio, Dux, aut Princeps, P. de Greg. *de conceſ. feud. P. I. q.* 2. *n.* 23. *&* 24., quia feudum in jure dicitur gratia 11. *f.* 23., ſed gratiam concedere illius dumtaxat eſt,qui abſoluta utitur poteſtate, qua deficiente, deficit gratia Schultz. *diſſert. de feud. Gratiæ cap.* III. §. 1. Hodie igitur tam in hoc regno, quam alibi, nemo poteſt feudum dare, niſi Princeps, ejuſque Vaſalli, ſed cum ejuſdem Principis licentia, niſi aliter in inveſtitura dictum ſit, Groenewe. *ad* 1. *f.* 1. Choppin. *de Doman. Franc. lib.* III. *tit.* 26. §. 1. *& ſeqq.*

---

urbes imperium eorum detractare cæperunt; unde levi ſæpe ære a Ducibus, & Comitibus, qui illos in officio retinere non poterant, egregias immunitates redemerunt, atque ab eorum juriſdictione exemptæ ad libertatem proclamarunt, Conring. *Exercit. IV. de Ducibus* §. 30.

Ut autem Univerſitas ad regium demanium admittatur, (1) neceſſe eſt peti intra annum, remota omni reſtitutionis ſpe: (2) ut tota Univerſitas, aut ſaltem major, ſaniorque pars velit hoc jure uti *l.* 19. *D. ad Municipal. l.* 4. *D. quod cujuſq. Univer.* (3) ut Univerſitas ſit ſolvendo, poſſit ſolvere pretium ab emptore oblatum: (4) valeat eiſdem viribus ſe in regio demanio conſervare, abſque R. Curiæ damno, & ipſius Univerſitatis præjudicio; quod ſatis inſpicitur; ſi commoda, & jura perpenduntur, quæ in Univerſitatem tranſeunt, ſive feudalia ſint, ſive alterius generis; quæve ſint onera a quibus eximitur, & per demanii proclamationem ipſa R. Curiæ præſtare tenetur: (5) expediat Regi illam Univerſitatem ad demanium provocantem ſub ſua immediata recipere protectione, ut quia mænibus, arce, viribus ad Hoſtium incurſiones munita fuerit *Pragm. LXIII.* de *offic. Procur. Cæſar.* ubi Rovit. n. 11. Montan. *ad* 11. *f.* 55. §. *præterea ducatus*, Tappia *lib. VI. jur. Regni tit.* 9., ubi doctam refert hac de re Moles deciſionem, Cam. de Curte *P. I. diver. p.* 8. Bilocta. *concl. feud. cap.* 28. *n.* 1. *& ſeqq.*, Ponte *de Poteſt. Proreg. tit.* X. §. 1., Roſa *conſul.* 2.

Digitized by Google

T I T. VI.

DE HIS QUIBUS FEUDUM DARI POTEST.

§. XV.

De paſſiva infeudandi facultate.

SUpradictum eſt, omnibus jus eſſe ſuum alode ſub nexu hominii dari poſſe; nunc alia juris ſuccedit regula; *quemlibet eſſe feudi capacem, donec lege, vel moribus expreſſe non probibeatur feudum accipere*. Nam feudiſta, inquit, *in* 11. *f.* 3. *v. perſonam*, non oportere perſonam diſtinguere, id eſt non perpendimus cujuſnam fuerit conditionis, ætatis, ſexus, aut qualitatis; liberamne ſuarum adminiſtrationem habeat, ſui ne juris ſit, an ſub tutela, vel cura vivat, Weſenbec. *cap. V. n.* 1. Sonsbec. *P. VI. n.* 1., Hannet. *lib.* 1. *cap.* 6., Zaſi. *P. V. n.* 41., Giphan. *jur. feud. diſput.* 111. *n.* 25. Forner. *de feud. pr.* Fatendum tamen olim eos tantum feudis donatos, qui ad militiam eſſent idonei: deinde, cum ſucceſſio inducta fuerit, & religioſa Principum liberalitas augeretur, ad fæminas, Eccleſias, Monaſteria, & quamlibet perſonarum ſpeciem clientelaris porrecta eſt poſſeſſio cui jus feudale Longobar. præſertim innititur.

Hinc *Infans*, ideſt *bomo primæ ætatis*, ut ait Iſid. *II. orig.* 2. recte feudum accipere poteſt 11. *f.* 3., 11. *f.* 26. §. *ſi minori*, qui licet diſponat de Impubere, hoc eſt majore infantia, & minore XIV. an., tamen eadem eſt juris ratio, ut infans cujusvis fuerit ætatis inveſtiri poſſit. Nam ſi fari neſcit propter ætatem, acquirit feudum per tutorem, hoc eſt tutore agente ſolemnia in feudo neceſſaria; ſi fari poteſt, accipit, tutore auctore, id eſt ipſo pupillo acceptante, atque ſolemnia agente. Nec cogitur, accepto feudo, fidelitatem facere, *donec venerit in majorem ætatem, in qua doli capax ſit*; nec ejus tutor, vel procurator jurare compellitur nomine pupilli; interim ſervit per ſubſtitutum §. *firmiter* 11. *f.* 55., quia imputet ſibi Dominus, qui feudum tali contulit

tulit perſonæ, quæ ad ſervitia inhabilis eſt, imo videtur ea remiſiſſe II. *f.* 26. §. *ſi quis deceſſerit*, ubi DD. tenent hodie illum §. feudorum conſuetudine abrogatum eſſe: quod mihi non ſapit: Si enim in ea ætate remittitur jusjurandum fidelitatis, & Dominus expectare debet quoad adoleverit, & fidelitas eſt ſubſtantia feudi, cur non remittatur ſervitium, quod ſolum eſt de natura feudi? Cuja. Alver. *ad d.* §. *ſi minori.*

Furioſus, *&* *mentecaptus* quum ratione prorſus deſtituantur de feudo inveſtiri non poſſunt, etiam tutoris, vel curatoris auctoritate; ſed eorum nomine tutor, & curator inveſtiuntur, & ſerviunt. Furioſus eſt, qui cæcitate mentis ad omnia laborat, Tulli. *III. Tuſcul. V.*, mentecaptus, qui ex parte erroris mentis, non undique ducitur; ſed ſæpe in jure promiſcue uſurpantur *l.* 2. *D. de inoff. teſta.* *Prodigus* valet accipere feudum, quia in adquirendo non eſt prodigus *l.* 5. §. 1. *D. de adquir. hered.*

Mutus, *ſurdus*, *cæcus*, *claudus* inveſtiri poſſunt, I. *f.* 6. §. *ul.* quia Senior iis feudum concedens, eorum ſciens defectum, videtur gratiam feciſſe, ut vel non ſerviant, aut per ſubſtitutum ſervient, recte Groenew. *ad d.* I. *f.* 6. §. *ul. hodie mutui*, *aliique*, *qui ob ſexum*, *aut vitium corporis*, *vel animi conditionem ſuam Domino ſervire nequeunt*, *feudorum tamen capaces ſunt modo fidelitatis juramentum*, *aliaque obſequia per Vicarios*, *aut per ſubſtitutos præſtent*, Gudelin. *de jur. noviſ. par.* 2. *cap.* 2. *n.* 9., præſertim cum hodie feuda ſint inſtar allodii, & imputet ſibi Dominus, ſi his perſonis feuda concedit, male Hotom *ad d.* §. arguit *feuſtam*, qui iſtas perſonas feudorum inquit eſſe capaces. Nam quiſq. eſt rei ſuæ moderator, & arbitrer. *l.* I. *C. de SS. Eccl.*

Fæmina; quamvis inſpecta feudorum indôle, rei clientelaris incapax ſit, uſus vero (invita tamen natura, & lege, ut in *prolego. cap. IX.* §. 52., *&* *dicam lib. IV. tit. de R. S.*) ad ea invitavit. Feuda rei militaris cauſſa ſunt comparata & Seniorem, Domi, militiæque juvandi; quod fæminis peragere datum non eſt. Quicquid ſit, præſertim hodie, fæmina accipere valet feudum, II. *f.* 3., II. *f.* 30., II. *f.* 50., I. *f.* I. §. 3., I. *f.* 6. §. *ul.*, I. *f.* 8. §. *filia*, I. *f.* 14. §. 3., I. *f.* 24., II. *f.* 2., II. *f.* 17., II. *f.* 51. §. 4. In his autem fæminarum feudis relucet potius patroni indulgentia, gratia, & tenella liberalitas, quam ſervitium, ſive militare, ſive urbanum, quod mulier non niſi per ſubſtitutum præſtare valet, quoniam hocce feudum duobus adquiritur

ritur modis inveſtitura Senioris, & pacto, *prolego. loc. cit.*, & ex his naſcitur regula: *Non patere locum fœminæ in clientelæ Succeſſione, donec maſculus ſupereſt, qui primus de hoc feudo fuerit inveſtitus*; conſtat ex *d. text.* præſertim ex 11. *f.* 17., Hotoman. *diſput. feud. cap. XV.* 30., Vultej. *de feud. lib.* 1. *cap.* 111. *n.* 4.

Ruſticus; & ſi inveſtiens jus habet nobilitatem conferendi, nobilis evadit, ut pluribus ſapit: aliis vero arridet, ſive inveſtiatur a Supremo Principe, ſive a Duce, Marchioue, vel Comite, ſemper nobilitatem conſequi. Zaſi. *P.V.n.*50., Scrad. *P.IV. cap.*3 *n.*7. Conf. Sonsbec. *P.VII.n.*18. (*b*). Fatendum, hunc morem a feudorum origine, & militari Clientela plurimum diſſentire, quæ non ruſticis, & plebeis, ſed nobilibus tantum concedebatur, quos vetuſta ætas dixit *Honoratos*. Illius vero moris cauſſa extitit bellum ſacrum in Syria, quo Galliæ, Angliæ, Germaniæ, atque Italiæ Duces, & Comites feuda plebeis vendebant ad erogandam pecuniam, ob tanti belli, & nunquam optandi onera; Alteſer. *de orig. feud. cap. X.* ſic enarrat, *Hanc labem quarum cauſſa Duces, Comites, & alii milites feuda, & ditiones diſtrahere coacti, ea in plebejos, & Clericos, ſeu Eccleſias alienarunt, ut facilius emptorem invenirent, idque ſuadentibus edictis Romanorum Pontificum ejus ævi, qui nihil non tentarunt belli ſacri promovendi ſtudio, & conniventia etiam noſtrorum Principum*. Hoc pacto feudorum jure depreſſo, ne Ordinum ſtatus everteretur, placuit feudorum nomine his cenſum imponi, in argumentum ignobilitatis Fiſco ſolvendum (*c*). Ea-

(b) Ruſticus eſt qui operas, aut cenſum Domino penſitat: nam agri præſertim in Germania ruſticis tradebantur cum pleniore dominio utili, hoc pacto, ut certus canon, aut alia res ut convenerit, domino directo annuatim præſtaretur vid. Chriſtoph. Cellar. *de Princip. doman. cap. VIII.*

(c) Quem morem exponit P. Grego. *de Republ. lib.* 111. *cap.* 2. §. 17. *In Gallia omnes poſſeſſiones nobiles ſive ſint feudales, ſive allodiales, dicuntur franca feuda quia per leges, ſtatuta, & conſtitutiones Galliæ omnia feuda, aut bona nobilia ſita in Gallia, poſſideri non poſſunt, præterquam per homines francos id eſt per nobiles ex genere, aut nobilitatos per Regem, francos ſeu liberos ſtatu, & exemtos ab omni genere talearum, indictionum, auxiliorum, ſubſidiorum, aut ſimilium onerum, quibus obnoxii*

Digitized by Google

Eadem conſuetudo irrepſit in Eccleſiæ feuda, de qua conqueritur Burchar. *de caſibus monaſt. S. Galli cap.* 8. apud Alteſer. *loc. cit. In hac peſtilentia Fideles hujus Eccleſiæ inter ſe poſſeſſiones noſtras dividebant; miniſteriales optimos manſos curiarum noſtrarum eligebant, Cellarii Eccleſiæ jura villicationis, in modum beneficiorum habere contendebant, & contra conſuetudinem quidem ex ipſis more nobilium gladium cingebant*. Recte jure Saxonico ſtatutum eſt, Ruſticum, ſicut & clericum, fœminam, mercatores, infames, ſpurios, omneſque, quorum pater, avus, proavus nobiles non fuerunt, feudum accipere non poſſe; atque ſi adquirunt, erit tantum ad vitam, deinde revertitur ad Dominum, Scrad. *P. IV. cap. 3. n. 8.*

Filiusfam., ſive inveſtiens ignoraverit eſſe filiumfam., ſive cognoverit, Patri nihilominus non quæritur uſusfructus, ut ſupra dictum eſt, quia eligitur filius in Vaſallum, velitque ab eo militare ſervitium, & cetera in jurejurando contenta præſtari: taciteque videtur diſponere, fructus, commoda, & jura feudi ad filium, non ad patrem pertinere. Quare juris civilis regula, ut quicquid adquirat filius, patris ſit, in jure feudali omnino condemnitur, Giphan. *jur. feud. diſput.* 111. *n.* 26. Roſent. *cap.* 111. 6. *n.* 2.; Modo feudum hocce non fuerit conceſſum contemplatione Patris, cui tunc quæritur uſusfructus.

Clericus ſive a Principe ſeculari, ſive Eccleſiaſtico de clientela inveſtiri poteſt; ſi diſciplinam poſteriori ævo inventam intueamur, præſertim ſeculi IX., & X., quo Clerici loricati in prælia ibant, & regula juris ſacri, *ut clerius ſecularibus negotiis ſe non immiſceat*, in divitiis, feudis, atque armis, conticuit, & eman-

noxii ſunt ignobiles, & plebeij. Eaque ratione in Gallia, omnia feuda ſunt nobilia, aut nobiliter poſſeſſa, & ita dicta franca. Proinde ſi ignobilis, aut feuda teneat, aut bona nobilia, ſubijcitur juri ſolutionis francorum feudorum, id eſt nomine eorum tenetur aliquid ſolvere Regi pro patientia, vocant Soffrance, *quod eos patiatur feuda, & bona illa tenere. Ita jus francorum feudorum nihil aliud eſt, quam pecunia Regi debita a poſſidente feuda, & nobilia bona ſine permiſſione Regis, & ex patientia ejus, quæ a recuperatoribus, ſeu Commiſſariis a Principe datis, æſtimantur in ignobilibus: nam hoc jus tantum ab ignobilibus, non a nobilibus, vel nobilitatis exigitur.*

Digitized by Google

emancipatio a divinis uſibus locum habuit; ſive civilem, ſive criminalem exerceret juriſdictionem, & regalia, quin irregularitas timeretur, non ſic *olim*, ſed ex jure noviſſimo *cap. fin. Ne cler. vel mona. in VI.* modo faceret per alium. Recte Duaren. *de feud. cap. VI. in fin.* docet infeudationes jam clericis factas a corruptis moribus eccleſiaſticis proveniſſe, qui, ut detegerentur, atque pro licitis haberentur, inventa fuit obligatio feudalis, quæ ſecum fert militare, & equeſtre ſervitium, a quo ne clericus quidem eximitur; & ad temperandos canones diſputari cepit, an clericus poſſet per ſubſtitutum ſervire? quod etſi jure negandum eſſet, quia juramentum præſtari debet a clerico, & ipſe, non ſubſtitutus juramenti formulam concipere, Petr. de Marca *de Concord. lib.* 8. *cap.* 21., nihilominus invaluit, clericum de feudo inveſtitum poſſe per ſubſtitutum, præcipue ſi Dominus ſciverit illum eſſe clericum, ſervire; & certe recentius inventum eſt, a primæva feudi natura multum recedens, ut per ſubſtitutum ſervire liceat, inquit, Ziegl. *de Epiſcop. milit. cap. XI.* §. 46., Giphan. *loc. cit. n.* 32., H. Piſtor *lib.* II. *QQ.* 33., Hannet. *lib.* I. *cap.* 6. Scrad. *P. IV. cap.* 3. *n.* 7. Andr. *in* II. *f.* 30. *n.* 5. Bruckne. *de Roman. Regni German. cap.* 3. *n.* 15., Choppin. *de Doman. Franc. lib.* III. *tit.* 24. *n.* 3. Porro aliud eſt clericum de novo feudo inveſtiri, & poteſt II. *f.* 40. §. *fin.* aliud eſt in feudo ſuccedere, & non poteſt, quia factus eſt miles Chriſti II. *f.* 26. §. *qui clericus*, II. *f.* 36. dicam *lib.* II.

Monachus ſi inveſtitur, feudum adquirit monaſterio, modo illud poſſeſſionis ſit capax, quia monachus comparatur ſervo, imo monachus deterioris eſt in adquirendo conditionis, quam ſervus; monachus ne voluntate quidem Abbatis, vel S. Pontificis in particulari poteſt poſſidere, ſed ſervus poſſidet voluntate Domini. Dum vero Princeps feuda Monaſterio, monacho, aut Eccleſiæ concedit, intelligitur annuere, ut per ſubſtitutum ſerviant, pecuniam, victum, & milites tempore belli ſuppeditet, Capit. Carolim. *lib.* 7. 103. *Reliqui vero, qui ad Eccleſias ſuas remanent, ſuos homines bene armatos nobiſcum, aut cum quibus juſſerimus, dirigant*; Conf. Murat. *diſſert.* 26. Animadvertendum, feudum ſi concedatur Monacho tantum contemplatione ejuſdem, etſi adquiratur monaſterio, mortuo tamen monacho, redire ad Dominum; ſi vero datur contemplatione monaſterii, decedente monacho, manet penes Monaſterium, quia monachus conſideratur uti modus

Digitized by Google

dus adquirendi Jul. Clar. §. *feudum quæſt.* 78., Camil. *de Curt. in diver. P.* 1. *p.* 18. *n.* 7. Quod dictum eſt de Eccleſiis, dicendum & de profanis univerſitatibus.

Servus recte inveſtitur de feudo 11. *f.* 3. *V. perſonam*, modò inveſtiens ſciverit eſſe ſervum *arg. l. XI.* §. 16. *D. de Legat.* 111. Diſtinguendum vero eſt: ſi Dominus inveſtit ſcienter ſuum ſervum, & cenſetur ſtatim ei libertatem concedere *l.* 6. *C. qui milita.* Secus feudum ſibi ipſi adquireretur, quod fieri non poteſt: aut inveſtit ſervum alienum contemplatione ipſius ſervi, ſciente, & patiente Domino, & etiam evadit liber; aut contemplatione Domini, & tunc feudum adquiritur Domino, Alvero. *ad d.* 11. *f.* 3. *n.* 1., Andr. *eo. n.* 13., Vultej. *de feud. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 7., Roſent. *cap.* 3. 6. *n.* 5., quicquid enim adquirit ſervus, ſtatim Domino ignoranti, & invito adquiritur, ut jure civili ſtatutum eſt, cui inhærendum, quum deficiat jus Longobar. 11. *f.* 1. Non inveni in LL. Longobar., Franco; Wiſigoth. & ſimilium, ni fallor, ut ſervus adquirat Domino; Sed tantum hæc, (1) ſervus non poterat ſine conſenſu Domini uxorem ducere *lib.* 11. *LL. Longob. tit.* 9. *l.* 2. & 4. (2) datio noxæ, ſi Dominus componere noluerat *lib. VI. LL. Wiſigoth. tit.* 5. *l.* 6., *lib. X. tit.* 1. *l.* 10., *lib. V. tit.* 4. *l.* 13. Capit. Caroli M. *lib.* 111. 44., edictum Theodorici Regis Oſtrogothorum *cap.* 109. (3) Clericus fieri non poterat, niſi manumiſſus *lib.* 1. *Capit.* 88., *lib.* 1. *LL. Longob. tit.* 33. 12., hinc duo Epiſcopus rogare ſolebat, an *ſervus eſſet*, & an *legere noſſet*, Balut. *ad Regin. ad n.* 75. & 83. (4) non accuſare Dominum, excepto crimine læſæ majeſtatis *lib. VII. Capit.* 148. & 142. (5) non militare, ſicut jure Rom. *l.* 6. *C. qui milita.* Symmach. *lib. VI. ep.* 64., Serv. *in IX. æneid. V.* 7. *Servos ſane nunquam militaſſe conſtat, niſi ſervitute depoſita, excepto Annibalis tempore; cum poſt cannenſe prælium in tanta neceſſitate fuit urbs Roma, ut ne liberandorum quidem ſervorum daretur facultas*; & patet *lib. IX. LL. Wiſigot. tit.* 2. *l.* 9. (*b*) hodie vero non ſunt,

 ſed

(b) De Servis Eccleſiarum nihil frequentius occurrit, qui, paucis exceptis, juris Romani erant, & præcipue Eccleſia adquiſivit cum donationibus prædiorum, ut late probat Maiſtre *de Bonis Eccleſ. lib.* 111. *cap.* 5.

Digitized by Google

ſed in Germaniæ provinciis tantum *homines proprii*, conf. Kloc. *de Contribut. cap. 2. n. 36.* (c).

Supremus Princeps poteſt inveſtiri ab Inferiore, ut Carolus fuit Vaſallus Regis Galliæ intuitu Flandriæ, Rex Daniæ Vaſallus eſt Imperii in quadam Holſatiæ parte; Rex Hiſpaniarum eſt Burgundiæ Comes, ſedetque in Comitiis Imperii, non ut Rex, ſed ut illius Regionis Comes, Elector Brandeburg. eſt Poloniæ Vaſallus, reſpectu Poloniæ Ducatus, quem hodie jure optumo tenet. Hujuſmodi tamen perſonæ juramentum, & ſervitium præſtabunt per ſubſtitutum, Wiſenbac. *Compend. jur. feud. cap. 2. in fi.*, P. Greg. *de Republ. lib. VI. cap. 4. n. 3.*, Camer. *in* 11. *f.* 55. *p.* 71.; Hotom. *Illuſtr. qq.* 35. Vulteſ. *de feud. lib.* 1. *cap. VI. n. 9. &* 10., neque Dux, Comes, vel Marchio electus Imperator amittunt feudum, quod prius poſſidebant *arg. l. 4. §. 2. D. de Cenſib.* In feudo enim duo ſunt conſideranda obligatio perſonalis, & jus in rem. *Obligatio perſonalis eadem eſt, ſive quis ipſum jus imperandi, ſive aliud quidvis etiam alibi ſitum feudi jure poſſideat. Talis autem obligatio ſicut privato non erat demtura jus libertatis perſonalis, ita nec Regi, aut populo jus demit ſummi Imperii, quæ libertas eſt civilis: quod apertiſſime conſpici datur in feudis liberis, quæ franca vocant, quæ nullo jure in rem, in ſola perſonali obligatione conſiſtunt. Hæc enim nihil aliud ſunt, quam ſpecies fœderis inæqualis, de quo egimus, quo alter alteri operam pollicetur, alter alteri præſidium, & tutelam. Pone etiam adverſus omnes promiſſam operam, quod nunc feudum ligium vocant (nam olim ea vox latius patebat) nihil id de jure ſummi imperii in ſubditos detrahit: ut jam taceam ſemper ineſſe conditionem tacitam*

dum.

(c) Et ex legibus hujus Regni nemo militare poterat, niſi qui ex milite natus; aliter Principis venia opus erat; ut ex formula apud P. de Vineis *lib. VI. cap. 17. Supplicationibus ipſius benignius inclinati de poteſtatis noſtræ plenitudine tibi concedimus poteſtatem: quod quondam pater tuus miles non fuerit, & noſtris conſtitutionibus caveatur, quod milites fieri nequeant, qui de genere militum non naſcuntur: ipſe tamen de culminis noſtri licentia decorari valeat cingulo militari, mandamus.* Frider. intelligit *Conſt. Rogerii in Conſt. divinæ juſtitiæ lib.* III. 59. *& Conſt. eo.* 60., qnod hodie non ſervatur.

Digitized by Google

dum juſtum ſit bellum, de qua agendum erit alibi: Jus vero in rem quod attinet, id quidem tale eſt, ut ipſum imperandi jus, ſi feudi jure teneatur, aut familia extincta, aut etiam ob certa crimina amitti poſſit. Sed interim ſummum eſſe non deſinit: aliud enim eſt res, ut ſæpe diximus, aliud rem habendi modus, inquit Groti. *de J.B. & P. lib.* 1. *cap.* 3. §. 23.

Hinc victus etſi cogatur victori tributum præſtare vel perpetuum, vel ad tempus, non tamen amittit ſummam poteſtatem, quæ conſtituitur, dum ſubditi nihil altius, aut majus habeant, cui parere dabeant. Conditio itaque feudalis nihil juribus Majeſtatis detrahit, quum obligatio Vaſalli nullam inferat ſubjectionem, Ziegl. *de Jur. Majeſt. lib.* 1. *cap.* 111. §. 22., Bodin. *de Republ. lib.* 1. *cap.* 7. & 8., patet ex Proculo *in l.* 7. *D. de Captiv.*

Videndum ſupereſt de iis, qui feuda non poſſunt accipere; & primo excommunicatus majori anathemate, hæreticus, apoſtata, proſcriptus, Ethnicus, qui tanquam deportati exiſtimantur, publicus uſurarius. Quamvis in jure feudali non videantur prohibiti, neque a liberalitate Principis excluſi: recta tamen ratio ſuadet, ne honore, & dignitate ex clentela manante condecorentur. Facillime Senioris jura, fidem, & bona læderent, dum difficile non fuit Chriſti religionem prodire, violare, & odio proſequi. Ubi enim lex deficit, ratio regnare debet, quæ ſi cognita eſſet Principi, in legem deduxiſſet. Prima feudorum inventio fuit, militibus, aulicis, nobilibus, & viris ingenuis, quorum fides explorata erat, ſtipendia præbere, ut ſervire domi, militiæque Principi poſſent. Sæpe igitur, quod concedit jus gentium, prohibet religio, Pollman. *de feud. franco* §. 20. Hübner. *eo.* §. *XI.* Conf. Scrad. *P.* 11. *cap.* 4. *n.* 10.

Inveſtitus itaque duplex incipit habere patrimonium, alodiale, quod Barbaris dicitur *proprium*, *comparatum*, *hereditas*, ab omni onere liberum, jure optumo, maxumo poſſeſſum *l.* 59. *D. de Contrab. empt.*, Sicul. *de condit. agro.*, Budæ. *ad l. herennius D. de evict.* Feudale fidei, & ſervitiis obnoxium, quod clientela, beneficium, & res beneficiaria dici poteſt; Ex his deſcendit homagium, latine obſequium, & qui illud præſtat vocatur Vaſallus ideſt Cliens, & obligatus, qui deſcribitur a Kloc. *de Contribut. cap.* 14. *ſect.* 2. *n.* 11., *cui inveſtitura interveniente res mobilis, vel æquipollens confertur ea lege, ut proprietas quidem penes dantem remaneat, uſusfructus autem in accipientem transferatur ſub condi-*

Digitized by Google

tione mutuæ fidei, ut plurimum etiam onere ſervii certi, incertive annexo. Præterea, inductis feudis, vetus differentia rerum mancipi, & nec mancipi videtur reducta. Feuda ſunt res nec mancipi, quia proprietas remanet penes dantem, Cuja. *in* 11. *f.* 17., Gotofr. *in* 11. *f.* 23. Contius *de feud. cap.* 5. Wiſſenbac. *diatr. de mutuo diſput.* 9. 111. *th.* 9.

LIB.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS

FEUDALIS JURISPRUDENTIÆ

T I T. I.

DE REBUS, QUÆ IN FEUDUM DARI POSSUNT.

§. I.

De Diviſione, & qualitate rerum.

PEracto primo juris feudalis objecto, quod perſonis componitur; de rebus nunc, quæ ſecundam ejuſdem conſtituunt inſpectionem. *Rei* vocabulum adeo latiſſimum eſt, ut ſua nequeat coerceri definitione; complectitur enim quicquid Deus hominum uſui ſubjecit, & habere poterit in commercio, aut patrimonio, vocaturque ſæpe *pecunia l.*178. *D.de V.S.* Nam numus continet omne quod labore, moleſtia, & defatigatione noſtra partum eſt, ut explicant Hebræi Gaſpar Waſſer. *de Antiq. Numis Hebræo. lib.* 1. *cap.* 1. Sub *Rei* & nomine comprehenduntur quod voluntate hominis divinis uſibus eſt dedicatum *l.* 5. *D. de V.S. l.*1. *D.de R.D.* Rerum autem omnium Ictus non naturam perpendit, ſed jus exquirit, quod in ea cives habent.

Res

Res omnes ita dividere placet, ut aliæ ſint *juris naturæ-divini*, *aliæ juris humani*, aliæ *juris barbarici*. Juris naturæ-divini appello res ſacras, & religioſas. Etenim homo, adquiſita Dei cognitione, vi intus impellente, cultum, atque obſequium cæpit ei exhibere, ſacrificiis inſtitutis, & locis, quæ templa, atque ædes dixit, id eſt *loca divinis cultibus mancipata* (ut vocat Ludov. Pius, & Carolus Calvus apud Miræ. *in diplo. donat. Dia. cap.* 14.) Bertram. *de Republ. Hebræo. cap.* 2., eiſque merito quandam attribuit ſanctitatem.

Sacrum proinde nihil aliud eſt, niſi quod Deo dicatum, & ab hominem commercio exemptum, *ſive ædis*, *ſive ara*, *ſive ſignum*, *ſive locus*, *ſive pecunia*, *ſive quid aliud*, inquit Ael. Gallus apud Feſtum, exemplum præbet Plini. *lib. III. Epiſt. 6.* Quamvis Deo ſit plenum terræ dominium, utile tamen & uſum conceſſit homini (*a*), quem ſi eidem reſtituit, ex non ſacro evadit ſacer, & ſi, cogente neceſſitate, aufert, profanum nuncupatur, quum rei ſacræ veneratio non ex ſua deſcendat indole, ſed ab hominum voluntate, qui certo ritu, ut civitatis inſtitutum jubet, Deo dedit, & mutata voluntate, fieri valet profana *l.* 83. §. 5. *D. de V. O.*, *Groti. de J. B. & P. lib.* 11. *cap.* 5. *n.* 2., late Photi. *in Nomoca. tit.* 2. *cap.* 1., Darte *ad diſtinct. de Conſecrat.*, Voet *ad* §. 8. *Inſt. de R. D.*

Jure Chriſtiano, relicta Romanorum ſuperſtitione, res dicitur ſacra, duplici modo: proprie, dum nempe per chriſma, ritu ſolemni, a profano uſu, communi, & politico conſecrata jam removetur, ut calices, veſtes, patenæ, altaria, templa. Chriſtianorum ætate, quæ erant Pontificum apud Romanos, facta ſunt juris Epiſcopalis; & facultas magiſtratuum in templorum dedicatio-

---

(a) Ut conſtat ex lege Dei in Levit. XXV. v. 23. *Terra quoque non vendetur in perpetuum*, *quia mea eſt*, *& vos advenæ*, *& coloni mei eſtis*. Deus eſt Dominus terræ, & præcipue Iſraelis, quam elegit, ut eam poſteri patriarcharum inſolerent, & ſacra inſtituerentur; & proinde, ſuadente equitate, dedit leges, quas voluit, ut hebræi tanquam emphytheute exſtimarentur; idcirco Deus prohibuit in perpetuum vendit in צמיתות zemithuth hoc eſt in *exterminationem*, & proprietatem, Munſte. Fagius, & Vatabl. *ad d. v.* 23.

cationes interveniendi, hodie implent Reges Groti. *ad Inſt. de R. D.*, Coraſi. *ad l. 6. §. ſacra D. de R. D.* Buſi. *eo.* Stricte jure noſtro res ſacra eſt, vinum & panis in Euchariſtia; & aqua in baptiſmo. Res hujuſmodi ab hominum commercio prorſus exemptæ, nec alienari valent, Ivo Carnot. *Epiſt. CXI.* exceptis tribus caſibus, redemptionis captivorum, famis, & æris alieni, quod Eccleſia habet *l. 22. C. de SS. Eccl.*, infra dicam. Quaſi res ſacræ dicuntur, quæ miniſtrorum alimentis, & Eccleſiæ ejuſdem neceſſitatibus deſerviunt, quia omnino a commercio hominum non ſunt exemptæ, ut prædia eccleſiaſtica, & reliqua, quæ in cenſu Eccleſiæ ſunt. Nam permutari, vendi in emphyteuſim concedi, quibuſdam caſibus poſſunt *l. 14. C. de SS. Eccl.* infra dicam.

Res religioſa eſt, ſi quis in eam corpus, oſſave hominis infert *l. 6. §. 4. D. de R. D.*, Tulli. *de LL. lib. II. cap. 22.* *Priuſquam in eos* (Lambi. legit *os*) *injecta gleba, locus ille, ubi crematum eſt corpus, nihil habet religionis. Injecta gleba tum & illic humatus, & gleba vocatur: ac tum denique multa religioſa jura complectitur.* Illatio itaque cadaveris conſenſu Domini facta parit, locum religioſum, quem ſtatim quædam occupat Sanctitas; Tulli. *philip. IX.* *Majores quidem noſtri ſtatuas multis decreverunt: ſepulcra paucis. Sed Statuæ intereunt tempeſtate vi, vetuſtate: ſepulcrorum autem ſanctitas in ipſo ſolo eſt: quod nulla vi moveri, neque deleri poteſt: atque ut cetera extinguntur, ſic ſepulcra fiunt ſanctiora vetuſtate* (*b*).

Apud

(b) Et quoniam ſacrorum cura erat Pontificum, idcirco actio de ſepulcro violato competit Epiſcopis, & Pontificibus, Sidoni. *lib. III. epiſt. 12.* Plini. *lib. X. Epiſt. 73.* *p tentibus quibuſdam ut ſibi reliquias ſuorum, aut propter injuriam, fluminis incurſum, aliaque his ſimilia quæcumque ſecundum exemplum proconſulum transferre permitterem: quia ſciebam in urbe noſtra ex ejuſmodi cauſſis Collegium Pontificum adiri ſolere, te, Domine, maximum pontificem conſulendum putavi, quid obſervare me velis.* Mirari licet Conſtantinum, & Juſtinianum chriſtianos Impp. in tit. C. & D. *de ſepulcro violato, de relig. & ſump. fun. & de mortuo infer.* paganiſmi reliquias nobis reliquiſſe.

Digitized by Google

Apud nos nullus locus evadit religioſus privata auctoritate; ſed opus eſt Antiſtis conſecratione *can.* 28. *XIII. q.* 2., P. Greg. *Syntagm. lib.* 11. *cap.* 14. Exemplum refert Ivo Carnot. *Epiſt.* CCXXIX. *Rotrocus nobilis, & ſtrenuus Mauritaniæ Comes humilitatis noſtræ præſentiam adiërit, poſtulans, ut conſecraremus cujuſdem cœnobii cæmeterium, quod ſitum eſt ſuper fluvium, qui Tiron vocatur ad uſum quorumdam religioſorum monachorum, qui in eodem loco eremiticam vitam ducere elegerant, & monaſterium ibi pro loci, & temporis opportunitate conſtruxerant. Nos itaque tanti viri piæ petitioni aſſenſum præbentes prætaxatum locum in uſum cæmeterii ea dumtaxat conditione conſecravimus, ut nulla ibi de cetero ſecularis poteſtas ſeculares conſuetudines accipiat, nullas exactiones extorqueat. Cui conditioni prætaxatus Comes benigne aſſentiens, rem cumulatius, quam peteretur, exhibuit. Prædictæ libertati addens, ut quidquid de feudo ejus eidem loco concederetur, eadem immunitate potiretur.* Nomine rei religioſæ etiam continentur xenodochia, orphanotrophea, ptochotrophea, noſocomia, gerontocomia, etſi quæ ſunt pietati exercendæ plerumque Antiſtis auctoritate dedicata *tit. decret. de Relig. Dom.*

In his itaque rebus jus naturæ divinum ſanctitatem cognoſcit; jus Romanum recenſet etiam res, quæ nec ſacræ, nec religioſæ ſunt, ſed tales, ut abſque pæna violari non poſſint, ut muri, et portæ Civitatis, tam Romæ, quam municipiorum; eaſque dixit *ſanctas*, Groti. *ad tit. Inſt. de R. D.* vid. Lync. ad Huber. *de jure civ. lib.* 11. *cap.* 11. *n.* 26. Statuta proinde capitalis pæna in eos, qui aliquid in muros deliquerant *l. ult. D. h. t.* Apud nos nulla portis, muriſque ſanctitas, nulla pæna, niſi hoſtili animo ingredi vellet. Sancta res dici poſſet Civitas ad refugium conſtituta Beſold. *in diſſert. polit. diſſert. de R. D. cap. V.* §. 11. Hæ tres rerum ſpecies juræ naturæ divino nullius ſunt, ſed in dominio Eccleſiæ.

Illæ vero res, quæ talibus indutæ non ſunt qualitatibus, vocantur profanæ, id eſt quæ ab humano jure non diſceſſerunt, Serv. *Georg. lib. III. v.* 16. quia homo eas valet poſſidere, & jus experiri, quod, tellure non diviſa, omnibus æquale erat, D. Grego. in *Reg. paſtor. par. III. cap.* 21. *Cunctis hominibus terra communis eſt, & idcirco alimenta quoque omnibus communiter profert;* Horat. *lib.* 2. *ſat.* 2.

Nam

Digitized by Google

Nam propriæ Telluris herum natura, neque illum,
nec me, nec quemquam ſtatuit.

Senec. *in Hippolyto act. 2.*

——— *Hoc equidem reor*
vixiſſe ritu, prima quos miſtos deis
profundit ætas. Nullus hic auri fuit
cæcus cupido, nullus in campo ſacer
diviſit agros arbiter populis lapis. &c.

Non adhuc Gentes in vicos, oppida, civitates, pagos, provincias, & regna ſe diviſerant, omnia communia, Juſtin. *lib. XLIII. cap.* 1. de primis Italiæ populis ſcribit, *Italiæ cultores primi Aborigines fuerunt, quorum Saturnus tantæ juſtitiæ fuiſſe traditur, ut neque ſervierit ſub illo quiſquam, nec jus quicquam privatæ rei habuerit, ſed omnia communia, & indiviſa omnibus fuerint, veluti unum cunctis patrimonium*, Ringler. *de Doman. Germa. lib.* 1. §. 4. At, quum hæc communis vita pareret incommoda, quæ refert Ariſt. *lib. II. polit. cap.* 5., & Georg. Mor *tract. de Venat. par.* 1. *cap.* 2. *n.* 49., communi gentium decreto abrogata eſt, & res omnes in quatuor diſtribuerunt claſſes, ut aliæ eſſent ſingulorum, aliæ Civitatum, aliæ ſummorum Principum, demum aliæ communes.

Bona ſingulorum ſunt, quorum dominium quiſque adeptus eſt, videlicet jus utendi, & excludendi alios ab illa re, cujus liberam adquiſivit poteſtatem ſive jure gentium, hoc eſt primævo illo jure quos res diviſæ ſunt; ſive jure cujuſque Civitatis.

Bona Civitatum, ſeu Univerſitatis ſunt, quorum uſus patet cunctis qui ſunt illius Univerſitatis, dominium vero eſt Univerſitatis *l.* 2. §. 2. *D. Ne quid in loc. publ.*, atque in tres ſpecies divido, ut quædam ſint publica *auctoritate*, quædam privata *commodo*, quædam *utilitate* communia. Prima, ut theatra, fora, viæ, plateæ, quæ vendi non poſſunt, nec uſucapi. Secunda, ex quibus percipiuntur reditus ad ſubſtinenda Univerſitatis onera, ut vectigalia, aut quævis impoſitio, viarum, pontium, aliarumque reſtaurationi conſtituta, & cedunt arcæ. Tertia, pertinent ad ſingulos ut ſingulos, non univerſos, ut paſcua, ſilvæ, montes, jus venandi, piſcandi, quæ *domania* Civitatis ætas extra latium dixit. Imo hodie in Imperio, & Italia reperiuntur Univerſitates, quæ regaliis, & jure territorii fruuntur, uti ſupremus Princeps; quod jus ipſæ, aut ære, aut privilegio Impera-

Digitized by Google

ratoris, aut tempore, cujus neſcitur initium, adquiſiverunt, Bruckne. *Synop. de Doma. Regni German. cap.* 1. *n.* 40., *&* *cap. IX. n.* 72., Cellari. *de Princip. Doma. cap. VII.* §. 17.

Res Summorum Principum ſunt bona, quæ communi gentium conſenſu ad Majeſtatis ſplendorem, pacem, robur, & publicam Regni utilitatem tanquam Reipublicæ dotes Summo Imperanti ſunt attributa, quorum uſufructus ejus eſt, proprietas vero Regni, ut prædia, ſilvæ, vectigalia, cetera, quæ *Domania Principis* appellantur, ut infra, Bruckner. *loc. cit. cap. II.* §. 3., D. Greg. *de Republ. lib. III. cap.* 2., *& Synt. lib. III. cap.* 1. 2.

Bona denique *communia* ſunt, quæ adhuc priſtinæ communionis retinent veſtigia, quæque uſu, et proprietate omnibus patent, ut aqua profluens, mare, littora, aer, flumina, portus, ripæ, tanquam domania totius mundi. Has res Romani plerumque vocabant *publicas* Noodt *lib. I. Probabil. cap.* 7. *l.* 2. *D. de R. D.*, hinc Senec. *de Benefic. lib. IV. cap.* 28. *imbres*, *ventum*, *mare* vocat bona communia; & Ovid. *lib. VI. metamorſ. fab. V.* confundit res communes, & publicas.

Quid prohibetis aquas? uſus communis aquarum eſt:
nec ſolem proprium natura, nec aera fecit,
nec tenues undas: ad publica munera veni.

Introducta feudorum lege, alia invaluit rerum diviſio, Romanis ignota; in *proprias*, & *fiſcales*. Proprias barbarorum ætas vocavit, quæ nullius juris eſſent obnoxiæ, ſed optumo, maxumo jure poſſiderentur, & *alodium* dixerunt. Fiſcales, quæ a Rege primum, deinde ab aliis concedebantur hac lege, ut certis ſervitiis, vel militaribus, vel urbanis ſubjicerentur, & jure precario, & uſusfructus poſſiderentur V. Cl. Hiero. Bigno. *ad Marculf. lib. I. cap.* 2. *&* 13., Sirmund. *ad Capit. tit. VII.*

Rebus ita diviſis, nata ſunt jura, Serv. *in IV. æneï*; quæ non unius generis ſunt, dominium, quaſi dominium, uſusfructus, uſus, ſervitus prædii, & hypotheca. Præcipuum tamen eſt dominium, quum ſub ſe cetera contineat jura: nam dominium eſt *de re ſua pro arbitrio diſponendi poteſtas, extra quam ſi quid vi vel lege prohibeatur*. Lex prohibet re ſua cuique uti, vel propter conditionem perſonæ, ut pupillo, prodigo, furioſo: vel propter cautionem, ut appoſita in teſtamento ne res alienetur: vel pro-

pter

pter qualitatem rei, ut bona Eccleſiæ, & decurionum *l.* 2.*&* 3. *C. de prædiis Decur., tot. tit. Decret. de Reb. Eccl. alie.;* Quaſi dominium eſt Vaſallo in feudo, Emphytheutæ in re emphytheutica, Superficiario in ſuperficie, & eſt dominio proximum. Uſus, uſusfructus, ſervitus, hypotheca ſunt jura prædiorum. Denique, Dominium vel jure gentium, vel civili adquiritur: jure gentium, puta occupatione, acceſſione, ſpecificatione, commixtione, & traditione; & ſi occupatio hos omnes comprehendat; jure civili, nempe donatione, legato, fideicommiſſo, uſucapione &c. Noodt *ad tit. D. de R. D.* Interim de rebus, quæ in feudum dari poſſunt dicturi, a rebus humani juris exordiendum, exemplo M. Varronis, de quo S. Aug. *lib. VI. de C. D. cap.* 4. *Varronis igitur confitentis ideo ſe prius de rebus humanis ſcripſiſſe, poſtea de divinis, quia divinæ iſtæ ab hominibus inſtitutæ ſunt, hæc ratio eſt: ſicut prior eſt, inquit, pictor quam tabula picta, prior faber, quam ædificium; ita priores ſunt civitates, quam ea, quæ a Civitatibus ſunt inſtituta.*

Digitized by Google

T I T. II.

DE BONIS CORONÆ.

§. II.

De Domanio, Origine, atque Indole.

PRæclara feudorum conditio ſuadet a rebus publicis humani juris exordiri, in quibus potiſſimum ipſa conſiſtunt. Cum homines diſtinguere dominia cepiſſent, & agris terminos imponere, inſtitutis civitatibus, & regnis communi omnium conſenſu ſicut uni univerſa regendi poteſtas concredita eſt, ita certi reditus, prædia, & agri, ad regiam Majeſtatem, impenſas, ſplendorem, robur Reipublicæ, & milites ſubſtinendos collati ſunt. Quæ bona *Domania* Franci, aliique vocant, more Rnmanorum, qui prædia Principis *Dominica* dixerunt Mart. Friderich Seidel *diſput. de Sacro Doman. jure an.* 1648. *aſſert.* 1. §. 5., Gualt. Grigge Vuolgaſto *Diſſert. de Doma.* §. 1. & 2. & capitularia Francorum appellant *manſos*, aut *villas Dominicatas*. Sæpe nuncupantur bona coronæ, ager regalis, diadematis auguſti canon, bona ſceptorum, dotalis imperii fundus, publicus monarchiæ fundus, bona menſalia, bona Reipublicæ.

Summa autem ratio, qua Supremo Principi hæc bona fuerunt conſtituta ab omni jure exoritur, naturali, divino, civili, & canonico. Recta enim ratio jubet Summo Principi providendum, qui pacem in ſocietate conſervat, dominia ſingulorum tuetur, contra hoſtes arma movit. Igitur poſtquam Gentes naturali compulſæ indigentia, Principum expetierunt imperium, fas duxerunt, ordinem, qui eſt anima principatus obſervari, & ob varios labores ſingularibus Principes perfrui bonis, quia unicuique tribuendum, quod ſuum eſt. Hinc nullum Regnum, nulla ditio fuit, quæ domaniis deſtitueretur, quorum nomina recenſet Choppin. *de Doman. Franc. lib.* 1. *tit.* 1. Chriſtoph. Cellar. *lib. ſing. De Princip. Do-*

Doman. cap. III. §. 3.(*c*) Ita cum Hebræorum Reſpublica, in Monarchiam tranſiit, domanium Regis a Samuele juſſu Dei promulgatum eſt *I. Reg. VIII. v.* 11. *Hoc erit jus Regis, qui imperaturus vobis eſt; filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum, & conſtituet ſibi tribunos & centuriones, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum, & curruum ſuorum. Filias quoque veſtras faciet ſibi unguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoque veſtros, & vineas & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis. Sed & ſegetes veſtras, & vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis, & famulis ſuis. Servos etiam veſtros, & ancillas, & juvenes optimos, & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo. Greges quoque veſtros addecimabit, voſque eritis ei ſervi*, ubi Grotius, & clare Ezechiel *in cap. XLV. v.* 7.

(c) Videlicet Aegyptii vectigalia dividebant; prior pars Sacerdotum collegio; ſecunda Regi, tertia militibus cederet, & conſtat ex *Geneſ. XLVII.* Darius Perſarum Rex ſingulis provinciis Præſides conſtituit, ut tributa exigerent. Longobardi electo ex ſuis Ducibus Rege ſingulorum dimidiæ ſubſtantiæ contributionem decreverunt. In Scotia communi ordinum voto relevia feudorum, & fructuaria vaſallorum minorum tutela Regi attributa eſt. Domanium Angliæ componitur releviis quæ in feudis recognoſcendis ſolvuntur; portoriis quæ ex omni mercium genere Rex exigit; & tutela fructuaria vaſallorum, quæ ad an. uſque XXI. durat. Domanium Galliæ albinatu, portoriis omnibuſque conſtat regalibus. Hiſpaniæ Regibus decima omnium mercium, tributa, publica paſcua, reditus foci, vectigal lanæ, panni, herbæ, decima ex eccleſiaſticis bonis. Romani Imperii domanium erat in vectigalibus, portoriis, decumis, ſive decima parte reditus agrorum publicorum, vectigali ex paſcuis, ſaltibus; ſimileſque ditiones, Smith. *de Rop ubl. Anglo. lib. III. cap.* 11. 7. dixi *lib.* 1. *tit.* 3. §. 9., Laet. *in deſcript. Hiſpaniæ cap.* 21. & 22. Budæ. *de Aſſe lib.* IV. *p. m.* 104., omnium latiſſime Gaſp. Kloc. *de ærar. lib.* II. *cap.* 146. & *ſeqq.*, Sigon. *de antiq. Jur. Civ. lib.* I. *cap.* 16., D. Greg. *de Republ. lib.* III. *cap.* 2.

Digitized by Google

v. 7. diſtinguit domanium Principis, ubi Lyranus, & Tirin. (*d*).

Jure civili quemadmodum nihil ſanctius imperiali majeſtate ita & bona ei fuerunt collata, quæ a bonis Populi diſtinguebantur, ærario nempe, & Fiſco; hinc ſacra privata, ſacrum patrimonium, loca ad ſacrum dominium pertinentia, quæ poſterior ætas dixit domania. Denique jure canonico ſatis de Bonis Coronæ cautum eſt *cap.* 33. *de jurejur.* Omni itaque juri juſtitia domaniorum innititur Ringle. *de Doman. German. lib. I.* §. 5. *&* 6.

Hæc bonorum ſpecies deſcribi poteſt, *bona Reipublicæ, unde proveniunt fructus, ac reditus ordinarii ad Summorum Imperantium, & Reipublicæ neceſſitatem, utilitatem, expreſſe, vel tacite deſtinata*, ut Bruckner. *de Doma. Reg. Germa. cap.* 2. *n.* 1. Quorum uſusfructus Principis eſt, dominium ipſius Regni, ad ſuſtinenda Reipubl. onera, publicis neceſſitatibus, juſtitia adminiſtranda, vaſallitica adquirendi fidelitate, & ſi quæ ſunt. Grot. *de J. B. & P. lib. II. cap.* 6. *n.* 11. Dividitur in *antiquum*, quod nonnulli vocant profectitium, & *novum*, ſeu adventitium. Antiquum dicitur, quia a primis imperii incunabulis Principes obtinuerunt, tanquam anima cum corpore, dos cum matrimonio. Novum, quod poſt imperii conſtitutionem noviter coronæ adjunctum eſt, videlicet *incorporatione*, ſi ita loqui fas eſt, quæ vel emtionis, hereditatis, vel publicationis bonorum titulo evenire valet.

Et quoniam magnopere juvat cognoſcere, an res dicatur incorporata, & domanii naturam aſſumpſiſſe, idcirco de ea dicam. Incorporatio duplici modo contingit, *expreſſe*, vel *tacite*. Expreſſe, dum Principis Patronus ſeu Comes rerum privatarum, extincta e. c. alicujus linea ſanguinis, acta inquiſitione, prædiis ejus titulos Regios affigit, & in libro rerum fiſcalium deſcribit, cujus praxim exhibent *AAA. in l.* 3. *C. de Bon. vacan. l.* 5. *C. eo.* ubi

(d) Univerſa promiſſionis terra in quatuor partes fuit diviſa; quarum una templo, & Sacerdotibus; altera Levitis; tertia Civitati; quarta Principi *d. cap. XLV.* Ezech. ubi Trin. teſtatur v. 7. *Erat ergo principis portio et ſecundum latitudinem, & ſecundum longitudinem multo major, quam portio Sanctuarii ſimul & populi Jeroſolymitani.*

Digitized by Google

ubi Gotofr., Choppin. *de Doma. Franc. lib.* 1. *tit.* 2. §. 8., dixi *in proleg. cap. IX.* §. 44. Tacite, ſi res fiſco delatas, & apprehenſas quæſtores regii domanii adminiſtrant, earumque reditus in domaniales rationes referunt; dicendum domanii naturam aſſumpſiſſe *arg. l.* 91. *D. de leg. III.*, Sande *de probib. rer. alien. cap. XI.* §. 1. *n.* 7., & 8., Seidel *loc. cit. aſſert. IV.* §. 7., Bruckne. *loc. cit. cap. III. n.* 33., & *cap. VII. n.* 1. Quæſitum eſt, quantum temporis requiratur, ut res incorporata tacite dici poſſit? Aliis ſedet annus, aliis 30. anni, in Gallia X. Indigemus textu, quare loci conſuetudo, & lex Regni fundamentalis inſpicienda. Demum recte hæc incorporatio inventa eſt, uti modus adquirendi domanium: nam ſi Princeps heres inſtituatur vel quid ei relinquatur, eget aditione, qua manifeſtatur ejus animus velle hereditatem, ita & bona vacantia apprehendantur oportet, vid. Perez *ad tit. C. de bon. vacan.*, Gudelin. de jur. noviſ. *lia. V. cap.* 10. *n.* 26. dicam infra.

Ex his conſtat diſcrimen bonorum, quæ Summus Princeps valet poſſidere, quod DD. turpiter confundunt. Princeps habet bona triplicis generis, *domanialia*, *fiſcalia*, & *patrimonialia*. De Domanialibus jam dictum eſt, quorum hæc eſt indoles (1) ut conſiſtant in rebus, quæ ſint in hominum commercio; proinde excipiuntur res ſacræ, religioſæ, & eccleſiaſticæ, quæ uſibus divinis ſunt emancipatæ *l.* 17. *D. de V. S.* Non in rebus Univerſitatis, non in rebus alienis, quum iniquum ſit ſine cauſſa rem ſubditis auferre (2). Princeps uſumfructum habet, nec alienare, vel pignorare, vel vendere poteſt, etſi jusjurandum adfuerit, quum dominium ſit penes Regnum, ipſe adminiſtrator, ſicut maritus in dote ſuæ uxoris, ut infra dicam (3). Fructus vero rerum domanialium non cenſentur domaniales, ſed patrimoniales, licet publicis uſibus impendendi (4) ut non præſcribantur, niſi immemoriali Bruckn. *de Doman. cap. VIII. n.* 1. P. Greg. *de Republ. lib. III. cap.* 2. *tot.* Grotius *de J. B. & P. lib. II. cap.* 6. *n.* 12., Seidel. *loc. cit. aſſert. IV.* Stryck. *to. VII. diſput. XIV. cap.* 2. *n.* 36.

Bona patrimonialia ſunt, quæ poſſidet uti privatus, non uti Cæſar vel jure ſucceſſionis, vel contractu, de quibus eſt *tit. C. de fund. rei priv.*, & *l.* 2. & 3. *de quadri. præſcrip.*, & Eginhardus in vita Caroli, in Hilderico ultimo e merovingis rege, *Cum præter inutile Regis nomen & precarium vitæ ſtipendium, quod ei Præfectus Aulæ, prout videbatur, exhibebat, nihil aliud pro-*

Digitized by Google

proprii poſſideret, quam unam, & eam perparvi reditus, villam, in qua domum ex qua famulos ſibi neceſſaria miniſtrantes, atque obſequium exhibentes, paucæ numeroſitatis habebat. Thegan. in vita Ludovici I. *Erat Imperator in tantum largus, ut villas regias, quæ erant ſui, & avi, & tritavi fidelibus ſuis tradiderit in poſſeſſiones ſempiternas.* In his bonis plenum habet dominium, eorumque adminiſtrator Cæſaris dicitur *procurator tot. tit. C. de off. Procur. Cæſa.*, locus; in quo cuſtodiuntur, *ærarium*, Bodin. *de Republ. lib. 1. cap.* 10., Bruckne. *loc. cit. cap.* 1. *n.* 19., Strauchi. *diſſert. de oppigno. rer. Imperii cap. VII.* §. 17. & 18., Stryck. *to. VI. diſput. XVIII. cap.* 3. *n.* 3., & *to. VII. diſput. XIV. cap.* 2. *n.* 24.

Bona fiſcalia dicuntur, quæ Principi ad tuendam ſuam dignitatem communi populi conſenſu conceſſa ſunt, videlicet regalia, ſive majora, ſive minora. Proinde omnis res domanialis eſt Fiſcalis, ſed non viciſſim, ut jus collectas imponendi eſt fiſcale, quia Fiſcus fructus inde percipit, nec confundendum cum domanio, quod eſt patrimonium Regni. Reditus fiſcalis incertus eſt, non vero domanialis; Domanium eſt ad victum, annonam, & cultum regiæ majeſtatis; fiſcus & ad ſtatum regni, & tuitionem Reipublicæ, Stryck. *loc. cit.*, Grigge *diſput. de Doman.* §. 5. Nobis de bonis fiſcalibus, ſeu regalibus dicendum, quum patrimonialia incerta eſſe poſſint, domanialia nullo fere jure in Principis poteſtate.

TIT.

T I T. III.

DE REGALIBUS SUMMI PRINCIPIS:

§. III.

De Tempore, quo Principi competunt Regalia; Definitione, & Diviſione.

ENucleatum ſupra eſt, domanium eſſe Reipublicæ patrimonium, tanquam dos, cujus Principi interdicta eſt alienatio: fructus & domaniales eſſe Principis, & ab ipſomet differre domanio, ex Grot. *in lib. II. de J. B. & P. cap. VI.* §. 12., ſicut a Regaliis, quæ ſunt jura incorporalia *illi, qui ſummum in Republica tenet imperium competentia ad tuendam ſalutem, & dignitatem Reipublicæ*, inquit Ziegl. *de S. M. lib. I. cap. III. n.* 20., hinc male Sigon. *de R. Ital. lib. VII.* regalia vocat *res*, ibi. *Erant autem regalia dignitates, & prædia; quæ Mox benemeritis ad arbitrium concedebat. Dignitates, ut Duces, Marchiones, Comites, Capitanei, Valvaſores, & Valvaſini: prædia, ut vectigalia, telonea, portus, ripatica, pedatica, monetæ, piſcariæ, molendina, ſalinæ, fluminum uſus, & omnis proficiſcens ex illis proventus.*

Jus enim illud, quod Summus Imperans in ſuo dominio ſolus ſibi vindicat, vocatur *regalia*, ut regalia D. Petri, id eſt jus temporale, quod Eccleſiæ Romanæ competit. Neque Marchia, Ducatus, Comitatus reſpectu Imperatoris recte dicuntur dignitates; ſed jus creandi Marchionem, Ducem, & Comitem, quæ ſunt regalia, ut recte appellat Sigeb. Gemblac. in Expoſit. Fæderis Callixtum inter & Henricum de Inveſt. *Promiſit Papa, & ſuis pro ſe jurantibus affirmavit: ſe dominica inſtantis quadrageſimæ omnia regalia cum juſtitia, & auctoritate apoſtolica, ab Epiſcopis, & Eccleſiis auferre, & regno reddere, id eſt Civitates, Ducatus, Marchias, Comitatus, Monetas*, (hoc eſt officinas monetarum vul-

Digitized by Google

vulgo *la zecca*) *telonea*, *advocatias*, (hoc eſt feudum advocatiæ de quo in 11. *f.* 27. §. *quicumque* 7.) *omnia jura centurionum*, *& villicorum curtes*, *& villas cum omnibus pertinentiis ſuis*, *quæ regni erant*, *militiam*, *& caſtra*. Iiſdem verbis utitur Pet. Diaco. *in Chron. Mont. Caſin. lib. IV. cap.* 3.

Hæc jura tunc competunt Imperatori, vel Regi, quoties Princeps ſalutatus eſt. Solemnitas creandi ſummum Principem inconſtans erat; Romani ſibi creabant Imperatorem vel teſtamento, vel adoptione, vel a Senatu, vel a Militibus; exempla dat Buleng. *de Imp. Rom. lib. II. cap.* 1. Creationem a militibus actam ſequebatur acclamatio his formulis, *multos annos*, *apollo venerabilis*, *Auguſte optime*; erat & elevatio ſuper ſcutum (*e*). Peracto ritu Imperator in Senatum poſtea in Caſtra Militibus, & Patribus gratias agens ſe conſerebat, Corip. apud Bulgen. *loc. cit.*

Intonuit Patrum ſubitus fragor inde clientum
Clamores creſcunt, *clamoribus adſonat æther*
Laudibus innumeris regnatum nomine tollunt.
Juſtino vitam tercentum vocibus optant,
Auguſtæ totidem Sophiæ plebs tota reclamat,
Felices annos Dominis felicibus orant.
Ipſe coronatus ſolium conſcendit avitum
Atque crucis faciens ſignum venerabile, *ſedit.*
Erectaque manu cuncto præſente Senatu
Ore pio hæc dixit: vos o mihi proxima membra
Conſcripti Patres, *noſtri pars maxima regni*
Vos eſtis pectus, *vos brachia verticis hujus*
Quorum conſiliis, *quorumque laboribus uſa*
Publica res domuit gentes, *& regna ſubegit.*

At

(e) Cecinit Ovid. *lib.* 1. *faſt. circa fin.*

Augeat imperium noſtri ducis, *augeat annos*

Albert. Muſſat. *lib.* VII. *Hiſt. Aug. rubr.* 7. *Coronam auream capiti ejus impoſuere multis cleri*, *populique applauſibus inclyto Imperatori Henrico ſemper auguſto vitam victoriamque acclamantibus univerſis*, latiſſime Oſius *ad eundem Muſſat. lib.* 1. *rubr.* 5.

At cum Leo III. an. DCCC R. Imperium a Græcis ad Francos primum in Carolo M. tranſtuliſſet, alia invaluit ſolemnitas, nempe *electio*, ſed a quo inventa, non ſatis conſtat. A Carolo M. uſque ad Ottonem III. imperium jure ſanguinis fuiſſe poſſeſſum putat Magnum Chron. Belgi., Chron. Auguſta., Paulus Langius in Chron., Georg. Sabinus *de elect. & Coron. Caroli V.*, Reinhard. vero Vitria. *Inſt. jur. publ. lib. I. tit. 6.* Henrico IV. attribuit an. MLXXVII., Natal. Alex. *H. E. ſeculo IX. & X. Diſſert.* XVII. *quæſt. un.* Friderico II. ſub quo Principes Germaniæ jus eligendi Imperatorem ſeptemviris detulere. Quicquid ſit; ratio cur Leo III. a Græcis ad francos tranſtulit imperium, fuit, *quod Imperatores Conſtantinopolitani tempore ejuſdem Caroli, & longe ante tempora ejuſdem, ſcilicet tempore Pipini Patris, ac tempore Caroli Martelli avi ſui, Eccleſiam Romanam variis infeſtati nibus oppreſſam, aliaſque Chriſti Eccleſias, & Clerum in Occidentali imperio non defendebant*, inquit, Lupold. de Babenberg. *tract. de jure reg. & Imp. Rom. cap. IV.*, eandem cauſſam affert Sigon. *lib. IV. ad an. DCCCI.* Bodin. *de Republ. lib. 1. cap. 9.* Nihil tamen auctoritatis Leo contulit Carolo, ſed populus, jus gentium, communis Germaniæ voluntas divinitus oſtenſa, Cuſan. *lib. III. de concord. cap. 4.*

Electo Imperatore ſolenniter, ſtatim jura majeſtatis, domania, & regalia in eum tranſeunt; ſed quotnam ea ſint? nonnulli recenſent LXVII., alii CXXV., alii CCVIII. Alii tantum cognoſcunt, quæ Frid. I. in 11. *f.* 56. enumerat. Male: ſæpe aliqua jura in uno regno ſunt regalia, quæ alibi ignorantur, ut in Pruſſia Soccinum eſt inte regalia: excauſtum Leo Imp. ſibi reſervavit, ut nemo illo colore ſcriberet, Ziegl. *de S. M. lib.* 1. *cap.* 3. §. 3., Buleng. *de Imp. Rom. lib.* 2. *cap.* 10., Georg. Hahn *diſput. in augur. an.* 1686. *de Præſcrip. bon. Princip. cap.* 2. *n.* 18. & 19., In Ruſſia, Tartaria, Turcia, Anglia, & præſertim Gallia inter regalia eſt jus Albinagii hoc eſt jus vindicandi bona alibi natorum, ſive teſtati ſive inteſtati decedant, de quo late agunt Gudelin. *de jur. noviſ. lib. V. cap.* 10. *n.* 13., Choppin. *de Dom. Franc. lib.* 1. *tit.* XI., Barthold. *diſſert. in aug. an.* 1688. *de Neceſſit. edend. tit. poſſeſſ. cap.* 3. *n.* 105. Proinde mores Regnorum ſpectandi.

Neque mens *Frid.* 1. *in d.* 11. *f.* 56. fuit omnia Principis regalia referre, ſed ea tantum, quæ in Italia ſuo ævo ad Epiſcopis,

Digitized by Google

Comitibus, Vaſallis, & Civitatibus erant uſurpata. Gothi enim, Longobardi, Franci, & Germani, qui poſt R. Imperii excidium in Italia dominati ſunt, ſua quoque inſtituerunt regalia, nempe vectigalia, pro mercium evectione in publicis viis, portubus, itinere, fluminibus, piſcationes, cenſum, qui ex ſilvis, lacubus, ſalinis, herbaticis, criminibus, ceteris, quæ ad Principis ærarium pertinebant. Hæc regalia in deſuetudinem abierunt hiſce præſertim cauſſis (1). Tyrannica Miniſtrorum imperii adminiſtratione, qui Italiam regebant (2); abſentia Imperatoris, qui in Germania ſedebat (3), ſeditio populi, qui imperii Vicariis, ſeu miniſtris obedire nollet (4); tenella Ottonis. III. ætas, quæ anſam dedit Italiæ populis ad libertatem, & abſolutum dominium proclamandi (5); vitia, & anathema Henrici IV. inter Reges; III. inter Imperatores, quem Creg. VII. ſacra percuſſit deportatione an. MLXXVI. Prima regalium uſurpatio accidit ſub Ottone II. an. 983., duravit ſub Ottone III., perfecta eſt ſub Henrico IV., qui, cum aſſiduis bellis eſſet impetitus, labantem videns fortunam, regalia modo vendidit, modo donavit, modo uſurpata tolerabat conf. Murat. *diſſert. XLV.* Primumque Mediolanenſes, & Ticinenſes caput extulerunt: hinc in Italia audiri viſi ſunt Conſules, officia, poteſtates, qui ſuo arbitrio regaliis, & infeudatione utebantur.

Aucta igitur Civitatum Italiæ potiſſimum Mediolani, Ticini, Mantuæ, Cremonæ, ceterarum poteſtate, atque occupatis Imperatorum juribus, Fride. I. an. MCLIV. Italiam ingreſſus eſt, ut imperii jura ſibi reſtituerentur, Heinricus Stero *in Annal. edit. Caniſii to. IV. monumen. p.* 172. *Italiam rebellem fortitudine ſua premit; Cremonam, Mediolanum, Bononiam, Placentiam, Brixiam, Veronam, Spoletum, & alias Civitates ſua potentia ſic devicit, ut Mediolanum, Cremonam, & quaſdam alias urbes Italiæ omnino deſtrueret; civibus eorum quibuſdam occiſis, quibuſdam in exilium relegatis. Nam ſeptem vicibus de Alemannia duxit exercitum, contra ipſos.* Hanc urbium deſtructionem carmine deſcripſit Godefr. Viterbien. *in Phanteo. ed. Murat.*

Fridericus in Campis Rongaliæ voto Bulgari, Martini, Jacobi, & Hugonis, quos *doctiſſimos* Bononiæ ICtos vocat Radevicus, regalia recuperavit, Sigon. *de Reg. Ital. lib.* XII., rem ſic enarrat Radev. *lib.* II. *de Geſt. frid.* 1. *cap.* 5. *Denique ſuper juſtitiæ Regni, & de regalibus, quæ longo jam tempore, ſeu temeritate*

Digitized by Google

te pervadentium, ſeu neglecto Regum imperio deperierunt, ſtudioſe differente Friderico, cum nullam poſſent invenire defenſionem excuſationis, tam Epiſcopi, quam Primates, & Civitates uno ore, uno aſſenſu in manum Principis regalia reddidere, primique reſignantium Mediolanenſes extitere. Requiſitique de hoc ipſo jure, quid eſſet, adjudicarunt Ducatus, Marchias, Comitatus, Conſulatus, monetas, telonia, fodrum, vectigalia, portus, ripatica, molendina, piſcatias, omnemque utilitatem ex decurſu fluminum provenientem: nec de terra tantum, verum etiam de ſuis propriis capitibus cenſus annui reditionem. Hiſce omnibus in fiſcum adnumeratis, tanta circa priſtinos poſſeſſores uſus eſt liberalitate, & quicumque donatione Regum aliquid horum ſe poſſidere inſtrumentis legitimis edocere poterat, is etiam nunc imperiali beneficio, & Regni nomine id ipſum perpetuo poſſideret. Ex his tamen qui nullo jure, ſed ſola præſumptione regalibus ſe intromiſerant, XXX. millia talentorum, plus, minuſve reditibus publicis per ſingulos annos acceſſere, & eleganter Gunther. *lib.* VIII. Alteſer. *de Ducibus lib.* II. *cap.* 2. *in fine*.

Hujuſmodi regalia jam imperio reſtituta Frider. voluit obſervari non modo in Italia, *ſedet* in Germania, Muti. *in Chron.*, Sixtin. *de Regal. lib.* 1. *in proem. lib.* 9. 10. & 11., eaque Feudiſta percenſet in 11. *f.* 56., nempe armandias, vias publicas, flumina navigabilia, portus, ripatica, vectigalia, vulgo telonia, monetas, mulctarum, & pœnarum compendia, bona vacantia, quæque indignis oblata, bona inceſtas nuptias contrahentium, damnatorum, proſcriptorum, angarias, parangarias, plauſtrorum, & navium præſtationes, extraordinariam collationem, jus conſtituendi magiſtratus, argentarias, palatia, piſcationes, ſalinas, bona reorum læſæ majeſtatis, theſauros. Hæc dividuntur in majora, quæ DD. recte vocant *perſonalia*, ego *intrinſeca coronæ* appello; & minora, quæ a majeſtate facile ſeparantur, & *extrinſeca* dico. Majora ſunt jus condendi leges, creandi magiſtratus, dignitates, conferendi nobilitatem, concedendi notariatum, jus legitimandi, dandi veniam ætatis, vectigalia imponendi, jus monetæ, jus circa ſacra; pacis, & belli, extrema provocatio; reliqua nuncupantur minora. Primum *de majoribus*.

TIT.

Digitized by Google

T I T. IV.

DE MAJORIBUS REGALIIS.

§. IV.

Lex, Magiſtratus, Dignitas, & Nobilitas.

PRimus ſummæ poteſtatis character eſt *poteſtas condendi leges*, quæ omni juri innititur: Deus enim voluit ſocietatem, hæc ſine lege regi nequit, quia ſocietas ad beate videndum inſtituta, una indiget voluntate, quæ in ſummo Imperante repræſentatur; igitur Deus voluit ſummum imperium, cui legis condendæ adeſſet poteſtas, quæ verſatur, vel circa jus naturæ, vel divinum, vel gentium: circa jus naturæ humana Majeſtas nihil valet, quia illud eſt immutabile, æternum, ſive quid vetat, ſive quid abſolute jubeat. Si vero quid prohibet, vel vetat ſub conditione, Princeps tunc aliquid ſancire poteſt, ut lex naturæ jubet *depoſitum reddi*, Princeps poteſt prohibere, ne reddatur, quia forſan nocet Domino, Seneca *lib. IV. de benef. cap.* 10. *Depoſitum reddere per ſe res expetenda eſt, non tamen ſemper reddam. Nec quolibet loco, nec quolibet tempore. Aliquando nihil intereſt utrum inficier, an palam reddam. Intuebor utilitatem ejus, cui redditurus ſum, & nociturum illi depoſitum negabo* (*f*).

Juri divino, nec detrahere, nec addere, nec abrogare, nec derogare poteſt; ſi vero eſt ſub conditione promulgatum, tunc poteſt, ut erant leges Moyſis iudiciales, & ceremoniales, ob temporis circumſtantias latæ. Circa jus gentium, quia eſt juris naturæ

(f) Et quia jure naturæ, ſicut & divino cuique adquiſitum jus, quod Princeps ſua lege nec poteſt nec præſumitur tollere.

Digitized by Google

turæ concluſio, nihil ſancit, niſi adſit ſalus vel neceſſitas Reipublicæ, ut jus gentium dat cuique de re ſua diſponendi arbitrium, lex Principis illud negat prodigis, furioſis, pupillis. In ceteris Princeps dat leges uti lubet, quæ honeſtæ, poſſibiles, manifeſtæ, breves, juſtæ, & utiles eſſe debent. Denique ex eadem poteſtate deſcendit jus dandi privilegia, tam ſingulis, quam certis hominum ordinibus, nempe mulieribus, minoribus, fiſco, militibus, & legum doctoribus Huber. *de jure Civit. lib. I. cap.* 18. §. 21., P. Greg. *de Republ. lib. IX. cap.* 1.

Et quoniam omnis juriſdictio eſt penes Principem, ipſe undique per ſui dominii partes exercere nequit, jubet ratio ei *jus eſſe creandi magiſtratus*, qui juſtitiam adminiſtrent. Hinc Princeps juriſdictionem dividit, uti Reipublicæ ſalus petit; quia juriſdictio eſt apud Principem, tamquam fontem, a quo fluunt, & refluunt omnes juriſdictiones: fluunt ab eo in inferiores titulo conceſſionis; refluunt vi appellationis, Bartho. de la Caſas Epiſc. Chiapenſis *quæſt. Utrum Reges vel Principes jure aliquo &c. poſſint alie. Subditos*. §. XII. *concl.* 3. *n.* 3., Ziegl. *de S. M. lib.* I. *cap.* 29. §. 3.

Poteſtas *creandi dignitates* ex eodem fluit fonte, puta Barones, Comites, Marchiones, Duces, Archiduces, imo & Reges; proinde Polonia, Bohemia, Dania beneficio Imperii regna evaſerunt, ut probat Stryck. *to.* VII. *diſput.* XIII. *cap.* 3. *n.* 6., Sixtin. *de Regal. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 23., Bruckner. *de Doma. Regn. Germa. cap. V. n.* 25., Conf. Peller. *ad Klock. de Aera. lib.* 1. *cap.* 4. *ad n.* 78., Hotom. *diſput. feud.* IX. Quæ dignitates olim precario, deinde ob civilia imperii bella hereditario jure poſſidebantur, ut dictum *lib.* 1. *tit.* 2. §. 6. Aliquando evenit has dignitates eſſe allodiales, & imperio immediate ſubjectas, ut Comitatus Pleſſenſis, Comites, Lippiaci, Schaumburgici, Diepholtenſis, ſimiles, Stryck. *loc. cit. diſp.* XIV. *cap.* 3. *n.* 44. Sixtin. *loc. cit. n.* 60.

Jus nobilitatem conferendi: ſi enim Princeps dignitates confert, ſequitur poſſe nobilitatem concedere; nam quo major eſt dignitas, eo major eſt nobilitas, ut Hunnorum patrio more cautum erat, *Rex habet patriam poteſtatem nobilitandi, & poſſeſſiones conferendi* Choppin. *de Doma. Franc. lib.* III. *cap.* 26. §. 12. Huber. *de J. C. lib.* II. *cap.* 6. §. 4., Plini. *in Panegyr. Cæſaris eſt, ut nobiles, & conſervet, & faciat*. Quadruplex tamen eſt nobilitas, natalibus, virtute, conceſſione Principis, & tempore.

No-

Digitized by Google

Nobilitas ex nativitate lege, non natura, fortuna, non merito orta eſt, in imagine, non in veritate conſiſtens, in aliena, non propria virtute, & ſudore innititur; imo quibus non eſt virtutis præſtantia, nobilitas dedecori eſt. Ex virtute ſive domi, aut militiæ parta, quæ vera dicitur nobilitas, viribus, propriiſque meritis accerſita, ut lex Turcarum eſt, & totius germaniæ, apud quam, qui militia armata pluribus annis obierant feuda poſſidebant, quia nobiles jam erant Perez *ad tit. C. de Dignit. n.* 30., Strick. *to.* IV. *diſput.* I. *cap.* 2. *n.* 40., Bodin. *de Republ. lib.* III. *cap.* 8. Ex Principis conceſſione nempe diplomate, quo quis nobilis declaratur; Denique temporis diuturnitas tacitam quandam confert nobilitatem, quum quis ab omnibus uti nobilis agnitus ſit, ſecus *ſubita fruitur imagine* hoc eſt recenti nobilitate, ut loquitur Plin. *lib.* X. *Ep.* 97. Huber. *de S. C. lib.* II. *cap.* 6. §. 5., Altefer. *de Ducibus lib.* II. *cap.* 8.

§. V.

Notariatus, legitimatio, venia ætatis.

JUs *conferendi Notariatum*; tota enim fidelitas, & vis inſtrumentorum Notarii non a ſe, ſed a ſuperiori dependet poteſtate, quum creatio Notarii dicatur oraculum veritatis, quod nemo ſibi adrogare valet, niſi a Principe ſit creatus. In Capp. RR. Franc. dicuntur Cancellarii, Capit. XII. Carlomanni *tit.* 3. *Ut Cancellarii electi boni, & veraces chartas publicas conſcribant ante Comitem, & Scabinos, & Vicarios ejus. Et nullis modis hoc facere præſumant de pecunia, antequam legitimum pretium detur* (g). Et noſter Frid. II. apud P. de Vineis *lib. VI. cap.* 52. *Notum facimus Univerſitati veſtræ, quod T. Taurienſis fidelis noſter juxta ſacrarum conſtitutionum noſtrarum* (reſpicit Conſt. *in locis lib.* I. 80.) *tenorem examinatus, inventus fidelis, & de genere fidelium or-*

(g) Quod pretium vocatur *ſepiaticum* a ſepia, qua tanquam atramento ſcribebatur, Lindenb. *in Gloſ. V. cathenaticum*.

Digitized by Google

ortus, & ſufficiens ad notariatus officium exercendum eſt per noſtram curiam approbatus. Propter quod de ipſius prudentia, & fidelitate confiſi, ſtatuimus eum publicum notarium Taurinenſem: ut amodo in terra ipſa publice notariatus officium ad honorem, & Fidelitatem noſtram debeat exercere: recepto ab eo jurejurando fidelitatis de ipſius publici notariatus officio fideliter exercendo. Quare fidelitati veſtræ mandamus, quatenus ſi in terra ipſa non eſt completus numerus ſtatutus notariorum noſtris conſtitutionibus comprehenſus, dicto T. fideli noſtro tanquam publico notario ejuſdem Terræ a noſtra majeſtate ſtatuto, de omnibus quæ ad ejuſdem notariatus officium pertinent, ad honorem. & fidelitatem noſtram de cetero intendatis.

Delapſo Rom. imperio publicus Notariorum uſus exolevit; ſub Barbaris deinde invaluit; in legibus eorum, & Capp. Francorum, & monumentis Italiæ aſſidua occurrit mentio; In Anglia ævo Henrici III. non erant Matth. Paris in ejus vita. *Quoniam Tabellionum uſus in Regno Angliæ non habetur, propter quod magis ad ſigilla authentica credi eſt neceſſe, ut eorum copia facilius habeatur, ſtatutum eſt, ut ſigillum habeant non ſolum Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ſed etiam eorum Officiales, Decani rurales, nec non Eccleſiarum Cathedralium capitula.* Quiſque enim fere privatus ſua adhibebat ſigilla, etſi apud Francos ante ſeculum XI. ſigillorum uſus non eſſet, ſi Mabillo. fides de *Re Diplom. lib.* II. *cap.* 13. *n.* 4., & *cap.* 17. 3.

Jus legitimandi eſt poteſtas Principi competens nothos natalibus reſtituendi *cap.* 13. *qui fil. ſint legit.*, publice enim intereſt Rempublicam legitimis repleri civibus; præſertim cum naturales pietate digni, non proprio, ſed alieno laborent vitio. Choppin. *De Doma. Franc. lib.* 1. *tit.* 10., & Frider. II. apud P. de Vineis *lib.* 6. *cap.* 16. *Dignum eſſe decrevimus, & conſentaneum rationi, ut ii, quos interdum in legitimis actibus defectus natalium impedit legitimationis honore, per Principem reparentur. Et ſi quando ſuper his imperialis favor fidelium ſuorum ſupplicatione requiritur, liberaliter largiatur. Inde eſt quod cum magiſter T. de Curis, Clericus fidelis noſter pro legitimatione P. S., & M. filiorum ſuorum, quos ipſe dudum in ſacris ordinibus conſtitutum, ex B. de eadem terra muliere ſoluta, ſe aſſerit genuiſſe, Majeſtati noſtræ humiliter ſupplicavit: nos ſupplicationibus ſuis benignius inclinati prædictis N. de plenitudine poteſtatis noſtræ ex certa ſcientia eos ſpurios eſſe legitimavimus, & omnia jura legitima reſtituimus; ut tanquam legiti-*

 giti-

gitimi, & legitimo thoro nati in bonis paternis, & maternis, quæ feudalia non exiſtunt, ſuccedant, & ad omnes actus publicos, & civiles bonores, ſi caſus ſe ingeſſerit, admittantur: & in omnibus aliis ſuam libere proſequi valeant actionem, objectione prolis illicitæ in poſterum quieſcente, & lege aliqua non obſtante, & ea præcipue, quæ legitimari ſpurios, niſi ex certa ſcientia non permittit.

Ante Innocent. III. nullus Pontificum tentavit jus legitimandi liberos, niſi in ſpiritualibus, puta dignitate, ordine; intra quos fines ſe continuit Urbanus II. *in can.* 13. *diſt.* 56.. Alteſer. *de Ducibus lib. II. cap.* 9.

Legitimatio triplex eſt per *ſubſequens matrimonium*, *oblationem Curiæ*, *& reſcriptum Principis*. Ante Conſtantinum M. filii illegitimi non erant in poteſtate patris, nec jura agnationis habebant, ipſe invenit quarto ineunte ſeculo; ut nati tantum ex concubinis, (non omnes ſpurii) per ſubſequens matrimonium fierent legitimi *l.* 5. *C. de Natur. liber.*, quæ non ad naſcituros, ſed ad jam natos ſpectabat. Anaſtaſius vero *l.* 6. *C. eo.* ad futuros porrexit. Certatim canones ſecuti ſunt Conſtantinum *cap. tanta* 6. *qui fil. ſint legit.*, idque favore matrimonii, liberorum, & odio concubinatus. Per oblationem Curiæ invenit Theodo. junior. *l.* 3. *&* 4. *C. eo.* ut ſi pater filios illegitimos offerat Curiæ Civitatis coram populo, vel actis intervenientibus, vel ſi filias naturales curialibus jungat matrimonio. In ſingulis municipiis erat Curia, ſeu collegium decurionum, cui intolerabile erat annexum onus, quare omnes refugiebant. Theodoſius, ut ad illa onera allicerentur, ſtatuit filios naturales huic Curiæ oblatos, fieri legitimos. Per reſcriptum Principis, dum ipſe rogatur, ut illegitimam prolem reſtitueret *auth. præterea C. eod.*, imo ex plenitudine poteſtatis, etſi pater non petierit, filium poterit legitimare Perez *ad tit. C. de Nat. lib. n.* 19., vid. Choppin. *de Doma. Franc. lib.* 1. *tit.* 10. *tot.* Francica lege inter regalia refertur jus ſuccedendi in bonis nothorum, qui abſque juſta prole obierint; in Hannonia, poſthabito Principis fiſco, pertinet ad Dominum plenæ juriſdictionis, quam in loco defuncti dicit, Choppin. *loc. cit. n.* 4.

Venia ætatis eſt privilegium a Principe conceſſum minori, ut bona ſua abſque curatore valeret adminiſtrare, & contrahere *l.* 1. *&* 2. *C. de his, qui ven. æta.* ſicut enim lege certus annorum numerus in ſuſcipiendis negotiis ſtatutus eſt, ita eadem lex mutare

po-

Digitized by Google

poteſt, ut minor requiratur. Hæc tamen ætatis impetratio concedi non ſolet, niſi cauſſa cognita, quod ſuper morum honeſtate, & induſtria ſupplicantis; neque indulgetur, niſi maſculus ſit XX. an., & fæmina XVIII. *l.* 2. *C. eo.*, ſed nihil vetat ante hanc ætatem rogare, & concedere. Neque impetrata venia adoleſcens poterit alienare res immobiles, ſine decreto judicis, ſed tantum mobiles *l.* 3. *C. eo.*, eaque amittunt beneficium reſtitutionis; conſtat ex Caſſiod. formula *lib. VII var.* 41. *Minor naſcendo, grandævus cupis eſſe conſilio. Ita, quod in humanis rebus audaciſſimum eſt, ad erroris auxilium beneficium contemnis annorum. Quapropter oblata ſupplicatione depromis, & cum tibi ſit ratio firma prudentiæ, actiones tuæ non relinquantur ambiguæ: ne infirmetur jure, quod non poteſt utilitate titubare. Hoc nos, quibus cordi eſt bona deſideria perficere: libenter accepimus. Quia nullas ſe captare velle profitetur inſidias, quiſquis habere liberos contractus affectat. Atque ideo ſi id tempus conſtat elapſum, quoad hanc veniam accedi jura voluerunt, nos quoque probabilibus deſideriis licentiam non negamus: ut in foro competenti ea, quæ in his cauſſis reverenda legum dictat auctoritas ſolemniter actitentur. Ita ut in alienandis ruſticis vel urbanis prædiis conſtitutionum ſervetur auctoritas. Ne cum opinioni præſtare volumus utilitatem publicam lædere videamur. Cape igitur noſtro beneficio potiorem annis ætatem: & quod petis ab oraculo, moribus exhibeto.*

Digitized by Google

§. VI.

Vectigal; moneta; ſacra; bellum; provocatio.

POteſtas imponendi vectigal, cum Regnis nata eſt, ut Aſſyriis, Medis, Perſis, Judæis, Ægyptiis, a quibus primum Reges prodierunt, edocemur, Geneſ. XLVII. Merito: ſicut enim quies gentium ſine armis, nec arma ſine ſtipendiis, ita nec ſtipendia ſine tributis obtineri queunt, Tacit. IV. *Hiſt.*, Juſtin. *Novel. CXLIX. cap. 2.*, & Schickard. *de jure Reg. hebræo. cap. IV. theor.* 15. *Ut enim corpus abſque nutrimento tabeſcit, ita regnum ſine reditibus enervaretur, etiam nemine extraneo id infeſtante. Inter reditus autem acie prima loco vectigalia, ſeu portoria, quæ mercibus, & illarum vectoribus, circumventionis, aut venditionis nomine proque uſu viæ publicæ imponuntur, & juxta frequentiores tranſitus, vel pontes exiguntur*, Bodin. *de Republ. lib.* 1. *cap.* 10.

Vectigal proprie eſt, quicquid Principi penditur, ſive in introitu, ſive in tranſitu, aut exitu per viam, pontem, ripam; quod jus eſt penes Principem, cum nemo abſque ejus auctoritate exigere poſſit *l. 3. C. Vectigal. nova.* & qui nova inſtituit vectigalia, inconſulto Principe, tenetur lege julia de ambitu, *l. un.* §. 3. *D. ad l. jul. de ambitu*; qui exigit, lege julia de vi publica, *l. ul. D. ad l. jul. de Vi publ.* ſæpe vocatur *Partorium* id eſt vectigal in itinere præſtari ſolitum, Symmach. *lib. V. Epiſt. 62. Quæſtores ordinis noſtri Ferarum ſuarum portorium contulerunt. Grave enim majoribus viſum eſt, ut tolerantibus onera ſenatoriæ dignitatis ſumptus immodicus adderetur, ubi Juret.* Differt a Tributo, quia tributum eſt penſio, quæ juxta cujuſque facultates, præcipue prædiales ob bonum publicum, & Principis dignitatem imponitur Perez *ad tit. C. de Vectig.* & appellatur jus *agrarium* vid. Sigon. *lib. 1. de antiq. jur. civ. cap. 16., & lib. 1. cap. 21. de antiq. jure Ital.*

Nulla apud Romanos res a vectigali, & tributo immunis erat, hinc tot vectigalium genera apud Buleng. *lib. 9. cap. 1. & ſeqq.* pro fumo, urina, ut inſtituit Veſpaſia. Sueto. in ejus vita *cap. 23. Reprehendenti filio Tito, quod etiam urinæ vectigal commen-*

mentus eſſet, pecuniam ex prima penſione admovit ad nares, ſciſci-tans num odore offenderetur? illo negante, atqui, inquit, e lotio eſt, pro aere, umbra, meretrice, vitiis corporis, calvitie, Bruckne. *de Doma. Begn. Germa. cap. 6. n.* 14., vide Klock. *de æra lib.* 2. *cap.* 146. 147. *&* 148. Quod tyrrannidem ſapit; hæc gravis ve-ctigalium impoſitio præ ceteris excidium præbuit R. Imperio, quum populi magis apud Barbaros, quam Romanos vellent vi-vere, ut late Salvia. *de Gubernat. lib.* 5. *cap.* 18.

Jus monetæ eſt ſolius Principis *l. ul. C. de falſa mone.*, qui pre-tium, ſeu valorem ſua imagine præſtat; cum interſit Reipubl. certo uti numiſmate, quo commerciorum conditio vigeat. Proin-de recte Principes contra monetæ adulteratores graves impoſuerunt pænas, nempe liberos ad beſtias dari, ſervos ultimo ſupplicio affici *l.* 8. *D. ad l. Corn. de falſ.* Conſtantinus minatus eſt ignem, & bonorum confiſcationem *l.* 2. *C. de falſ. mone.* Jure Capp. RR. Franco. manum amittit *lib.* 4. *cap.* 33. *De falſa moneta jubemus, & qui eam percuſſiſſe comprobatus fuerit, manus ei amputetur. Et qui hoc conſentit, ſi liber eſt ſexaginta ſolidos componat; ſi ſervus, ſexaginta ictus accipiat.* Præter hanc pænam Carolus Calvus *tit.* 36. 13. ſubjecit judicio Epiſcopi publicæ pænitentiæ, eumque *ſa-crilegum, & pauperum ſpoliatorem* appellat. Eadem pæna ſtatui-tur a Rothari, & Ludovico in *l.* 1. *&* 2. *lib.* 1. *LL. Longobard. tit.* 28. Prudentius tamen viſum eſt Romanis; qui enim mo-netam corrumpit non modo Principem lædit, ſed publicam tur-bat utilitatem, cujus finis eſt commerciis commodius uti, qui ab adulteratore impeditur, vid. Ziegl. *de S. M. lib.* 1. *cap.* 49 §. 8.

In moneta hæc ſunt perpendenda, res, forma, qualitas, quan-titas, character, & finis. Res ex ſe numum non facit, niſi accedat forma; ſed an aurum, an argentum, vel æs ſit, Rei-publicæ nihil detrahit, nec commerciis nocet. Nec res, vel forma ſatis ſunt, niſi accedat quantitas, quæ partim in va-lore, partim in charactere conſiſtit; Character eſt ſignum pu-blica auctoritate impreſſum quod quaſi fidejuſſor valorem indi-cat *l.* 1. *D. de Contrab. empt.* Finis eſt utilitas publica, cum facilius commercia exerceantur, ſocietas, juſtitia, & æqua-litas in hominum negotiis ſervetur. Quæſitum, quænam fuerit monetæ origo? ignoratum adhuc eſt: Illud exploratum, ante numi inventionem homines permutatione uſos eſſe *d. l.* 1., quæ an-

Digitized by Google

antiquiſſimis gentibus placuit, ut Trojanis *d. l.* 1., Serv. *Georg.* III., Lacedæmonis, Lycurg. apud Juſtin. *lib.* 3. *cap.* 2. *Emi ſingula non pecunia, ſed compenſatione mercium juſſit, auri, argentique uſum, velut omnium ſcelerum materiam ſubſtulit;* veteribus Germanis Strauch. *Diſſert. de mod. acquirend. priſco. Germa. cap. IV.* §. 4. inquit, Germanos diutius uſos permutatione, cum *contenti eſſent victu ſimplici, & domi nato, & ſine apparatu, ſine blandimentis famem expellerent, tegumine etiam inemto, feris detracto veſterentur. Deinde quod metalla non ſcrutarentur. Nam & venæ quas tum habuerunt, ea parte Germaniæ repertæ, quæ Romanis parebat. Tum, quod numus qui artificioſæ permutationi alteri intercedit, conſtare debeat ex materia, quæ in aliquo ſit pretio. Atqui Germani auri, & argenti poſſeſſione parum afficiebantur.* Hodie in India, & America Barbari aurum, & argentum cum ſpeculis, fiſtulis, & cultellis permutant.

Hoc vero commerciorum genus tandem diſplicuit, cum ſæpe, quod alicui ſupererat, diſplicebat alteri; quare communi Populorum conſenſu electa res eſt, quæ menſura eſſet omnium rerum, nempe pecunia qua omnia ab omnibus poſſent comparari; hinc emptio venditio, Scip. Gentil. *Parerg. lib.* 2. *cap.* 5.

Jus circa ſacra; Sed diſtinguere opus eſt: regimen internum, & regimen externum; internum duplici vivit lege naturali, & revelata, quæ neceſſitatem aut turpitudinem complectuntur moralem: naturalis, omnium cordibus æqualiter inſcripta eſt; revelata ſolis credentibus noſter Redemptor poſt Adami lapſum, ſalvo jure ſuo, benigne concredidit. Ad internum regimen pertinet clavium poteſtas, confeſſio fidei, cætus fidelium exercendi ad excitandam religionem neceſſarius, expellendi impios ab Eccleſia, anathemata, ſacramentorum controverſias, quæ de jure ſunt, decidendi, divina miniſtrandi poteſtas, ejuſdemque ademptio, quæ depoſitione, & degradatione ſeu exauctoratione ſacri cinguli contingit, cauſarum de religione, & fide cognitio. In his Summi Principis auctoritas nihil valet, nihilque decidere non impotentia eſt, ſed gloria, & poteſtas. quod perperam Hobbeſ. negavit.

Regimen externum conſtat externa Eccleſiæ politia, & modo quo ea exercenda; videlicet Prælatorum electione, bonorum Eccleſiæ diſpenſatione, honeſtate Clericorum, uſu Eccleſiaſticæ diſciplinæ, univerſalis Eccleſiæ mundiburdio; Hæc civili Poteſtati ſubjici poſſunt; ut luculenter docent Capp. RR. Francorum, & no-

Digitized by Google

novellæ Juſtiniani, quæ de his rebus magnopere ſtatuerunt, modo circumſtantias, modo tempus hæc jura exercendi, vel conventus inſtituendi oſtendendo. A Deo enim data eſt ſeculari Poteſtati eccleſiaſticarum rerum defenſio, & protectio Alteſer. *de Juriſd. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 4., ut ſalva, & incolumis poſſit eſſe Reſpublica, ea præſertim parte, quæ in ſacris, & ſacerdotibus conſiſtit, ut coram Epiſcopis faſſus eſt Imp. Marcianus *in Concil. Chalced. act.* 1., & ad officium Principis ſpectare tuitionem Eccleſiæ, & ab ea abuſus tollere ſanxit *Concil. VI. Pariſien. cap.* 1. *&* 2. *par.* 2., *Concil. Moguntì. ſub Rabano Archiepiſc. can.* 5., vid. P. de Marca *de Concord. lib.* 1. *cap.* 12. Ciron. *v. obſer.* 7. Nec ullus eſt, qui huic refragatur, Groti. *in Apolog. cap. XIX.* Sicut in corpore naturali una eſt voluntas, actionum omnium imperatrix ; ita in civili corpore, arte naturam imitante, unica eſt imperandi vis, unica facultas; quæ tantum extollenda, quantum ad publicam conducit ſalutem. Salus Reipubl. Principi commiſſa eſt, igitur & religionis; quum religio maxima pars ſit civilis beatitudinis, nec majus vinculum firmiuſque excogitari poteſt, quo animos hominum ad ſocietatem, & beate videndum ducit, quam religio. Et cui jus eſt ad finem, jus ad media fini conſequendo idonea non denegandum; quod gentibus ante redemptam ſalutem optime perſuaſum fuit, vid. Heinric. Hennig., qui ſapienter hac de re præ ceteris diſputavit, *tract. de Sum. Imp. pot. circa ſacr. cap.* 1. *& ſeqq.*

Eleganter Paulin. Epiſcopus Aquileſ. Epiſto. ad Carolum Imp. (eſt in Balut. *miſcel. lib.* 1.) *Expedit tibi venerande Princeps, ut exerceas Præſules ad ſanctarum ſcripturarum indagationem, & ſanam, ſobriamque doctrinam, omnem clerum ad diſciplinam, philoſophos ad rerum divinarum, humanarumque cognitionem, Monachos ad religionem, omnes generaliter ad ſanctitatem, Primates ad conſilium, judices ad juſtitiam, milites ad armorum experientiam, Prælatos ad humilitatem, ſubditos ad obedientiam, omnem generaliter ad prudentiam, fortitudinem, temperantiam, pacem, atque concordiam.*

Jus belli gerendi eſt ſummi Imperii, *quo jure majeſtatis nullum fere majus eſſe poteſt: quia ſæpiſſime ob exitu belli Reip. exitium, aut ſtatus pendet*, inquit, Bodin. *de Republ. lib.* 1. *cap.* 10., *l. un. C. ut armo. uſuſ.*, Grot. *de J. B. & P. lib.* 1. *cap.* III. §. 5. Etenim Principi publica populi ſalus, & bona concredita ſunt, quæ ſi ju-

ſi judiciis haberi non poſſit, armis uti datum eſt, contra eos, qui ſuæ Reipubl. ſalutem perturbant; quum tam origo, quam finis belli ſit defenſio & ſecuritas Reip., quæ jure gentium divinitus Principi collata eſt. Nemo itaque publicum bellum gerere valet, niſi adſit ejus auctoritas, qui ſummum tenet imperium. Si vero populi ſalus obtineri poſſit, a bello abſtinendum. Hinc juſta debet eſſe pugnandi cauſſa; non avaritia dominandi, non extentio dominii; ſed defenſio, ultio injuriæ, rerum injuſte ablatarum repetitio, & juſte indictum, & denunciatum Tulli. *lib.* 1. *de offic.*, Grot. *de J. B. & P. lib.* III. *cap.* 3. §. *6.*, P. Greg. *de Republ. lib. XI. cap.* 1.

Quæſitum eſt, an juſta belli cauſſa ſit arma movere contra eos, qui nolunt Chriſti religionem amplecti? Baro a Verulamio in *dial. de Bello ſacro*, tenet *tam jure naturali*, *quam jure gentium*, *nec non jure divino*, *quod illorum duorum eſt perfectio*, juſtum eſſe: male: lex Chriſti non ſe vindicat ultore gladio, non pænis recipienda, non metu, ſed amore, & perſuaſione, *Joan. 6.* *67. Lucæ IX.* 54. Neque Chriſti religione quis imbuitur, niſi ejuſdem ſecretis auxiliis accedentibus, *quæ ſicut quibus dantur*, *non dantur in operis alicujus mercedem*, *ita ſi quibus negantur*, *aut minus large conceduntur*, *id fit ob cauſſas non iniquas illas quidem*, *ſed plerumque nobis incognitas*, *ac proinde humano judicio non punibiles*, recte Groti. *de U. B. & P. lib.* 2. *cap.* 20. §. 48. Contra autem hæreticos juſtum omnino bellum eſt, ipſorum hæreticorum teſtimonio, nempe Calvini, Theodori, Lutheri, Melanchtonis, & qui ſunt Nat. Alex. *H. E. ſeculo XIII. XIV. diſſert.* III. *art.* 1. 2., quia ingredi in ſinum Eccleſiæ voluntatis, permanere neceſſitatis eſt, cum injuria Deo inferatur, *Deutero.* XIII. 12.

Extrema provocatio; quum Principis juriſdictio per omnes regni miniſtros diſtribuetur, infertur, ſubditos ab iis oppreſſos, vel amore, pecunia, vel odio, Principem adire, ut ſententiæ iniquitatem poſſet corrigere. Ejectis Regibus, Valeria rogatione an. CCXLIV. ſancitum adverſus omnes Magiſtratus ad populum provocationem admitti; & ne quis imperium Romæ haberet, niſi voluntate populi, Valer. Maxi. *lib. IV. cap.* 1. *n.* 1. *l.* 2. §. 4. *D. de O. J.* quam tulit P. Valer. Poplicola. De eadem re ſecutæ ſunt Lex Valeria an. CCCIV. a L. Valerio Coſ., & Valeria, a M. Valerio Coſ. an. CCCCLIII. Pratej. *in Ind. LL. Roma.* Initio Monarchiæ appellandi uſus vix erat, ſed paulatim deficien-

Digitized by Google

ciente in dandis judicibus Prætorum poteſtate, Princeps ex reſcripto judices dare cepit, a quibus ad eum appellabatur, de Auguſto ſcribit Sueto. *in ejus vita cap.* 33. *Appellationes quotannis urbanorum quidem litigatorum Prætori delegavit urbano: at provincialium, conſularibus viris, quos ſingulos cujuſque provinciæ negotiis præpoſuiſſet.* Sæpe a Senatu ad Principem erat appellatio Buleng. *de Imperio Roman. lib. V. cap.* 32.

Denique appellatio gradatim faciunda, ne juriſdictiones confunderentur *l.* 21. *D. de Appellat.*, Perez. *ad tit. C. eo. n.* 14., a Principe, vel illo, qui locum Principis tenet, appellare nefas eſt; eſt de natura appellationis, ut de minore ad majorem judicem fiat; Principe autem nullus eſt major *tot. tit. D. A quibus appell. non liceat*, Giphan. *ad l. un. C. de Senten. Præf. Præto.*

Hæc itaque ſunt majora Principum regalia, quamvis & alia jure excogitari poſſint, videlicet poteſtas inſtituendi Academias, convocandi comitia, jus nundinarum, exemptionem largiendi, & alia, quorum introductio a voluntate Principis, & regnorum conſuetudine dependet.

Digitized by Google

T I T. VI.

DE MINORIBUS REGALIIS.

§. VII.

Armannia; via publica; Flumen.

NUnc ad minora Principum jura: & primo occurrit *Armannia*, quam nonnulli intelligunt vectigal ex armentis animalium pendendum: Cujac. vero, Hotoman., Gothofred., Roſent., Ziegl., Gudelin. *de jur. noviſ. lib. V. cap.* 3. *n.* 1., Sixtinus, & Stryck. *to.* 1. *diſput.* 24. *cap.* 6. *n.* 10. recte ſumunt pro officinis publicis, in quibus arma cuduntur, & conſervantur. In R. Imperio erant novemdecim armorum officinæ, octo in Galliis, ſex in Italia, quinque in Illyrico, ut conſtat ex notitia imperii; his præerat Magiſter officiorum, ad quem *Novel. LXXXV. de Armis* ſcripta eſt, & *l.* 2. 3. 6. *&* 7. *C. de fabrice.* His ſolis arma fabricare licuit, non privatis; imo privatis ne ferrariam quidem habere conceſſum fuit *l. ult.* §. 11. *D. de Publica.*, *l. ul. C. ut armo. uſus.* Proinde recte Frid. 1. armorum curam ſibi reſervavit, quæ quidem ita intellecta majoribus regaliis accenſenda eſt. Armorum nomine continentur arcus, ſagittæ, conti, lanceæ, galeæ, loricæ, clypei, quibus utebantur Romani; Barbari deinde alia invenerunt Perez *ad tit. C. de Fabric.* Cuja. *ad d. Nov.* vid. Murat. *diſſert. XXVI.*

Via publica, ſeu prætoria, militaris, & regia *l.* 2. §. 22. *D. Ne quid in loco publ.*, quam Concil. Sardic. appellat *canalem* Ciro. 11. obſer. 14. dicitur, *cujus ſolum publicum eſt*, ab eo nempe relictum, qui habet jus publicandi. Hic publicum accipitur, cujus nemo dominio fruitur utitur; & publicare eſt eximere rem a commercio privatorum, publiciſque uſibus deſtinare. Quæ exemtio, quia a privatis fieri nequit, merito inter regalia recenſetur Giphan. *ad l.* 38. *n.* 11. *D. de Adquir. rer. dom.*, P. Greg. *de* Re-

Republ. lib. IX. cap. 1. *n.* 21., Ziegl. *de J. M. lib.* 2. *cap. XVII. n.* 1.

Adeo ſumma erat Romanis viarum cura, ut florente Republica, & ſub Monarchia Cenſores iis ſternendis in urbe, ſilice, glarea, & extra urbem ſubſtruendis vacarent; hinc ſæpe apud Suetonium, Siculum Flaccum, & Lampridium leguntur viarum Curatores, & Paul. *V. ſent.* 6. §. 2., quos Cuja. vocat *viocuros*; Aediles quoque his præerant. Ratio vero cur tanta fuerit viarum cuſtodia, duplex eſt, religio, & publica utilitas. Viarum enim curatio religioſa, & ſancta res erat, quia iis præeſſe numina crederent quæ *viales lares* Plauto dicuntur, Sixtin. de Regal. *lib.* 11. *cap.* 2. *n.* 12. Wiſenbac. *ad tit. D. Ne quid in loc. publ.*, P. Greg. *Synt. lib.* 111. *cap.* 13. *n.* 5.

Publica utilitas, ut ex interdicto Prætoris conſtat in *l.* 2. *D. Ne quid in loc. publ. Ne quid in loco publico facias, inve eum locum immittas, qua ex re quid illi damni detur: præterquam quod lege, Senatuſconſulto, edicto, decretove Principum tibi conceſſum eſt: de eo quod factum erit; interdictum non dabo.* Si in via publica quid factum eſt, quod nocere poteſt, negat Prætor ſe judicium daturum, ne ruinis urbs deformetur, & rerum commeatus impediatur, & publicum commodum. Wiſenbec. *ad tit. D. eo.*, *tot. tit. D. de loco publ. & duobus ſeqq.*, & *Capit.* 13. Dagoberti *an.* 630. *Si quis viam publicam ubi Dux egreditur, vel viam æqualem alicujus clauſerit contra legem, cum duodecim ſolidis componat, & illam ſepem tollat; & ſi negare voluerit, cum duodecim ſacramentalibus juret.* Idem ſanxit Capit. *lib.* 1. 353. & Capit. Caroli M. *an.* 813.

In viis publicis Principi hæc curanda (1) militari copia a latronibus ſecuras reddere; quod olim Præſidum erat *l.* 3. *D. de off. Præſi.*, claſſes in mari ad arcendos hoſtes, & pyratas; limites regni caſtris munire, Montan. *de Regal.* §. *viæ publicæ n.* 4. (2) interdicere ne quid in iis ædificetur, quo publicus, & communis impediatur uſus *tot. tit. D. Ne quid in loc. publ.*, puta vel monumentum exſtruere, aquam ducere, cloacam emittere, pontem erigere, ſtercora, morticina, vel pelles projicere (3); viarum refectio, ne excepta quidem Eccleſia, omnium eſt *l.* 7. *C. de SS. Eccl.*, modo prædia viis publicis vicina habeant, quia vialis refectio non perſonarum, ſed munus eſt locorum *l.* 14. §. 1. *D. de muner.* Propter hanc Principis diligentiam recte ipſe vectigal, aut portorium exigit, Montan. *loc. cit.* Choppin. *lib.* 2. *de Doman. Franc.*

tit. VII. n. 22. Denique ut via publica dicatur, tribus opus eſt, per eam publice eatur, quod ſolum ſit publicum, & ducat in civitatem, villam, vel Coloniam Sixtin. *loc. cit. n.* 21.

Flumina navigabilia, quorum vectigal recenſetur in ſacro Principis patrimonio. Flumen duplex eſt publicum, & privatum; publicum dicitur, quod perenne, & perpetuo fluit, ut Danubius, Rhenus; privatum quod interdum aquis deficit, nec navigationi, aut publico bono aptum *l.* 1. §. 3. *D. de Flumin.* Choppin. *de Doma. Franc. lib.* 1. *tit.* 15. §. 4., Mor *tract. de jure venand. q.* 1. *cap. VI. n.* 4., P. Greg. *Synt. lib.* III. *cap.* 14. *n.* 1. Flumina navigabilia, alveus & inſula in iis nata Cæſaris ſunt proprietate, ſecus Cæſar, & omnis, qui non recognoſcit ſuperiorem inter regalia habere non poſſent; uſus tamen publicus manet, modo ſine alterius injuria fiat *l.* 5. *D. de R. D. l.* 1. §. 12. *D. de flumin.* §. 2. & 4. *Inſt. de R. D.* Porro tria in flumine, ſicut & in via publica ſunt perpendenda, proprietas, juriſdictio, & uſus; prima duo ſunt illius, qui regalia poſſidet, uſus communis manet Sixtin. *de Regal. lib.* II. *cap.* III. *n.* 30. 33. 35. Roſent. *cap. V.* 23., Mor *loc. cit. n.* 5.

Propter hunc uſum cuilibet datum navigare in Flumine publico vel quid ædificare, ſi alteri non noceat *l.* 24. *D. de Damn. infect.*, vel molendinum condere, etiam ſine Principis venia; Prætor enim in locis publicis generaliter cuique jus concedit ædificandi, *dum tamen hoc ſine incommodo cujuſquam fiat*, *d. l.* 24. Piſcari vero non licet ſine Principis mandato; merito: nam Principi incumbit onus arcendi hoſtes a Regni finibus, ſecuras reddendi navigationes, pontes reficiendi, & quæ ſunt, idcirco piſcationum reditus, & vectigal ſibi vindicat Mor *loc. cit. n.* 33. infra dicam. Quamvis jure naturæ omnibus datum ſit jus piſcandi, tamen antequam piſces capiantur *potuit facultas illa, & jus capiendi adimi, & paulatim induci, vel ſtatui, ut jus occupandi res, quæ ſunt nullius, non omnibus, ſed ob rationes civiles, & utilitatem publicam Principi competeret, & cui ille id concederet*, inquit Ziegl. *de J. M. lib. II. cap.* 15. §. 23. Sicut nec aquam ducere *l.* 18. §. 1. *D. de Aqua, & aq. pluv. arc. l.* 2. *D. de flumin. l.* 14. §. 2. *D. de ſervit.*

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII.

Portus; ripatica; naufragium; bona vacantia.

NAvigatio exerceri nequit ſine portu, *qui eſt locus concluſus, quo importantur merces; & inde exportantur l.59.D. de V.S.*, & quia in eo tuto naves ſunt, *Statio* vocatur; nec refert an naturalis ſit, an artificialis. Portus tamen nomine hic intelligitur reditus, qui ex mercibus invectis, vel extractis percipitur, ſicut & jus anchoragii, & exituræ, ſi ita loqui fas eſt. Jus anchoragii ſolvitur, qui navibus portum ingreditur; jus exituræ, qui aliquid cauſſa mercimonii extrahit. Quod vectigal Romanis innotuit *l.3.C. de Vectigal.*, Juret. *ad Symmach. lib.V. ep.62.*, & cenſores locare ſolebant, uti & alia fodinarum, agrorum, hortorum, fluminumque portoria; & lex locationis dicebatur *lex Cenſoria* de qua *in l.203.D.de V.S.*, & Alphenus *in l. 17. D. de Publica*; Cicer. *in Rull. cap. 3. Cenſoribus vectigalia locare niſi in conſpectu pop. Romani non licet*; Forne. *lib. 1. ſelect. cap. 25.*, Sixtin. *de Regal. lib. 11. cap. 4. n. 12.* Jure inter regalia portus refertur, quia milites, arma, ſecuritatem, & commoda navigantibus præſtat.

Ripatica. Ripa, inquit, Papias, eſt *pinnacula terræ juxta Fluvium*, a græco ῥιπὰ, hoc eſt *impetus*, quia impetum fluminis ſuſtinet, quod intelligit Ulpia. *in l. 1. §. 5. D. de flumi. Ripa autem ita recte definietur, id, quod flumen continet, naturalem rigorem curſus ſui tenens.* Supra dictum eſt, viarum publicarum, fluminum navigabilium, & portuum proprietatem non eſſe privatorum; de ripa vero ſecus ſenſiendum, cujus proprietas eorum eſt, quorum prædiis adhæret; qua de cauſa arbores in ea natæ eorundem ſunt §. IV. *Inſt. de R.D.*, Gudelin. *lib. V. de jure Noviſ. cap.3.n.5.* Uſus autem eſt juris gentium & omnibus communis *d.§.4.*, unde cuique licet naves ad eam appellere funes arboribus ibi natis religare, retia ſiccare, onus in ea reponere *l.5. D.de R.D.*

Qua de re Frider. non juſſit ripas eſſe inter regalia, ſed ripatica, hoc eſt illud vectigal, quo occaſione riparum percipitur, Cuja. Alvero. Hotom. in 11. *f. 56.*, cum curæ ejus ſit, ut littora

tora, & ripæ muniantur, purgentur flumina, ne quid in eis fiat, quo impediatur navigatio; quod tot interdictis olim conſuluit Prætor, ut conſtat ex *tit. Dig. de via publica, fluminibus, ripa*.

Inter regalia olim recenſebantur *bona eorum qui naufragium paſſi erant*; quo jure gaudebant Dux Armoricæ, Nortmanniæ, Aquitaniæ, & Epiſcopus Agathenſis, qui idcirco *in cap.* XVIII. *de Accuſat.* arguitur. Eodem jure fruebantur Angli, & Galli, & omnes Feudales domini, qui non modo naves, & bona, ſed & homines eorum lucro cedebant; quod jus *lagan* dicebatur (*h*). Sed deinde precibus Conciliorum illud dimiſerunt Alteſer. *de Ducibus lib.* 11. *cap.* 13. & jure canonico, excommunicatur, qui ex naufragiis lucrum quærit *cap.* III. *de Rapto.*, & eandem conſuetudinem abrogavit Frider. II. *in auth. navigia C. de furtis*, Jul. Cellar. *De Princip. Doma. cap. XII.* §. 5., Bruckne. *Synop. de Doma. reg. Germa. cap. VI. n.* 14., Huber. *de J. C. lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 15., Groti. *de J. B. & P. lib. II. cap.* 2. §. 1. Nefas enim eſt ex luctuoſa alterius calamitate lucrum percipere *l.* 1. *C. de Naufrag.* quem Barbarorum morem ſedulo depingit Bodin. *de Republ. lib.* 1. *cap.* 10.

Bona vacantia; hoc eſt eorum, qui ſine herede moriuntur *l.* 1. *&* 4. *C. de Bon. Vacan.* Nomine heredis continetur linea ſanguinis, & titulus juris. Linea ſanguinis nempe deſcendens, aſcendens, & collateralis: Titulus juris eſt ubi deficit heres ſanguinis, vel ſucceſſio alio jure quam ſanguinis competat, ut eſt in ſucceſſione Conjugis, & liberti, Klock. *de Æra. lib.* 11. *cap.* 36. *n.* 1. Sive nullus ſit heres jure civili, prætorio, aut ex teſtamento, aut ab inteſtato; aut quia heres repudiat; ſuccedit Princeps *l.* 114. §. 2. *D. de Lega.* 1. *l.* 96. §. 1. *D. eo. d. l.* 1. *&* 4. ob illud

(h) Alb. Abb. Staden. p. 153. *Friderici avia & mater de Anglia navigantes in Comitatu Stadenſi naufragium paſſæ ſunt, & ſecundum priſci juris rigorem tam homines, quam res regiæ ditioni ſunt mancipati.* Jure autem Prætor actionem adverſus eum intendit, qui aliquid ex incendio, ruina, naufragio, nave, rate rapit *tot. tit. D. de Incend. rui.*

illud ſuperioritatis eminens dominium,. & ne dominia eſſent in incerto, recte pertinent ad Principem tanquam Univerſitatis imaginem Barthold. *diſput. de Neceſſit. eden. tit. poſſeſſ. cap.* 111. *n.* 93., ut jure Romano cautum erat *l.* 1. *&* 2. *C. de Petit. bono. ſubl.*, & Rex Theodoricus ſcribens Comiti Syracuſæ, inquit apud Caſſiodo. *lib. IX. varia. Epiſt.* 14. *Quorumdam etiam ſubſtantias mortuorum ſine aliqua diſcretione juſtitiæ, fiſci nomine caduci te perhibent titulo vindicare, cum tibi hoc tantum de peregrinis videatur eſſe commiſſum, quibus nullus heres, aut teſtamentarius, aut legitimus invenitur.*, Choppin. *de Doma. Franc. lib.* 1. *tit.* 12. (*i*).

Fiſcus vero qui ſuccedit, tenetur ad honera hereditatis *l.* 11. *D. de jure Fiſci l.* 17. *D. eo.*, quia bona dicuntur, deducto ære alieno, *l.* 39. §. 1. *D. de V. S.*, Juſtiniano ὐδία καθαρα *ſubſtantia pura* ſcilicet de ære alieno *Nov.* 1. *cap.* 2. præſtat igitur legata, libertates, fideicommiſſa, quia eſt luco heredis, ut Gajus *in l.* 9. *D. ad Sylliania.* reſpondit fiſco ſi bona caduca defuncti addicantur propter inultam mortem, legata, & libertates præſtari, *l.* 50. §. 2. *D. de legat.* 1. *l.* 2. *in fin. D. de Alimen. præſtan. l.* 60. *in fin. D. de Condit. & Demon. l.* 3. *in fin. D. ad Trebel. l.* 14. *D. de jure Fiſci*, Sixtin. *de Regal. lib.* 11. *cap. IV. n.* 44. (*k*), male igitur diſſen. Perez *ad tit. C. de Bonis Vacan. n.* 36.

In bonis vacantibus ſæpe, excluſo Fiſco, alius ſuccedit, ut Præfectus Prætorio ſuccedit in bonis ſui apparitoris *l.* 3. *C. de Apparit.*

(i) Corrigit corruptelam in Sicilia D. Greg. *l.* 1. *ep.* 44. *ed.* PP. S. Mauri ut ſuccederetur cum herede morientibus, *Cognovimus etiam, quod nonnullis conductoribus morientibus parentes ſui non permittuntur ſuccedere, ſed res eorum ad uſus Eccleſiæ pertrahuntur: de qua re definimus, ut parentes morientium, qui in poſſeſſione degunt, heredes ejus ſuccedere debeant, nec aliquid eis de ſubſtantia morientium ſubtrahatur.*

(k) Exemplum refert P. de Vineis *lib. V. cap.* 94. de bonis Epiſcopatus ad fiſcum devolutis, & in quibus Frid. onus recognoſcit, *cum igitur noſtrum fiſcum locupletari cum alterius jactura nolumus, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus: quatenus jura prædictorum creditorum ſuper hoc audias diligenter.*

Digitized by Google

parit. Præf. præto., Eccleſia in bonis Clerici l. 20. C. de Epiſcop. & Cler. Certa corpora etiam, & perſonæ collegiis adſcriptæ præferuntur Fiſco, ut Naviculariorum, Cohortalium, Decurionum, Fabricenſium moriente Fabricenſi inteſtato, ſine liberis, agnatis, cognatis, & uxore, excluſo Fiſco, ſuccedit corpus Fabricenſium; mortuo Milite ſine heredibus, ſuccedit Legio to. tit. C. De heredit. Decurio. &c.

§. IX.

Bona indigni; inceſtuoſi, & proſcripti.

BOna indignis ablata Princeps vindicat to. tit. D. & C. de his, quæ ut indig. Indignus eſt qui aliquid capit, & capere poteſt ex defuncti hereditate; ſed illud quod cepit, non retinet, occupat fiſcus. Hinc indignus differt ab incapaci: relicta indignis jure valent, quia indignus capax eſt, licet incapax ſit effectu; incapaci relicta non valent, quia incapax jure, & effectu capere nequit Cuja. in parat. C. De his, quibus ut indig., Klock. de Aerar. lib. 11. cap. 138. Ad incapaces pertinet edictum D. Trajani in l. 13. D. de jure Fiſci, non ad indignos; ut ſi incapaci contra legem Juliam, & Papiam legatum, vel fideicommiſſum fuerit relictum, & ipſe, antequam ab altero deferatur, fiſco denunciat ſibi quid illicite relictum, ob præmium dimidiam partem conſequitur, altera fiſco cedit (l). Indignis vero, etſi pro-

(l). Lege julia cautum erat *ſi quis incapaci relictum ad ærarium detulerit, & convicerit, præmii nomine .... partem bonorum conſequitur*, ut reſtituit Jac. Gotofr. Si palam, vel tacite contra legem Juliam, & Papiam relictum eſſet, ejus delator portionem habet, ſed quæ? parum conſtat. Sueto. auctor eſt in Nero. cap. 10. Neronem *præmia delatorum papiæ legis ad quartas redegiſſe*. Suſpicari poſſimus ante Neronem fuiſſe ſemiſſem bonorum, quæ ad ærarium detuliſſent. Itaque majus quarta delati ca-

Digitized by Google

prodant fiſco, hæc dimidia non debetur *d. l.* 13. §. *pen.* Denique incapaci relictum manet apud heredem, indigno quod relinquitur, eripit Fiſcus.

Pluribus ex cauſſis bona auferuntur indignis; Sixtinus *de Regal. lib.* 11. *cap.* 10. *n.* 25. recenſet XXIII. Ego has dabo: Si heres necem defuncti non vindicavit *l.* 5. *9.* & 10. & *ſeqq. D. ad Sylania. l.* 6. 9. & 10. *C. De his quibus ut.*, excipitur pupillus ob ætatis imbecillitatem: ruſticus ob juris ignorantiam *d. l.* 6. *l.* 3. §. 22. *D. ad Sylania. l.* 5. §. 1. *D. de his, quæ ut indig.* Hodie totus titulus *de his quæ ut indign.* apud pleraſque gentes abrogatus eſt, præſentim in Gallia & Sabaudia, Jul. Clar. *in pract. crim. lib. V.* §. *fin. quæſt.* 79. Sixtin. *de Regal. lib.* 11. *cap.* 10. *n.* 24. Wiſenbac. *ad tit. D. De his quæ ut indig. th.* 15. Bona tamen judicio Fabri *de Error. pragm. Decad.* 38. 10. *n.* 12. non apud ſcriptum heredem, ſed heredes legitimos remanent; non quod legitimi heredes ipſum evertant teſtamentum, ſed tamen aſſequantur, ut nihil ex eo teſtamento heres ſcriptus aut petere, aut retinere poſſit. Si quis Defuncto prohibuerit teſtari *tot. tit. C. Si quis aliquem teſta. probib.*, modo id fiat dolo malo, non blanditiis, quibus nemo vetatur uti *l* 3. *C. eo.*, in hoc potiſſimum Romanorum indoles defecit; proinde Satyrici, & Oratores, & Philoſophi *heredipetos* vocarunt: hinc *captare teſtamenta* hoc eſt avide aucupari Martial. *lib. VII. ep.* 19. *lib. II. ep.* 18., Horat. *lib.* 1. *ſermo. ſat.* 2. *v.* 107., & *lib. II. ſat.* 5. *v.* 22.

Divitias, ærisque ruam, dic augur acervos.
Dic equidem, & dico. Captes aſtutus ubique
teſtamenta ſenum, neu, ſi vafer unus, & alter
inſidiatorem præroſo fugerit hamo;
aut ſpem deponas, aut artem illuſus amittas.

caduci parte fuit præmium delatoris ex lege Papia. & Paul. *in l.* 13. *D. de jur. fiſc.* refert edictum D. Trajani, in qua fit mentio partis dimidiæ, Gotofr. *ad l. Jul. & Pap. cap.* 36. Heinec. *ad l. Jul. & Pap. lib.* III. *cap.* 10.

Digitized by Google

Si heres defuncti teſtamentum accuſaverit falſum, nec ad ſententiam uſque obtinuerit *l. 2. & 8. C. eo.* ſi nempe calumnioſe fecit. Si heres teſtatorem necaverit *l. 9. D. de jure Fiſci. l. 7. §. 4. D. de Bon. Damnat.* In his, & qui ſunt, caſibus recte fiſcus vindicat ſibi bona, ut proditum eſt *in l. 8. §. 14. D. De Inoff. teſtam.*

Bona inceſtas nuptias contrahentium auth. *inceſtas C. de Inceſt. nupt.*, Dagobertus Rex Francorum *an. 630. in Capit.* 1. *tit. 6. Nuptias prohibemus inceſtas. Itaque uxorem habere non liceat ſocrum, nurum, privignam, novercam, filiam fratris, filiam ſororis, fratris uxorem, uxoris ſororem. Filii fratrum, filii ſororum inter ſe nulla præſumtione jungantur. Si quis contra hæc fecerit, a loci judicibus ſeparetur, & omnes facultates amittat, quas fiſcus adquirat. Si minores perſonæ ſunt, quæ ſe illicita conjunctione polluerunt, careant libertate, ſervis fiſcalibus adgregentur.* Et Carolus M. 798., *& in addit.* 111. *cap.* 123. Inceſtus eſt fæda maris, & fæminæ conjunctio contra reverentiam ſanguini debitam; qui duplici jure prohibetur gentium, & civili. Inceſtus juris gentium eſt, ſi quis *ex gradu aſcendentium, vel deſcendentium uxorem duxerit* inquit Paul. *in l. fin. D. de Ritu Nuptiæ.* Naturalis verecundia inter parentes, & liberos, eoſque, qui parentum ſunt loco, in infinitum abhorret, *l. 53. D. eo.*, ſive natura ſive adoptione tales facti ſint, quamvis adoptio emancipatione ſoluta ſit, quia nuptiæ naturali innituntur pudori §. 1. *Inſt. de Nupt.* Inceſtus juris civilis eſt ſi quis, quæve conjungitur cum ſorore, cum fratris, vel ſororis filia, cum amita, vel matertera, vitricus cum privigna, privignus cum noverca; gener cum ſocru, ſocer cum nuru *l. 8. l. 14. l. 39. §. 1. D. de Ritu nupt. l. ul. §. 1. D. de Condict. ſive cauſ. l. 38. §. 1. & 2. D. ad l. Jul. de Adult.*

Pæna hujus criminis varia extit: dos, & donatio propter nuptias fiſco cedunt; niſi vir, vel mulier, vel uterque errore non affectato, non ſimulato, neque ex levi cauſa, neque ex ætatis lubrico lapſi fuerint. Error hic intelligitur *facti*, non *juris*. Facti puta ſi mulier nupſit ſervo, quam liberum eſſe putabat, non amittit dotem: ſi nupſit avunculo, cum quo credebat poſſe contrahere, dotem non amittit, ſed non lucrabitur donationem propter nuptias, quia error fæminæ non nocet in damno rei ſuæ, ſed non prodeſt in compendiis, ſeu in acquirendo *l. 4. C. de Inceſt. Nupt. l. 3. C. ſolut. matri. l. 11. & 13. C. de jur. & fact. igno.* Liberi ſpurii ſunt; ſi juſti ſint liberi ex alio juſto matrimonio bona

Digitized by Google

bona iis reſervantur uſque ad tertium gradum parentibus uſque ad ſecundum; & fratri, ſorori, patruo, & amitæ *l. 6. C. eo.* his deficientibus ſuccedit fiſcus, præter alias corporales pænas *in auth. inceſtas C. eo.* Choppin. *de Doman. Franc. lib.* III. *tit.* 29. §. 11., Kloc. *loc. cit. cap.* 139., P. Greg. *lib. IX. cap.* 11., Sixtin. *de Regal. lib.* II. *cap.* 11. *n.* 40., conſ. A. Matth. *de Crimin. lib.* 48. *tit.* III. *cap.* 6.

Bona damnatorum tot. tit. D. & C. de Bon. damnat. Ante Monarchiæ inſtitutionem, hoc eſt Cæſarem inaudita erat bonorum publicatio, ſed aquæ, & ignis interdictio, ſalvis numis. Cæſar eam primus induxit, de qua Sueto. *in ejus vita cap.* 42. *pænas facinorum auxit: & cum locupletes eos facilius ſcelere ſe obligarent, quos integris patrimoniis, exulabant, parricidas, ut Cicero ſcribit, bonis omnibus, reliquos dimidia parte mulctavit.* Quæ lex ejus ſucceſſoribus placuit, imo capitalem pænam tacite ſequebatur bonorum publicatio, etſi in ſententia expreſſa non eſſet ſive vita adimeretur, ſive civitas, aut ſervitus irrogaretur *l. 1. D. de bonis damnat. l. 2. C. de bonis proſcript.* Hæ vetuſtatis durities poſt varias juris mutationes diſplicuit Juſtiniano, qui ſanxit, bona damnatorum, quæ olim fiſco cedebant, aſcendentibus, & deſcendentibus ad tertium uſque gradum reſervari *Nov.* 134. *cap. ul.*, quibus deficientibus, ſuccedit fiſcus. Proinde errat Irnerius qui ex *d. Nov.* 134. excerpſit auth. *bona damnatorum*, & de ſuo addidit verba illa *a latere*, ut comprehenderetur etiam linea collateralis, de qua nulla in *d. Nov.* mentio eſt, A. Matth. *de Crimin. lib.* 48. *tit.* 18. *cap.* 2. *n.* 2. Wiſſenbac. *de Erro. Irner. ib.* 33., Perez *ad tit. C. de bonis proſcript. n.* 20. Excipitur in *d. Nov.* 134. crimen læſæ majeſtatis, in qua nulla parentum liberorumque habetur ratio, ſed cuncta cedunt Principi; excipitur crimen hæreſeos a Friderico *in auth. gazaros C. de hæret.*, niſi ſint liberi ortodoxi, qui excludunt fiſcum *l. 4. §. 6. l.* 10. & 12. *C. eo.* Conſervatur, & dos mulieri, & donatio propter nuptias *auth. præterea C. unde vir & uxor l. 3. §. 4. D. de Mino.* Conſ. a Matth. *loc. cit. & cap.* 39. *tract. de jure gladii.*

Neque in confiſcatione veniunt feuda, ſed tranſeunt ad Dominium, a quo tenentur; ſi vero Princeps eſt ſenior, ipſi aperiuntur, neque bona fideicommiſſo ſubjecta, non emphytheuſis, nec bona creditoribus obligata; ſed utitur fruitur fiſcus, donec vivit condemnatus *l. 27. §. jubet D. ad l. jul. de adult.*, A. Matth.

Digitized by Google

de Crim. lib. 48. *tit.* 20. *cap.* 4. *n.* 20., nam qui nequit alienare contrahendo in præjudicium alterius, non poteſt illi præjudicare delinquendo *l.* 3. *C. de bonis proſcript.*, Perez *loc.cit. n.* 10. Sixtin. *de Regal. lib.* 11. *cap.* 12. *n.* 37. An veniat juſpatronatus? nonnullis viſum eſt Eccleſiam manere liberam; mihi arridet, tranſire ad fiſcum, ſicut transfertur in extraneum cum Univerſitate bonorum *cap. VII. de Jurepatro.* Choppin. *de Doma. Franc. lib.* 1 *tit.* 8. §. 15. Plura enim ex ſe vendi non poſſunt, ſed cum Univerſitate vendita tranſeunt, veluti cum fundus venditur in quo eſt locus religioſus, emtio valet, & tranſit locus religioſus, tanquam acceſſio fundi, exemplum dat Cujac. *ad l.* 4. 5. *&* 6. *D. de Contrah. emp.* Roye *in proleg. juſpatro. cap. VIII.* Franc. Florens *ad cap. VII. de Jurepatro.*

§. XI.

Angaria; collatio; argentaria; palatia.

ANgaria *jure* Roman. eſt plauſtrorum, & jumentorum præſtatio, quam Provinciales, tempore belli, aut alterius neceſſitatis, cum curribus, equis, mulis, aſinis Reipl. dare tenebantur *l.* 2. *C. Quibus muner. l.* 11. *C. de SS. Eccl.*, aut per mare navibus, vel flumina Cuja. *ad l. ul. C. de Fabri.* Hæc præſtatio erat munus non perſonale, ſed patrimoniale poſſeſſionibus indictum *l.* 2. *C. de Præpoſ. ſacr. cubi. l. ul.* §. 21. *C. de Muner.*, Perez *ad tit. C. de Cur. publ. n.* 5., *ad l.* 1. *C. quibus muner.*, Kloc. *de Contribut. cap.* 1. *n.* 163. Ab hoc onere nemo cujuſcumque ſit conditionis excuſatur, ne Eccleſia quidem *d. l.* 11. *l.* 21. *C. de Curſu publ.*

Si vero hujuſmodi præſtatio reſpicit perſonam, tunc nonnulli excuſantur, puta Clerici, Cubicularii, Silentiarii, Decuriones, *l.* 2. §. 3. *C. de Epiſcop. & Cler. l.* 2. *C. de Præfect. ſac. Cubic. l.* 3. *C. de Silent. & Decur.* Tantum angaria differt a parangaria, ut angaria ſit tranſitus per viam publicam, parangaria per tranſverſa, Peller. *ad Kloc. lib.* 11. *cap.* 57. *n.* 2. Hodie ſi angaria præſtatur in domaniis Regum eſt de regalibus, ſi vero in baroniis, & feudis ſimpliciter appellatur ſervitium, ut fodere vineam, vinum ferre &c. ut infra dicam, Andr. in 11. 11. *f.* 56. *n.* 52.

Præterea in hujuſmodi ſervitiis, publica ſuadente neceſſitate, a Prin-

Digitized by Google

a Principe varie ſancitum eſt: Ut in refectione forſan viarum, portuum, pontium & qui ſunt, a quibus nemo excuſatur; Capit. Impp. Francorum 32. *to.* 2. *p.* 338. *De Pontibus vero, & reliquis his ſimilibus operibus, quæ per antiquam conſuetudinem Eccleſiaſtici homines & per juſtitiam cum reliquo populo facere debent, hoc præcipimus, ut Eccleſiæ rectores eos interpellent, & eis, ſecundum quod poſſibile fuerit, portio deputetur & per alium exactorem Eccleſiaſtici homines ad opera non compellantur*. Et juſſit Frid. II. apud P. de Vineis *lib. V. cap.* 6. *Fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus Univerſitatem Civitatis N. nullis Eccleſiis Eccleſiaſticis, ſeu ſecularibus perſonis exceptis, efficaciter moneas, & inducas, & ſi expedierit, auctoritate noſtra compellas, ut pontes, vias omnes, quæ circa partes, & diſtrictus Civitatis ipſius neceſſario expetant reparari, debita faciant reparatione fulciri*.

Collatio extraordinaria, quam Cuja., Gotofr., & Monta. intelligunt *fodrum*, de quo ſic Ottho. Friſig. *lib.* 11. *de G. F. cap.* 13. *Mos enim antiquis ex quo imperium Romanum ad Francos derivatum eſt, ut quotieſcumque Reges Italiam ingredi deſtinaverint, gnaros quoslibet de familiaribus ſuis præmittant qui ſingulas Civitates, ſeu oppida peragrando, ea quæ ad fiſcum regalem ſpectant, quæ ab accolis fodrum dicitur, exquirant*; & Civitas quæ illud ſolvere recuſabat, delebatur. Fodrum eſt annona militaris, frumentum, hordeum vid. Hotom. *in com. verb. feud. v. fodrum*; Romanis non ignotum *l.* 27. §. 2. *D. de Uſufr.*, Sixtin. de Regal. *lib.* 11. *cap.* 14. §. 4. & 5.

Communis tamen Interpretum ſchola intelligit ſuperindictum, de quo *in tit. C. de indicti & tit. de Superindictio*; eſtque tributum præter ſolitam collationem indictum, ſeu *onus extraordinarium, quod neceſſitate, vel utilitate publica poſtulante perſonis pro rebus imponitur* Kloc. *de Contrib. cap.* 11 *n.* 97. (*m*); augmentum in-

---

(m) Collecta differt a vectigali, tributo, & cenſu. Vectigal ſolvitur de mercibus, vel pontium, murorum, alteriuſve publici operis refectione. Tributum de Terræ naſcentibus Regi, vel Reipubl. confertur. Cenſus ſolvitur de capite in ſignum ſubjectionis. Col-

Digitized by Google

indictionis. Nam indictio eſt certa collecta, quæ ſingulis quindecim annis ſolvebatur; in primo luſtro aurum in δυμβολήν dominationis; in ſecundo argentum ad ſtipendia militibus ſolvenda; in tertio æs, & ferrum ad armorum reparationem, Perez *ad tit. C. de Indict. n.* 2. Hæc collectæ ſpecies certam non habet præſtationem, ſed publica ſuadente neceſſitate indicitur, puta belli, vel defenſionis Regni, atque Imperii, modo ordinaria collatio, & reditus regni non ſufficiant *l.* 12. *D. de Muner. l.* 8. §. 4. *D. de Vacat.*, & indicenda pro viribus cujuſque patrimonii vid. Perez *loc. cit. & tit. ſeq.*

Argentaria ideſt argenti ſodina, auri, aliorumque metallorum puta æris, ſtanni, electri, cupri, plumbi, ferri, ſalis ſubterranei, argenti vivi, Carolus IV. *in Aurea bulla §. præſenti conſtitutione*; inter metalla quoque recenſentur marmora, lapidicinæ *l.* 3. *& 6. C. de metallar.* Kloc. *de Ærar. lib.* 11. *cap.* 29. *& ſeqq.* Porro metallum eſt generale nomen continens omnia, quæ e terræ viſceribus èruuntur *l.* 13. §. 5. *D. de Uſufr. l.* 3. §. *ul. D. de Rebus eo. qui ſub tut.* Jure Romano Fodinæ ſunt juris privati, *l.* 7. §. 13. *D. ſolut. matri.* quam Monta. *de Regal.* §. *argentariæ n.* 3. turpiter exagitat, dum probare velit ſodinas apud Romanos eſſe inter regalia, contra Ulpia. *in d. l.* 13. inquit lapidicinas, crotifodinas, auri, argenti, & hujuſmodi metallorum in fundo uſufructuario ad fructuarium pertinere Noodt *lib.* 1. *de Uſufr. cap.* 6. Nerius *analect. lib.* 1. *cap.* 9. quamvis ferrum ſine Principis mandato privatis facere non licuiſſet *l. ul.* §. 11. *D. de Publica. & vectig.*, Privatus vero tenebatur contribuere decimam fiſco, Choppin. *de Doman. Franc. lib.* 1. *tit.* 15. *n.* 16.

Hodie ex generali Regnorum conſuetudine cujuſcumque metalli ſodinæ fuerint in fundo aut publico, aut privato cedunt Principi ex *d.* 11. §. 56., etſi provinciarum mores inſpicere juvat, ut in Gallia ſervatur decima Regi Perez *ad tit. C. de Metallar. n.* 8. *&* 18., Sixtin. *de Regal. lib.* 11. *cap.* 16. *n.* 28.

Palatia hoc eſt domicilium Imperatoris, quod nemo incolere po-

---

Collecta eſt onus incertum, a quo ſub Carolo M. ne Eccleſia quidem immunis erat vid. Kloc. *loc. cit. n.* 67.

Digitized by Google

poteſt niſi cui Princeps conceſſerit *l. un. C. de Rect. provinc.*; plurimi a Romanis Imperatoribus exiſtimatum, & ſæpe ſacrum, ſacratiſſimum, divinam domum appellarunt *l. 1. C. de offic. rect. Provinc.*, nec violare tanquam loca ſacra quis poterat, nec aliquem vi extrahere, nec gladio aggredi, vel evaginare, cum vetuſtiſſimo Regnorum more palatia, & Principum ſtatuæ aſylum confugientibus præbuerint *l. 17. §. 12. D. de ædil. edi. tot. tit. C. De his qui ad ſtat. confug.* Budin. *de Republ. lib. 1. cap. 5.*, & recte Theodo. & Valenti. *in l. un. C. de Palat. & Dom. Conſecratas nobis ædes, ideſt inclytæ palatia, ab omni privatorum uſu, & communi habitatione excipimus*, & proinde errat Hotom. *in d. 11. f. 56.* qui pro *palatia* legit *placita* ideſt jus nundinarum a germanico *palaz* pro *foro*; cui omnium codicum lectio adverſetur.

§. XI.

Piſcatio; venatio; ſalinæ.

Piſcatio, hoc eſt Piſcationum reditus; Cuja. legit *picariarum*, cum, teſte Plinio, inveniatur pix foſſilis; at communis Interpretum mens, & conſtans textus lectio legit piſcationem. Nihil enim opus erat iterum de fodinis agere. Jure naturæ cuique conceditur non modo in mari, & littore maris piſcari, ſed & in fluminibus, & portu *l. 4. & 5. D. de R. D.* Donec quis non præſcripſiſſet jus piſcandi, ut alius in eo loco piſcari non poſſet; quod tempus oportet ſit cujus non eſſet memoria, quo præſcribuntur loca publica *l. 3. §. 4. D. de aqua quot. & æſti.*, Seb. Medices *tract. de Venat. p. 11. q. 21.* Male: etſi loca publica præſcriptione longe poſſeſſione adquiri non poſſint, tamen qui in diverticulo fluminis longa poſſeſſione X. an. inter præſ., & XX. inter abſen. piſcatus ſit, nec piſcari deſiit, volentem piſcari prohibere poteſt *l. 7. D. de Diver. tempo. præſ.*, ſi vero deſiit piſcari, tunc prohibere nequit, quia locus ille jure poſtliminii juriſgentium evaſit *l. 45. D. de Uſucap.*, quæ laxavit interpretes, Duar. *de Uſucap. cap. 111.*, Charond. *veroſ. 1. 21.*, Connan. *111. com. 15. n. 21.*

Digitized by Google

n. 21. Mor. *de jure venand. P.* 1. *cap.* 6. *n.* 17. (*n*).

Hanc naturalem libertatem Frid. *in d.* 11. *f.* 56. non ademit, ſed ſibi reſervavit reditus piſcationum, ut ſi Princeps de iſtis piſcationibus vectigal exegerit Mor *loc. cit. n.* 3. Sixtin. *de Regal. lib.* 11. *tit.* 17. *n.* 7., de quibus loquitur Ulpia. *in l.* 17. *D. de V. S.*

Frider. *in d.* 11. *f.* 56. de Venatione non meminit., quæſitum eſt an inter regalia recenſeantur? placuit referri. Etſi enim *in d.* 11. *f.* 56. non fiat mentio venationis, tamen ſatis innu. videtur, cum venatio ferarum, nobilior, præſtantiorque ſit piſcatione; & ſi id quod minus eſt, comprehenditur, multo magis eſt, continetur *l.* 3. C. *qui æta. vel prof.*, neque omiſſum in lege dicitur, quod ex mente legis infertur Pruckma. *tract. de Venat. cap.* 1. *n.* 5., Fritschi. *de Convenat. memb.* 1. §. 1.

Jure gentium & civili cuique permiſſum eſt tam in ſuo, quam alieno fundo venari; nec dominus fundi prohibere poteſt, tibi jus non eſſe aucupandi, vel venandi; ſed tibi non licere fundum ſuum ingredi §. 12. *Inſt. de R. D. l.* 16. *D. de S. P. R.* Hodie ex conſuetudine Regnorum jus venandi regale eſt quod quatuor innititur rationibus (1) cura ſervandæ animalium ſpeciei: nam feræ animantes rariores ſunt, quam cicures, & proinde facile poſſent ſaltem in aliqua regione, devaſtari (2); ne homines ab agricultura, & ruſtica vita avocarentur *auth. agricultores* C. *quæ res pign.* (3), venatio ferarum præſertim majorum ſine armis exerceri non poteſt; uſus armorum quotidianus præcipue agricolis interdictus eſt *Nov. XVII. cap.* 17., 11. *f.* 27. §. 5. (4) publice intereſt, jus venandi non eſſe omnibus commune, cum commnnio ſeditiones, & lites pariat, Wiſſenbec, *ad tit. D. de adquir. rer. dom. n.* 7., Georg. Mor *tract. de jure venand. par.* 1. *cap.* 2. *n.* 11., Zoanett. tract. *do Venat. Germa. n.* 2. Gonzal. *ad cap.* 1. *de Cler. venat. n.* 8. His ſane rationibus noſter Frid. *in d.* 11. *f.* 56. jus venandi ſibi reſervaſſe præſumitur, iiſque voluntas, & ta-

---

(n) Piſcatio ad privatos jure dominii ſpectare poteſt, ut indicat libellus Sirii Metropolitæ de juribus maritimis a Balſam laudatus *ad can.* 4. *Synod. Chalced.*

tacitus populi conſenſus tempore cujus neſcitur memoria confirmatus aſſentitur, qui vim contractus ſapit *l.* 1. & 2. C. *de ſervit.*

Salinæ reditus: quod ſalinarum vectigal Romæ primus inſtituit Ancus Martius, Plini. *lib.* 31. *Hiſt. cap.* 7. *Ancus Martius Rex ſalis modia ſex millia in congiario dedit populo, & ſalinas primus inſtituit ;* ſed exactis Regibus, ſublatum eſt, & unicuique permiſſum ſalem vendere, rurſus tamen ſub M. Livio, & C. Claudio cenſoribus reſtitutum, *Livi. lib.* 39., Buleng. *de Vectig. pop. Rom. lib.* IX. *cap.* 21. Nihilominus fuerunt ſalinæ juris privati, ſicut & fodinæ auri, argenti, & quæ ſunt *l.* 4. §. 7. *D. de Cenſibus. l.* 32. §. 2. *D. de uſu, & uſufr,* vid. Gonzal. *ad cap.* 26. *de V. J.* Salinæ juris publici locabantur ad certum tempus, quiſque a Conductoribus ſal emere cogebatur *l.* 59. §. 1. *D. de Hered. inſtit. l.* 11. *C. de Vectig.* Cuja. 111. *obſer.* 31. Choppin. *de Doman. Franc. lib.* 1. *tit.* 15. §. 16. Denique Fridericus has etiam ſalinas in cenſum ſuorum regalium retulit, quod ritu regnorum hodie obſervatur, Cellar. *de Doman. Princip. cap. XI.* §. 10.

Digitized by Google

§. XIII.

Læſa Majeſtas, multa theſaurus.

Bona *committentium crimen læſæ majeſtatis* fiſcus arripit: Hoc crimen perpetratur, qui ſummam civilibus legibus ſolutam in populos poteſtatem violat, ſive populus fuerit qui lædatur, ſive ſummus Princeps, modo competat Majeſtas; hoc eſt magnitudo quædam, quæ eſt honor eximius cum veneratione conjunctus, ex virtutis, poteſtatis, & rerum geſtarum admiratione profectus. Olim cum regia poteſtas penes populum eſſet, hoc crimen contra eum admittebatur; deinde populus omni ſe poteſtate ac etiam Majeſtate abdicavit, ſolidamque in Principem tranſtulit *l. 1. D. de Conſt. Princip.* Hodie ſi quis contra Principem molitur, reus eſt Majeſtatis, nempe ſi pactiones, vel proditiones init cum hoſtibus; ſi exercitum colligit, ſeditiones in Rempubl. concitat, arcem, vel civem hoſtibus tradit, ſi bona, & jura Principis ſibi vindicat, videlicet impoſitionem vectigalium, jus cudendæ monetæ, carceres habendi, ſi patriæ conſilia hoſtibus renunciat, ſi ſciens dolo malo hoſti arma, equos, pecuniam, ſuppeditat, etſi quæ ſunt *tot. tit. D. & C. ad l. Jul. Majeſt.*

Perduellibus accenſentur, qui in Conſiliarios, aut Senatores Principis molitus eſt *l. 5. C. h. t.*, non vero contra Duces, vel civitates, quibus non eſt Majeſtas, ſed dignitas, ſerenitas, celſitudo, vindicatur dignitas, non majeſtas, Bodin. *de Republ. lib. 1. cap. 10.*, Ant: Matth. *de crim. lib. 48. tit. 2. cap. 1. n. 4.* Excipiendus videtur Archidux Auſtriæ, de qua Sigismund, Imp. *in appell. a cenſur. Pii II.* (apud Freher. in ſcript. Germ. *tom. 2. p.* 148.) *Sunt etenim Principes Auſtriæ veluti Epimetati Principes ab imperio Romano taliter honorati, ut qui in ipſos deliquerint, in Imperatorem Romanum deliquiſſe videntur: quippe apud quos plenitudo poteſtatis in eorum terris; quemadmodum in Romanorum Principem conſtat.*

Pæna olim erat aquæ, & ignis interdictio; poſtea humiliores beſtiis objecti, vel igni honeſtioribus ultimum ſupplicium Paul, V. *ſent. 29. §. 1.*, damnatio memoriæ illius qui reus eſt, bonis

nis ejus Fiſco vindicatis, nulla filiis portione relicta, quique infames, & honorum omnium incapaces evadunt *l.* 5. *C. h. t.* & mors ſolatium, vita ſupplicium, Tacit. T. *annal.* Filabus relinquitur legitima *d. l.* 5. Wiſſenbac. *ad tit. C. ad l. Jul. Majeſt. th.* 9. Perez *ad tit. C. eod. n.* 13., Sixtin. *de Regal. lib.* 11. *cap.* 20. *a.* 68.

Multarum & pænarum lucra: Multa eſt vocabulum Sabinum, ut Varro, vel oſcum ut Feſtus, putavit, Agel. *XI. cap.* 1. & ſignificat pænam pecuniariam *l.* 331. *D. de V. S.*, Varro *lib. IV. de L. L.*, non raro pro quavis pæna reperitur, Plaut. *in Aſina. act. IV. ſc.* 1. *v.* 16. *ſi dixerit hæc multa ei eſto, vino viginti dies & careat*, conf. Joan. Kool. *ad l. Ateriam Tarpejam de multis cap. III.* Cuiac. *ad d. l.* 131. Differt a pæna; multa olim ſolvebatur ovibus, & bobus, hodie eſt pecuniaria Gotof. *ad d. l.* 131. pænarum variæ ſpecies, corporalis, capitis, infamia; pæna eſt legitima id eſt a lege impoſita, quam judex nequit immutare, niſi a circumſtantiarum perſuaſione; multa eſt arbitraria, aliquando tamen certa ut Præfecto prætor. ultra quingentas auri libras multare non permittitur; provinciarum moderatoribus duas uncias, comiti orientis, & Præfecto Auguſtali non ultra ſenas uncias *tot. tit. C. de modo multæ.* Kooli *loc. cit. cap. IV.* vid. Wiſſenbech. *ad d. l.* 131.

Hæc multarum, penarumque compendia Frider. inter regalia retulit; quod prius ſanxit Theod. & Arcad. in *l.* 5. *C. de modo multa*, lege agraria a Jul. Cæſar lata multabantur quingentis aureis, qui dolo malo terminos, quibus agrorum fines deſignati erant, moviſſent *l.* 3. *D. de termi. moto*, Svet. *in ejus vita cap.* 20., Kool. *ac l. Aterian cap.* 5., quæ pæna publico cedebat (o). Hadrianus ſtatuit pænam 40. anreorum in eos,

 qui

(o) Obſtat *l.* 1. *D. eod.* quæ jubet non pænam pecuniariam, ſed pro conditione admittentium coercitione tranſigendum. Nonnulli malunt utramque pænam & corporis, & pecuniæ eſſe conſtitutam, ut Græci probant *lib.* 60. βαδιλικ. Wiſſenbac. ad *tit. D. eod. th.* 10. Alii diſtingunt, olim fuiſſe multam pecuniariam, hodie pænam extraordinariam vid. Joſeph Neri. *Analect. lib. II. cap.* 19.

Digitized by Google

qui in civitate ſepeliunt *l.* 3. §. 5. *D. de ſepul. viol.*, qui ſepulcra vielat, 20. librarum auri ut legunt Baſilici, pœna multatur *l.* 3. *&* 4. *C. de ſepulcr. viol.* judex qui idololatriæ crimen non coarcuerit, 50. libras auri Fiſco ſolvat *l.* 7. *C. de pagan.*, aliæque pœnæ, quæ Fiſco inferri ſolent; nihilque frequentius in legibus barbarorum occurrir, quibus Frider. noſter innixus multarum, pœnarumque reditus inter regalia enumeravit.

Theſaurus, qui eſt *vetus quædam depoſitio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut iam dominum non habeat*, Paul *in l.* 31. §. 1. *D. de adquir. rer. domin.* Nomine pecuniæ intelligitur quicquid pretioſius poſſideri valet; deponere idem eſt & recondere, aut celare. Duo requirantur oportet, ut ſit Theſaurus pecunia tempore cujus initium ignoretur, fuerit recondita, & Dominus neſciatur, Giphan. *ad d. l.* 31., Ziegle. *de S. M. lib. II. cap.* 20. §. 1. Leonar. Gutierez *lib. I. de Theſaur. cap.* 2. *n.* 6. Si enim pecunia non eſt vetus competit actio furti in eum, qui invenit, nec dominus ignoratur *l.* 15. *D. ad exhib.*

Jure romano ſive in loco ſuo, religioſo, aut ſacro caſu fortuito quis theſaurum invenerit, cedit inventori §. 39. *Inſt. de R. D.*, in loco alieno, dimidium ſibi adquirit, alteram loci Dominus *d.* §. 39. *l.* 3. §. *ult. D. de jure Fiſci*. Divi Fratres Antoninus, & Verus theſauri in loco ſacro, & religioſo reperti dimidium ſibi vindicaſſe *D. l.* 3. §. *ul.* Sed Hadrianus in *d.* §. 39. naturalem ſequutus eſt æquitatem, & jus gentium. Divi fratres fiſcalem reſpexerunt rationem, quæ avaritia non deſtituitur vid. Cujac. *IX. Obſerv.* 37. Hodie ex generali propemodum Regnorum conſuetudine theſaurus tanquam jus regale ad Principes pertinet, & inventori aliqua conceditur portio, Guttier. *loc. cit. lib. III. cap.* 25. *n.* 1. Perez *ad tit. C. de Theſaur. n.* 14. Merito: ſicut enim feræ beſtiæ nullius ſunt, & poteſt Princeps venationem prohibere, ut ſupra dictum eſt, etſi jure naturali eam exercere ſit omnibus conceſſum; ita & pecuniam reconditam, licet jure naturæ nullius ſit, ratio ſuadet Principi concedendam.

TIT.

Digitized by Google

T I T. VIII.

DE JURIBUS, ET BONIS CORONÆ REGNI NEAPOL.

§. XIV.

De Domanio, & regaliis.

IN Regno Neapol. triplex ſicut in ceteris ditionihus reperitur Domanium, Regis, Baronum, & Univerſitatis; de primo hic agendum, alia infra dabo. Cum inclyta Nortmannorum gens *an.* 1043. totam adquiſiviſſet Apuliam, ſolemni ritu, & communi voto, ea inter ſe diviſa, Wilhelmum Ferrabrachium crearunt Comitem, Willel. Apul. *lib.* 1. & Chron. Caſſin. *lib.* *II. cap.* 67. *Poſt hæc Gulielmo Tancredi filio, Comitatus honorem tradentes, ad Guaimarum omnes conveniunt, eumque pariter cum Rainulfo Averſano Comite ad diviſionem Terræ vel acquiſitæ, vel acquirendæ venire Melphim invitant. Primo igitur eidem Rainaldo Domino ſuo ſipontinam Civitatem cum adjacente Gargano, nec non pertinentibus ſuis oppidis omnibus bonoris cauſſa concedunt. Debinc cetera ad illorum placitum inter ſe dividunt. Statuunt itaque Gulielmo Aſculum, Drogoni Venuſiam, Arnolino Libellum, Ugoni Jutaboni Monopolim, Petro Traim, Gualtero Civitatem, Rotbalto Cannium, Triſtano Montempeluſum, Herveo Grientum, Aſclittino Acerentiam, Rotbulfo ſanctum Archangelum, Raimfrido Monorbinum —— Melphim primam illorum ſedem communiter poſſidere decernunt.*

Peracta hac diviſione, quiſque ſuam Dynaſtiolam tanquam Regulus regebat; leges, vectigalia, tributa, collectas ſuo populo imponere non vetebatur. Rogerius Dux *an.* 1099. donat monaſterio M. Caſini decimam de frumento, vino, hordeo, animalium, & piſcium, Pet. Diaco. *lib. IV. cap.* 10. Rocca Rogerii Ducis Neptis eidem monaſterio *medietatem portus ipſius maris* obtulit, Diac. *loc. cit. cap.* 20. Robertus Dux eidem cœnobio

nobio ſundicum, in Amalphitana urbe, hoc eſt locum, in quo jus Dohanæ ſolvitur, conceſſit, *Chron. Caſin. lib. III. cap.* 57. Rogerius Dux immunes declaravit patres M. Caſini a cenſu, quem ex ovibus ſuis in pertinentiis Gargani paſcentibus penderent, Diaco. *loc. cit. cap.* 35. Narrat Falco Beneven. *ad an.* 1122., *præterea Dux* (hoc eſt Gulielmus Rògerii Ducis Filius) *ipſe Beneventanis mandavit, ut neque ſibi, neque Comiti Jordano auxilium præſtarent, & darent eis, & concederent totas fidantias* (hoc eſt tributum) *& penſiones, quæ a Caſtello Fenuculo, & uſque ad Caſtellum Montisfuſculi exibant de hereditatibus Beneventanorum*. Patet, hos Regulos omnia exercuiſſe regalia, & merito, quum nullum ſupra ſe recognoſcerent ſuperiorem; neque uſurpatio erat, ut Comites, & Duces Galliæ, ſed juſta belli adquiſitio,

Inſtituta autem a Rogerio Monarchia, ipſe ſuprema ſibi vindicavit regalia, quæ ſupra recenſui, ſicut cujuslibet coronæ regiæ indoles ſuadet, De aliis juribus teſtatur Diploma ejuſdem Regis apud Falco. Beneven. *ad an.* 1137. quo precibus Roſſemani Antiſtitis Beneventani, profligato Lothèrio Imp., qui beneventanis immunitatem, propter fidem contra Rogerium conceſſerat, Rex confirmavit, *Dimittimus & condonamus vobis ea omnia, quæ nos, & prædeceſſores noſtri Nortmanni circa beneventanam Civitatem habuerunt, fidantias ſubſcriptas videlicet denariorum, reditus, ſalutes* (hoc eſt præſtationem ultra debitum cenſum) *angarias, terraticum, herbaticum, carnaticum, Kalendaticum* (id eſt præſtationem, quæ Kalendis Januarii fiebat) *vinum, olivas, relevum, poſtremo omnes alias exactiones tam eccleſiarum, quam civium, & omnia prædicta, & poſſeſſiones liberas fecimus, & quietas, undecumque aliquid accipere ſoliti ſumus, ut quamdiu in noſtra permanſeritis fidelitate, & noſtrorum heredum, ut liberi, & quieti vos, & veſtri heredes, ab omnibus ſupradictis maneatis, & in veſtris prædiis venandi, piſcandi, aucupandi liberam facultatem habeatis*.

Conſtat & ex privilegio ejuſdem Rogerii, qui Salernitanos bello in Lotharium ſibi fideles a pluribus exemit oneribus *an.* 1137. apud Ugel. *tom. VII. p.* 339. *Firmamus ut deinceps, nec Salernitani, nec eorum homines pro mediatico* (puto ſignificari prædium quod colitur a colono partiario) *aliquid perſolvant, ſed ſemper ab hac conditione liberi & abſoluti permaneant, pla-*

tea-

Digitized by Google

teaticum etiam ſandalium (genus Farris) *& lenticum , quæ veniunt de Calabria, Sicilia, & Lucania ſimiliter eis condonamus, plateaticum* (ideſt tributum) *quoque piſcium , quos Salernitani capiunt eis iterum dimittimus — præterea decatias* (ideſt decimas mercium) *& alia jura mercatorum , quæ Salernitani in Alexandriam prius perſolvere ſoliti erant , ad morem, & modum Siciliæ negotiatorum reduci faciemus*. Nulla itaque res fere in commercio erat, quæ non regio ſubiiceretur tributo, nulla in qualibet re naturalis libertas.

Præterea Nortmanni aliis fruebantur juribus, undelicet tumuli, anchoragii, glandium, portus, affidaturæ, herbagii, paſcuorum, beccariæ, ſeu Macelli, paſſagii, plateatici, proventus pænarum, ponderis, menſuræ, foreſtagii, collectarum, piſcariæ, ſcannagii, ſcalatici, quod explicatur *in rub. XVII. ritu I. R. Cam. jus ſcalaticum conſiſtit in hoc quia ſolvuntur grana decem , vel plus , vel minus ſicut eſt moris pro collo quolibet mercium , quando de vaſſallo exonerantur merces in terram , Vaſtaſii in collum portantes , pro quolibet collo ſolvitur certum jus , & ſolvitur non non ubique , ſed ubi conſuevit ſolvi* , Conſt. Rogerii *Juſtitiarios lib. I.* 37. Wilhelmi Conſt. *locorum bajuli lib. I.* 65. Conſt. *magiſtri Camerarii lib. I. 63.*, & reperitur a Carlo II. *in cap. ſtatuimus, mandamus*. Quæ jura ſub vocabnlo tunc, & hodie trito *Dohanæ* continebantur ; Dohana enim eſt acervus omnium jurium regalium totumque Regis complectens patrimonium Conſt. *honorem noſtri diadematis lia. III.* 23., Conſt. *magnæ Curiæ lib. I.* 40., *& Ritu* 1. *Rub. V. R. C.*, Moles *in dec. R. C.* §. *IV. memb. I.*

Hos regales reditus Magiſter Camerarius, & Secretus exigebant. In unaquaque regni provincia aderat magiſter Camerarius, qui in cauſis appellationum a Bajulis, controverſiis inter Bajulum & Gabellotos, cognoſcebat, exceptis feudurum litibus, omnis civilis jurisdictio apud eum exercebatur Conſt. *officiorum periculoſa lib. I. 61.*, bajulos, Gabellotos, Foreſtarios, plateaticos, paſſagerios alioſque jura Curiæ exigentes conſtituebat, quorum exactionem ipſis locorum bajulis locandi erat conſuetudo Conſt. *locorum bajuli lib. I. 64.* Secretus extraordinaria Regiæ Curiæ jura, videlicet de theſauris, naufragiis, bonis vacantibus adminiſtrabat Conſt. *Dohanæ de ſecretis lib. I. 62.*

Dohana Menæpecodum Apuliæ ſub Nortmannis regalia cenſebatur,

batur, quod male nonnullis negatum eſt, quum id ex Pet. Diaco. *lib. IV. Chron. cap.* 34. eruatur, *His porro diebus Rogerius Dux præceptum fecit beato Benedicto de ovibus loci iſtius, ut nullam dationem, vel cenſum ulterius inde exigeret, tam ipſe, quam ſucceſſores ſui in omni pertinentia montis Gargani, & licentiam hoſpitandi ſemper habeant cum eiſdem ovibus ab Eccleſia, quæ dicitur Roſſari uſque ad Salpitanum pontem, qui Lombardorum dicitur uſque in mare, & uſque in vadum de Fiſco decem librarum auri pœna appoſita*. Hæc a Svevis, Andegaventibus, & præſertim Aragoniis aucta eſt, peculiare eique addictum tribunal, ut infra.

Jus amortizationis, quo non modo Comites, & Duces ante Monarchia inſtitutionem, ſed & Reges, ea erecta, uſi ſunt, ut nemo ſine Regis venia Eccleſiæ, poſſet quid donare, Conſt. *prædeceſſornm lib. III.* 29. Hanc Willelmus Rex indulſit Goffredo Comiti Andrienſi, apud Ugell. *to. VII. p.* 803., *quod poſſis donare, permutare, excambiare bona tua Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de monte viridi: & poſſis pœnam ad tuum arbitrium ponere. Quam donationem, & commutationem, & cambiationem, ad pœnam per ſe poſitam, ratam, & firmam habemus:* Sancta lex eſt, & cum Dominiis, & ditionibus nata: cum ſacra collegia diuitiis, opibuſque ſcaterent, cautum eſt, ut nemo donaret ſive cauſſa mortis, vel inter vivos, ſine Principis venia, ſicut in Gallia, Venetiis, Belgis, Britannia ubi paræmia *Sacerdos poſſeſſiones ne emito*, Hiſpania ſervatum Choppin. *de Doman. Franc. lib.* 1. *tit.* 13. *n.* 2. D. Greg. *de Rep. lib. XIII. cap.* 16. *n.* 3., & ad *cap.* 27. *de Reſcrip. lib.* 1. *n.* 4. Bodin. *de Rep. lib. V. cap.* 2. Bynker. *lib. III. jur. priv. cap. I.*, Alteſer. *de Ducib. lib. I. cap.* 18. Atque illa legis relaxatio, quæ prohibet Eccleſiis immobilia adquirere, dicitur *amortizatio*, jus *morticinii*, quia collegia, Eccleſiæ monaſteria nunquam deſinunt, eamque concedere ſolius Principis (p).

Po-

(p) Vt Rigobertus a Rege Theodorico litteras obtinuit, *quibus Grimoaldi viri illuſtris donatio villæ Calmiciaci confirmaretur*, facta nempe Eccleſiæ Remenſi, inquit Adr. Valeſ. *de rebus franc. to.* 3 *lib.* 23. Salvius Ambianorum Epiſcopus Eccleſiæ donat, *principe donationem ratam habente, ac decreto comprobante*, Valeſ. *loc. cit. lib.* 22.

Digitized by Google

Poteſtas eligendi Prælatos, Epiſcopos, atque Abbates in Eccleſiis, quam non ſolum Reges Nortmanni, ſed & Duces, & Comites adhibuerunt. Malaterra *Hiſt. Sic. lib. IV. cap. 7.* de Rogerii Comitis pietate narrat, *Comes videns propiciatione Dei omnem Siciliam, excepta Butera, & Noto ſuæ Ditioni ſubeunda ceſſiſſe, ne ingratus tanti beneficii ſibi a Deo collati exiſteret, cepit Deo devotus exiſtere: juſta judicia amare, juſtitiam exequi, veritatem amplecti, eccleſiam frequentare cum devotione, ſacris hymnis adſtare, decimationem omnium redituum ſuorum ſacris Eccleſiis attribuere, viduarum, & orphanorum, ſed & mærentium cum ratione conſolator. Eccleſias paſſim per univerſam Siciliam reparat, ipſe pluribus locis de ſuo ſumptus, quibus facilius fiant, attribuit.* Poſtea, teſte eodem *Malat.* Agrigentinam Eccleſiam dotavit, cui Gerlandum Epiſcopum; Syracuſanam, cui Stephanum; Melitenſem, cui Goffredum; Catanenſem, cui Angerium; Mazarienſem, cui Ambroſium Abbatem; Troiinenſem, cui Robertum præfecit, Pirr. *Sicil. Sacr. tom.* 1. *diſquiſ. III.*

In Italia, extincta R. Imperii Majeſtate, & noſtris provinciis, Barbarorum politia ſimul cum Clero, & populo jus eligendi Prælatos retinuit; Gothi nempe, & Longobardi, Grot. *in proleg. Hiſt. Goth.* Græci in Calabria, Apulia, & Sicilia conſenſu CP. Patriarchæ, cui illæ in ſpiritualibus ſuberant regiones, eligebant. At Nortmanni, expulſis Græcis, & Saracenis, omnes eccleſias juris Conſtantinopolitani Patriarchæ R. Pontifici reſtituerunt, aliaſque propriis ſumptibus dotarunt. Hinc ſi reliquæ Europæ ditiones hanc facultatem ſibi aſſeruerint, ut Gallia, Hiſpania, Anglia, Germania, Scotia, Polonia, Ungaria, & Orientalis plaga, eo magis Nortmannorum genti vindicandum eſt Choppin. *de Dom. Franc. lib. II. cap.* 10., Franc. Florens *tit. decr. di elect.*, & latiſſime Thomas. *par. II. lib. II. tot.*

Præter jus electionis Nortmanni *regalias* in noſtris Eccleſiis poſſidebant Francorum more, videlicet, vacante Eccleſia, donec eligeretur Prælatus, ballivi Regis, ejus reditus cuſtodirent, quos propter eorum fraudes Roger. in Conſt. *pervenit lia. III.* 31. aboluit & ſanxit, *ut deinceps ſi quis Archiepiſcopus, vel Epiſcopus Regni noſtri deceſſerit, res ipſius Eccleſiæ in cuſtodia, & Curia trium de melioribus, & fidelioribus, nec non & ſa-*

ſapientioribus perſonis ipſius Eccleſiæ ad cuſtodiendas, & conſervandas eas, ad opus Eccleſiæ uſque dum de Paſtore in eadem Eccleſia provideatur, committantur. Eo tamen modo, ut de redditibus, & proventibus ipſius Eccleſiæ ad uſum ſervientium ibidem morantium, neceſſaria rationabiliter, & ſufficienter miniſtrantur: & ex eis ipſi Eccleſiæ multum bene, & rationabiliter ſerviatur, reſiduum ab ipſis cuſtodibus ad opus ipſius Eccleſiæ ſalve, & integre cuſtodiatur, donec ibi paſtor fuerit conſtitutus. Conſtituto autem in Eccleſia paſtore, quicquid & introitibus ipſius Eccleſiæ remanſerit, ipſi Paſtori eorum aſſignent, & ei rationem inde reddant. Nihil frequentius in chartis Galliæ, Germaniæ, & ceterorum, Reges, Duces, Comitës, & Barones uſumfructum, & Regaliam, ſedibus Cathedralium Eccleſiarum vacantibus habuiſſe, ut probat Nat. Alex. *ſeculo XIII. & XIV. diſſert. VIII. art. IV. & V.*

Hoc jus electionis diſplicuit Adriano IV. *an.* 1159. pactuſque cum Willelmo, ut electiones conſenſu cleri libere fierent, & Regis aſſenſu confirmarentur, niſi eſſet perſona ſuſpecta, diploma apud Thoma, *par. II. lib. II. cap.* 37. Rocc. Pirr. *loc. cit.* Exemplum præſtat Falcand. *in Hiſt. Sicul.* Denique in cenſum Regalium Nortman. enumeratur *regium placitum*, ſeu *exequatur* ab omnibus quoque Dominiis poſſeſſum, ut nullum reſcriptum, nulla ab apoſtolica ſede bulla in regno vim haberet, niſi prius Regis conſenſu probaretur, ut in Gallia, Hiſpania, Barbantia, Flandria, Sabaudia, Mediolani, Britannia, Venetiis, Florentia a. tempore, cujus neſcitur memoria, ſervatum eſt, Vaneſp. *par. V. cap.* 2. §. 4. *& ſeqq.*, latiſſime Salgad. *de Retent. Bullar.*

§. XV.

Digitized by Google

§. XV.

De Regalibus ſub Suevis, & Succeſſoribus.

EX *Conſtantia* poſtremo Nortmannorum familiæ germine prodiit Frider. II. Imp., & hujus regni rex, acerrimus regalium defenſor, vetuſtæ ætati comparandus, *& nullus a Carolo Magno, qui romanum tenuerat imperium potencior*, teſte Fazel. *Hiſt.Sic.lib.VII. cap.* 5. Hic enim regalia, quæ Frid. I. Aenobardus in Italia reſtituit, in noſtro regno juſſit obſervari, ſicut & ea a Nortmannis jam inducta retinuit, & nova addidit videlicet jus Fundici ferri, Azarii, picis, ſalis, ſtateræ, ponderis, menſuræ, exituræ, ſetæ, tinctoriæ, cambii, bucceriæ, imbarcaturæ, portus, piſcariæ, decini, baliſtarum, reficæ majoris, & minoris, ſaponis, molendini, gallæ (in Apulia tantum) lignaminum, gabellæ auripellis (*q*).

 Hæc

(q) Jus fundici eſt, ut omnes merces quæ in regnum introeunt, in certis locis deponerentur; Fundicus eſt præſtatio pro mercibus in fundicos invectis. Vox *fundicus* a nonnullis cenſetur barbara; male: etſi Nortmanni græco, & ſaracenico uti ſint idomate, tamen hæc vox eſt latii a *fundo* dicta quaſi fundus redituum regis, fundus autem dicitur ab eo *quod ſit rerum omnium fundamentum* Serv. Georg. II., hinc ſæpe ac crumena Macrob. II. *Sat.* 4. Jus ferri, azarii, & picis, ut nemo in regno immittat hæc, vel vendat, niſi ſolus Rex, vel ejus conductor. Conſtit. *magiſtros funditarios lib.* 1. 89. ubi And.

Ponderis ſeu ponderaturæ, & menſuraturæ exigitur a mercibus, quæ in pondere, & menſura conſiſtunt; atque ſemel facta ponderatio, ſi iterum vellet fieri, ſolvitur jus imbarcaturæ, *rub. IX. Rit. I. R. C.* Jus exituræ ſi merces a regno exeunt. Tinctoriæ jus eſt quod ſolvitur ubi panni tincti venduntur *Rub. XIX. rit. I. R. C.* Jus cambii videlicet, ut nullus cambiet ſine curiæ voluntate ad certam pænam, *Rub. XV. rit.* 3. *R. C.* Bucceria ſeu ſcannatura animama-

Digitized by Google

Hæc jura quæ Iſern. appellat *imperialia* ipſe ſub Roberto collegit, atque in duas diviſit claſſes, *vetera*, & *nova*. Normanni vetera impoſuerunt; Frid. II. nova induxit, Andr. in Conſt. *quanto lib. I.* 7. Olim M. Camerarii cura erat regios reditus colligere, Theſaurariis, præceptoribus, ceteriſque regii patrimonii exactoribus præeſſe, ſed cum hujus dignitatis juriſdictio in tribunal Reg. Cameræ translata eſſet, ipſum hanc vindicavit adminiſtrationem, de litibus, conductione regalium redituum, adminiſtratoribus, eorumque fidejuſſore, rationibus reddendis cognoſcit, Jannon. *lib. XXII. cap. 6. H. C. N.* Surgens *Neap. Illuſt. cap. VII.*

De his regalibus, & aliis ſic ſcribit Richard. a S. German. *in Chron. ad an.* 1222. *Menſe Octobri in Sancto Germano hujuſmodi ſunt imperiales aſſiſiæ publicatæ. Cives in terris eorum pro mercibus ſuis, quas intromittent, vel extrahent, nihil ſolvent, niſi quod olim ſolvebant, de pomis caſtaneis, nucibus, Avellanis, & aliis fructibus in jure Curiæ ſervabitur forma antiqua. Jus coriorum pro conzatura dimittitur in forma antiqua. Factum canapis omnino remittitur. Vendentibus vinum ſive ad minutum, ſive ad groſſum nihil requiritur, ſed in eis ſervabitur forma anti-*

ti-

---

malium, puta porci, arietis, & bovis *Rub. XVIII. rit. I.* Jus piſcariæ ſecundum mores varium; Neapoli de 60. denariis valoris piſcium unus debeatur curiæ *rubr. XX. rit.* 2. *R. C.* Decini eſt decima pars de vegetibus quæ extra regnum ferunt vinum vid. *Rub. XIII. rit. I. R. C.* Jus Baliſtarum eſt impoſitio quæ vaſſallis ultra mare navigantibus præſtatur *Rubr. XXIII. rit.* 1. *R. C.* Reficiæ hoc eſt jus ſalmarum, & exigitur ab illis mercibus, quæ per mare veniunt, & per terram extrahuntur, & viciſſim *rub. X. rit.* 1. *R. C.* Jus lignaminum, ut nempe tale feudum debeat tot ligna, tot arbores, & fuſtes *Rub. XXIV. rit.* 1. *R. C.* Gabella auripellis eſt, ut color auri ſuper pelles detur Curiam *Rub. XXXII. rit.* 1. *R. C.* His reditibus, ut cetera Europæ propemodum dominia noſtrum regnum vivebat, Conf. Kloc. de Ærar. *lib.* 11. *cap.* 16. *& ſeqq.*

Digitized by Google

tiqua. Statera erit in fundicis, & nihil recipietur pro ea, nec amplius pro cantaro, quam gr. 5.; pro herbatico animalium, venditione equorum, & aliorum animalium ſimiliter ſervabitur forma antiqua. A piſcatoribus nihil requiritur, niſi ſecundum formam antiquam: Pro jure menſurarum victuali, tam in ſauma, quam tunninis ſervabitur forma antiqua. De jure caſatici remiſſa ſunt gr. 5. pro uncia, ita quod mercatoribus, qui erunt pro eis previdebitur a cuſtodibus fundici, in lectis, luminaribus, palea, & lignis. De jure bucceriorum pro bove, vel vacca remittuntur gr. 3., pro porco gr. 3., pro ariete gr. 2., pro agno gr. 2. De tunninis, & ſardellis ſervabitur forma antiqua, de jure lini idem, de jure cannorum idem, de lana ſyriæ idem, de bambace, & arcu cuctonis idem. Tinctorias omnes de regno ad opus fiſci imperialis recipi præcipit Imperator, & ſuper hoc ſuas mittit literas generales.

Neque his tantum reditibus, & regaliis Friderici ærarium ſcatebat, ſed primus collectas, neceſſitate ſuadente, indixit, Andr. *in* 11. *f.* 56. *n.* 62., Capyc. *in Inveſt. Feudorum clauſulæ v. collectis* Tappia *ad tit. D, de conſtit. Princip. cap. IV. n.* 36.. quas nomine *adjutorii exigebat*. Scribit Magiſtro Juſtitiario apud P. de Vineis *lib. V. cap.* 132. *fidelitati tuæ firmiter, & diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus quantitatem præſentibus intercluſam per ſingulos juſtitiarios auctoritate noſtra mandes imponi viam, & modum omnem excogitans, qualiter taxanda qualitas æqualiter diſtribuatur inter univerſos, & ſingulos ad facultatem cujuslibet debitum habendo reſpectum. Si enim nullus graviter offeret, quod ſub æqualitate perſolvet.* Eadem indicitur impoſitio *lib. II. cap.* 31. *lib. III. cap.* 4. *lib. V. cap.* 193.

Et pro nuptiis regiæ puellæ *lib. V. cap.* 16. (& apud Goldaſt. *to.* 11. *Conſt. Imp. p.* 55.) narrat; *pro maritagio filio filiæ noſtræ chariſſimæ, quam filio N. Marchionis Miſnenſis decrevimus copulandam, a fidelibus noſtris regniculis ſubventionem placeat exhiberi: Fidelitati tuæ* (hoc eſt juſtitiario Terræ laboris) *firmiter, & diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus 3. calend. proximi futuri menſis Aprilis, cum generalis collectæ pecuniam poſſibiliter credimus recollectam medietate totius generalis collectæ prædictæ, præſenti anno, de mandato noſtro in tua juriſdictione taxatæ, per ſingulos juſtitiariatus ejuſdem tuæ Juriſdictionis diſcretione provida imponi factas, & recolligi, feſtinan-*

nanter eam ad noſtram cameram deſtinandam (s), & Richard. a S. German. *in chron. ad ann.* 1240. *&* 1241. & merito: nam ſi neceſſitatis tempere Baroni jus eſt adjutorium a ſuis vaſallis exigendi Conſt. *quamplurium lib.* III. 20. *&* 21., magis hæc facultas tribuenda Regi, Alteſerr. *de Ducib. lib.* II. *cap.* 2., Choppin. *de Dom. franc. lib.* III. *tit.* 4. *n.* 10. Hæc jura Imperator per procuratores, & magiſtros fundicarios adminiſtrare, vel locare ſolebat, cujus forma in conſt. *inter multas*, & conſt. *ſi quando lib.* I. 86. *&* 87. præſcribitur (*t*).

Sub friderico magnopere floruit Dohana Menæpecodum Apuliæ, a qua jus affidaturæ herbagii paſcuorum R. Curia quotannis percipiebat, Conſt. *cum per partes Apuliæ lib. III.* 51. (quæ immerito Rogerio tribuītur) Rendel *de paſc. par.* I. *cap.* 16., & illuſtratur ex P. de Vineis *lib.* III. *cap.* 66. (& apud Goldaſt. *loc. cit. p.* 15.) in quo Frid. Magiſtro Maſſariorum in Apulia ſcribit, quam brevitatis cauſſa omitto.

Jus eligendi prælatos a Nortmannis jam poſſeſſum exercuit Fridericus. Defuncto Henrico, ut Imp., ejus uxor Conſtantia ab Innoc. III. petiit, ut de Regno Fridericum adhuc infantem inveſtiret: Pontifex renuit, niſi Epiſcoporum electionibus, & pacto Willelmum I. inter & Adrianum IV. renunciaret. Conſtantia, etſi invita, annuit, reſervato ſibi regio aſſenſu ſed tamen

(s) Exemplum præſtat Hadr. Valeſ. *lib. XI. de reb. Franc.* in nuptiis Rigundis Chilperici regis filiæ, quam Reccaredo Hiſpaniarum regi nupſit, *Francorum vero opimates ad officium nuptiarum vocati convenerant ex more multa* Rigundi *munera obtulerunt, alii aurum, alii argentum, nonnulli equos, plerique veſtes & unuſquiſque pro viribus ſuis regiæ virgini honoris cauſſa dona dedit*. Et civitates, per quas iter faciebat, contribuebant.

(t) Ab his collectis Clericus non eximebatur; hinc querelæ pontificum præſertim Greg. IX., quas Imp. ſua apolog. apud Goldaſt. refellit *in Conſt. Imp. to.* II. *p.* 79. *Taliæ, & Collectæ Clericis, & perſonis Eccleſiaſticis, non pro Eccleſiaſticis rebus, ſed pro feudalibus, & patrimonialibus imponuntur, ſecundum quod eſt jus commune, & obtinet ubique per orbem.*

men uti neceſſario præſtando, *cui requiſitum a vobis præbere DEBEATIS aſſenſum*, inquit, Innoc. diploma apud Pirr. *loc. cit.* & Lunig. *in Ital. diplo. to.* 11. *p.* 866., Fridericus *an.* 1213. decretum confirmavit. At cum ſedes apoſtolica, præſertim Honor. III., inconſulto rege, in Sicilia Epiſcopatus contuliſſet, Imp. conqueſtus eſt, noluitque Prælatos a Pontifice electos recipere, Rich. a S. Germa. *in Chron. ad an.* 1225. *eodem menſe quinque vacantibus in regno Eccleſiis, quinque Dominus Papa Honorius præfecit motu propriæ voluntatis, inſcio, & irrequiſito Imperatore, videlicet quendam Caſinenſem Monachum Joannem, cognomento de Sancto Liberatore Eccleſiæ Sancti Vincentii de Vulturno; Conſanæ Priorem quendam S. Mariæ Novæ de urbe; Salernitanæ Famaguſtanum quondam Epiſcopum Averſanæ cantorem amalphitanum; & Capuanæ Pavenſem q. Epiſc. quos tanquam in ſuum præjudicium promotos recipere Imperator in ipſis Eccleſiis non permiſit.* Eodem jure Conradus, & Manfredus uſi ſunt. Denique Svevi *regium exequatur, & jus amortizazionis* poſſiderunt d. Conſt. *prædeceſſorum.*

A Svevis ad Andegavenſes Comites translata regni ſede, eadem Dohanæ, & gabellarum impoſitio remanſit, imo major populorum oppreſſio viſa eſt, qua regnum Siciliæ amiſerunt; eidem collectarum exactio, licet Carolus II. *in Cap. Statuimus mandamus* ſanxerit, ut ſervaretur, *ſtatus, uſus, & modus, qui tempore Felicis recordationis regis Gulielmi ſecundi extitit obſervatus, ſecundum quem in conventionibus habitis inter Sanctam Romanam Eccleſiam, & Dominum patrem noſtrum tempore collationis factæ ſibi de regno plenius continetur. Qui ſtatus, modus, & uſus, pro eo, quod conſtare non poteſt, quia vel nulli, vel pauci ſuperſunt, qui poſſint de hoc teſtimonium perhibere; volumus, quod per ſanctiſſimum patrem, & DD. Papam Martinum Summum Pontificem, declaretur —— & ex nunc omnino omnia reſidua collectarum quarumcumque, ad quæ aliquæ provinciæ, terræ, vel loca tenebantur, vel etiam tenentur, remittimus & eis gratioſæ donamus, volentes, quod de illis nullatenus impetrentur, nec ante determinationem, expoſitionem, & ordinationem prædictam, a prædictis provinciis, univerſitatibus, terris, vel locis collectæ nomine peti aliquid faciemus, niſi in caſibus conſtitutionibus comprehenſis*, tamen ideo ita ſanxit, quia ſerius de Siciliæ regni amiſſione Andega. ſtirps perſpexerit. Neque hæc Caroli II. ſub Martini Pontificatu, ſed Ho-

Digitized by Google

Honorii IV. ejus ſucceſſoris ſequuta eſt (s).

Honorius enim *an.* 1285. *ind.* 4. caſus decrevit, in quibus reges noſtri poſſent a ſubditis collectas exigere. *Primus eſt, pro defenſione Terræ, ſi contingat invadi regnum invaſione notabili, ſive gravi, non procurata, non ſimulata, non momentanea ſeu tranſitura facile, ſed manente, aut ſi contingat in eodem regno notabilis rebellio, ſive gravis, ſimiliter non ſimulata, non procurata, non momentanea, ſive facile tranſitura. Secundus eſt, pro Regis perſona redimenda de ſuis reditibus, & collecta, ſi eam ab inimicis captivari contingat. Tertius eſt pro militia ſua, ſeu fratris ſui conſanguinei, & uterini, vel ſaltem conſanguinei, ſive alicujus ex liberis ſuis, cum ſe hujuſmodi fratrem ſuum, vel aliquem ex eiſdem liberis militari cingulo decorabit. Quartus eſt pro maritanda ſorore ſimili conjunctione ſibi conjuncta, vel aliqua ex filiabus, aut nepotibus ſuis: ſeu qualibet alia de genere ſuo ab eo per rectam lineam deſcendente, quam & quando eam ipſe dotabit;* ut Regis redemptione quinquaginta millium, pro militia duodecim millium, pro nuptiis quindecim millium unciarum auri ſumma eſſet (t). Neque hæc Honorii Sanctio vim habuit

(s) Gulielmus II. quem imitari hic Carolus profitetur, plura Sicilienſi populo onera ab anteceſſore impoſita abſtulit præſertim *vectigal quod pater redemptionem appellabat, populo quidem intolerabile prorſus abolevit*, inquit, Fazel. *Hiſt. Sic. lib. VII. cap.* 5. Proinde Aragonenſis familia collectas a Carolo I. inductas, ut & Rex Jacobus *in cap.* 1. *apud Mutam to.* 1. abrogavit.

(t) Eoſdem caſus conſtituit Jacobus Siciliæ Rex *in cap.* 2. 3. 4. 5. 6. & 7. *apud Mut. loc. cit.*, Rex Joannes *in cap. VII. to. 6.*, Rex Federic. *in cap.* 21., & Martinus *in cap.* 19. & 53. collectandi modum decernunt. Nec Federicus *in cap.* 22. etiam a burgenſaticis, & patrimonialibus Clericos bonis, ſed tantum Eccleſiaſticis exegit, ut noſter Frid. II., ſapienti motus ratione, quia *levius quidem facit, quod portatur a multis, & quod in communi deducitur, lucidius elucefcit*. Clericus enim ſi juribus Civitatis fruitur, igitur onera ferre cogendus, & ſicut clericatus ei jura civitatis non aufert, ita nec ab oneribus eximit.

buit in regno, quum ævo Napodani, qui ſub Joanna I. *an.* 1350. floruit, adeo collectarum crevit impoſitio, ut ſingulis menſibus ſex exigerentur collectæ, uſque *ad ſacculum, & peram, & regularum avulſionem*, inquit, *in d. cap.* Nec Robertus quid immutavit, *cap. functionem fiſcalium*.

Quoniam Andegavenſis familia regnum a ſede apoſt. pacto clientelæ recepit, ut RR. Pontificum genio indulgeret, non pauca regiæ coronæ jura depreſſit, & abdicavit. Ab ævo Nortmannorum in ſacris Prælatorum electionibus regium placitum requirebatur; ipſa renunciavit, licet regium exequatur in bullis, & reſcriptis Pontificum ſibi reſervaverit; quo jure hodie utimur Cap. Caroli II. *item ſtatuimus quod Officiales*.

Andegavenſibus ſucceſſit Aragonenſis, Alphonſus I., qui *anno* 1442. indictis in Eccleſia S. Laurentii Neapoli Comitiis precibus Baronum, & populi, collectas has exolevit, & induxit quolibet anno pro ſingulis focularibus decem ſolvendos carolenos, & Rex iiſdem modium ſeu tumulum ſalis quotannis concedere ſe obligavit, Capit. & Gratiæ Regis Alpho. I. *cap.* I. & 2. *Placet regiæ Majeſtati, quod tollantur omnes collectæ videlicet tam ordinariæ, quam quovis extraordinariæ, quocumque nomine, ſeu convocatione dici, ſeu imponi poſſent, præter collectis coronationis, maritagii, & redemptionis perſonæ ſuæ quod abſit, prout ex conſtitutione regni* (conſt. quamplurium) *cautum eſt, quibus in tribus caſibus ſingulæ tamen collectæ exigi poſſint per regiam curiam, juxta privilegia reductionum hactenus factarum*, id eſt *in cap.* I. in quo permittit *unicuique foculario regni prædicti anno quolibet tumulum unum ſalis in fundicis antiquis, & ſolitis in unaquaque provincia ad juſtam menſuram, & ut tempore conſuetam, videlicet ex ſale ruſſo in provinciis terræ laboris, & principatus citra, & in aliis ex ſale conſueto, ita ſcilicet quod regia Curia exinde exigere poſſit, & habere ex quolibet foculario liliatos decem prædictos*. Hæc tributi ſpecies deinde aucta eſt uſque ad 40. Carol. nec ſal ſolutum, ſed an. 1604. remiſſum Monta. *de Regal.* §. *extraordinariæ n.* 7. Capyc. *in inveſt. v. collectæ* §. *in regno p.* 118., Tappia *ad tit. D. de Conſt. Princip. cap. IV. n.* 51., Curte *in div. par.* 1. *p.* 25. *n.* 22., Ponte *de Pot. Pro. tit. de impoſ. reg.* §, 2. *n.* 12 Denique alias impoſitiones regni neceſſitas invenit, quas Ponte *loc. cit. n. IV. n.* 35. ſub Proregibus recenſet.

Seculo XVI. Sedem apoſt. inter & auſtriacos orta eſt conten-

Digitized by Google

tio, de cathedralium eccleſiarum præſentatione, quas reges noſtri conſtruxerant, eaſque juris patronatus regii, ut in Hiſpania moris erat, vindicebant. Verum *an.* 1532. opera Regentis Muſcettulæ legatis Carolus V. Imp. cum Clemen. VII. tranſegit, XXIV. Cathedrales Eccleſias, nempe VII. Archiepiſcopatus, & XVII. Epiſcopatus regiæ ſubjici præſentationi, reliquas pontificiæ. Archiepiſcopatus ſunt Salernita; Rhegienſis, Tarentinus, Brunduſinus, Hydruntinus, Tranenſis, & Materenſis. Epiſcopatus, Puteola; Acerra; Caſtri-maris; Cajetanus, Caſſan; Cotronenſ; Tropien; Monopolitanus; Gallipolita; Ugentin; Orita; Aquilanus, Potentin, Mottulæ, Juvenacenſis, Arian; Lacian; P. Inno. *H. C. R. N. lib.* 32. *cap.* 9., Pirr. Conrad. *in prax. beneſ. lib.* 1. *cap. IV. n.* 95. Excipiuntur Eccleſiæ juris regii patronatus, quæ ad noſtri Regis præſentationem pertinent, earumque cenſum Chiocchar. & Troyl. deſcribunt, Cam. de Curt. *in div. cap.* 3. *n.* 87.

Præterea Menæpecodum Apuliæ regalia Romanis non ignata ab Alphonſo I. ad noſtra uſqua tempora plurimum aucta eſt, Varro *de R. R. lib.* II. *cap.* 2. *&* 5. *& in præf.*, ex qua ingens pecuniæ copia regiæ coronæ accreſcit, quæ quotannis paſtoribus paſcua, atque herbas diſtribuit, peculiare habet Tribunel quæ de cauſſis locatorum, & paſtorum cognoſcit; a centenis ovibus XIII. exigit ducatos; pecus enim eſt *fundamentum omnis pecuniæ* Varr. *loc. cit. cap.* 1., Conf. Mazel. *deſcript. R. N. in Alphon. I.*, & quoniam pecora æſtate in locis maritimis, hyeme in montanis paſcuntur, dicta eſt dohana Menæpecodum a *mino* hoc eſt *duco*, Lex *Ripuar. tit.* 82. §. 2., *lib.* 11. *LL. Longobar. tit.* 21. *l.* 25., Lex *Alaman. tit.* 74. §. 2. *& Salica tit.* 10. §. 9. *Si qua pecora propter damnum meſſis alienæ incluſa fuerint, aut minentur*.

His igitur regaliis & juribus Corona Regni Neap. componitur, ſicut & iis, quæ Frid. I. Aenobard. in Italia reſtituit; atque aut jure feudalis contractus, aut locationis noſtri Reges ſolent concedere, aut apud ſe retinere, & particularibus officiis adminiſtrare; quod ab initio Monarchiæ ſuſceptum eſt, non modo in regaliis, & juribus, ſed & in Domaniis Conſt. *inter multas*. Conſt. *ſi quando*, Conſt. *auctoritatem*, Conſt. *Magiſtris*, Conſt. *magiſtros noſtros lib.* I. 86. 87. 88. 89., in quibus rerum fiſcalium, & dominii locatio, atque adminiſtratio præſcribitur; Carolus I. *cap. prædeceſſorum*, Carolos II. *in cap. Comitibus*, *& Baronibus*; Robertus in *cap. Univerſis*, *& cap. Juſtitiarii Capitanatæ*, in quibus

Digitized by Google

bus occupatio regii domanii prohibetur. Domanium enim regis componunt Civitates, caſtra, caſalia, villæ, fortalitia, dohanæ, gabellæ, vectigalia, ballivia, flumina, foreſtæ, aliave bona, quæ in quinternionibus regiæ Curiæ deſcripta ſunt, eaque hodie Baronibus ſub clientelæ pacto pleraque conceduntur, reditus, collectas, montes, ſilvas, territoria, quæ *domania baronis* appellamus, quibus integrum conſtituitur feudum, in eos transferri moris eſt, Conſt. *dignum lib. III.* 4. At ut Univerſitates, oppida, & Civitates vivere poſſent, aliqua nemorum, montium, & paſcuorum portio relicta eſt, *& domania Univerſitatis* dicuntur, Capibl. *de Baron. prag. XI. n.* 10., Monta. *ad* 11. *ſ. n.* 56., Andr. *eo. n.* 44. Hæc Domania regni Princeps nequit alienare, ſed dumtaxat infeudare, *ex capp. Honorii IV.*, verum hujus Pontifi. *capp.* apud nos nunquam fere vim legis obtinuerunt, idcirco omnis Principi facultas eſt de rebus domanialibus diſponendi, quum ſemper ſuprema intelligatur reſervata poteſtas, Andr. in Conſt. *dignum fore lib.* III. 4. (u).

(u) Ladislaus *an.* 1405. plura donat Monaſterio S. Nicolai O. Cart. bona domanialia. Regina Joanna *an.* 1371. Cænobio S. Jacobi ejuſdem ordi, alia domania conceſſit, Ughell. *to. VII. p.* 96. & 259.

Digitized by Google

T I T. IX.

DE MODIS ADQUIRENDI REGALIA.

§. XVI.

De privilegio, & præſcriptione.

REgaliis enucleatis, dicendum quomodo adquirantur; duplex adeſt modus, expreſſa Principis voluntas, quæ dicitur *Conceſſio, privilegium*; & tacita, quæ eſt *præſcriptio*. Conceſſio exprimitur inveſtitura; & hæc vel *generalis* eſt, vel *ſpecialis*. Generalis, dum territorium, civitas, oppidum, manſus cum regaliis, vel regalia dumtaxat conceduntur. Eorum hæc conceſſio tanti non æſtimatur, ut omnia Principis jura comprehendat, ſed ea tantum, quæ facile ab ejus corona valeant ſeparari, non quæ regnorum indoles velut in teſſeram ſupremæ poteſtatis ſibi reſervavit, ſine iis regnum interiret, vel capite diminueretur. Non enim Princeps in feudorum, regaliumque conceſſione parem in ſua ditione cenſetur conſtituere, ſed vaſallum. Fidelem, ne ſua liberalitas imperio noceat A. Faber *in C. tit. de juriſd. deſi. XVII.*, Roſent. *cap. V.* 10. 3., Sixtin. *de Reg. lib.* I. *cap.* 5. *n.* 4.

Specialis eſt, dum quædam jura in conceſſione exprimuntur, videlicet jus cudendi monetam argenteam, non auream; aſſes, non ducatos; jus venandi feras minores, non majores, vectigal imponendi in fluminibus, non in portu; exercendi juriſdictionem civilem, non jus gladii; quædam puniendi crimina, non omnia. Sicut proceres Francorum, nempe Nivernienſis Comes, Marchianus, Sueſſionum, Eſſuorum, Fani Paulini, Vindocinenſis, Andegavenſis, Pictonum, Bleſenſis, Carnutum, & Cenomanenſes Comites, Rhemorum pontifex, Sueſſionenſis, Magalonæ, Laudunenſis, Meldorum, Claromontanus, & Claducorum Epiſcopi argenteam non auream cudere poterant monetam, Choppin. *de dom. Franc. lib.* 11. *cap.* 7. §. 15.

Exem-

Exemplum præbet & Piſtor *tom.* III. *Script. Germ.*, dum Henricus VI. Imp. concedit partem argentifodinæ Epiſcopo mindenſi *an.* 1189. *ind.* 8. 12. *cal. apr.* *Cum igitur argentifodina, quæ eſt inter regalia noſtra ſit computata, notum fieri voluntas univerſis imperii fidelibus præſentibus, & futuris, quia nos fideli noſtro Epiſcopo Mindenſi, & Eccleſiæ ſuæ, nec non & omnibus ſucceſſoribus ſuis in perpetuum conceſſimus, & regali auctoritate confirmavimus duas partes ejuſdem argentifodinæ cum omni fructu, & jure exinde rationabiliter proveniente; tertiam vero partem totius argentifodinæ, & totius fructus, ſive juris exinde provenientis —— nobis totaliter, & integre ſalvam eſſe volumus, & quietam conſervari.* Et canonica ſervabatur in univerſa Europa conſuetudo, ut in inveſtituris juriſdictionis, ſeu juſtitiæ, quæ Eccleſiæ prælatis fiebant, merum imparium ſæpe exciperetur, Miræ. *diplo. Belg. lib.* 1. *cap. XCI.* & paſſim infra.

Alter modus adquirendi regalia eſt præſcriptio, non quœvis, ſed ea, cujus neſcitur initium *cap.* 26. *de V. S.*, quum ipſa tantæ vis ſit, ut, quod a lege, vel pacto hominis prohibetur, permittat, & viciſſim; habeatque poteſtatem contractus, & taciti conſenſus, quia res, tam longo temporis intervallo poſſeſſa, derelicta præſumitur; & quamvis jure caveatur, rei dominicæ, & coronæ æternam eſſe auctoritatem, tamen nunquam excluditur præſcriptio, quæ hominum ſuperat memoriam; qua non ſolum minora adquiruntur regalia, ſed & jura Majeſtatis Principi in ſignum ſupremæ poteſtatis vindicata Covarr. *in cap. poſſeſſor p.* 2. §. 2. *n.* 12., Perez *ad tit. C. Ne rei dom. n.* 3. Scrad. *p.* X. *ſect.* 10. *n.* 233., Sixtin. *de reg. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 210., Bruckn. *de Dom. reg. Germ. cap. XI. n.* 3., Andr. in Conſt. *ſi dubitatio lib.* III. 8., Vitria, *Inſt. jur. publ. lib.* III. *cap.* 17. *n.* 3., diſſen. Ev. Otto *in præf. to. X. theſau.*

Animadvertendum, aliud eſſe præſcribi jus, aliud juris exercitium: jus adeo regiæ cohæret Majeſtati, ut, velit, nolit, ab ea avelli non poſſit, non modo quia ita ſummæ poteſtatis indoles jubet, ſed & Majeſtas deſineret, ſive in Monarchia, ſive in qualibet reperiatur ditione, quum ſi Princeps tacite, vel expreſſe cum ſubdito communicaverit, imperii ſocium habiturus eſſet, & jus majeſtatis amitteret. Hinc illud Ictorum effatum *ea jura nec cedi, nec diſtrahi, nec ulla ratione abalienari a ſummo Principe poſſe; ac ne ulla quidem temporum diuturnitate præſcribi;* Bodin. *de Republ. lib.* 1. *cap.* 10. Exercitium vero juris vel tacite, vel expreſſe poteſt

Digitized by Google

teſt privatis concedere; nec ſummo Principi aliquid detrahitur, quum ſemper territorialis ejuſdem afferta intelligitur ſuperioritas; Omnis enim ſive feudalis, ſive allodialis principum conceſſio, *ſalvo jure ſuperioritatis* enucleanda, quod a regalia omnino differt, Georg. Hahn *diſp. in aug. de præſcript. bon. princ. cap. 3. n. 22.* Stryck. *to.* 111. *diſput.* 20. *cap.* 4. *n.* 31. Exemplo ſunt tot principatus, Comitatus, cæteræque ditiones quæ Imperatorem, vel Regem dumtaxat cognoſcunt, interim majoribus regaliis hac præſertim præſcriptione quæſitis fruuntur; atque ita ex imperiis generantur imperia, & Aquila prorſus deplumata remanſit. Sæpiſſime etiam non modo jus, ſed etiam juris exercitium, & ſuperioritas extinguitur, ſi Comitatus, diſtrictus, vel Civitas libertatem undique adſpicitur.

Hæc præſcriptio obtinet, ſi privatus contra principem regalia velit adquirere; in qua adfuerit principis, vel ejus Comitis ſcientia non oportet, quum hæc temporis diuturnitas ſpecialis conceſſionis vicem occupet, certumque pariat titulum *l.* 3. §. 4. *D. de aqua quot.*, *&* *æſt.*, nec bona fide a jure canonico ſtatuta indiget *cap. fin. de præſcrip.*, quod excipit præſcriptionem, cujus ignoratur initium, *cap.* 1. *eod.* in *VI.*, quia bona fides, & juſtus titulus præſumuntur, onus probandi in adverſarium reiicit Bruckn. *loc. cit. n.* 32., Barthold. *differ. in aug. de neceſſ. eden. tit. poſſeſſ. cap. ul. n.* 106. Neque intereſt, Principem regalium adminiſtrationem ſuo Comiti, ſeu procuratori concrediſſe, cujus negligentia non videtur ipſi nocere. Nam Comitis adminiſtratio, & munus, principis auctoritate, & auſpiciis geſtum intelligitur: & ſicut Comes ſuum auget patrimonium, & regalia tuetur, ita æquitatis ratio ſuadet, comitis negligentia ſuum diminui patrimonium, aut regalia, ex regula juris *in l.* 149. *D. de R. J. Ex qua perſona quis lucrum capit, ejus factum præſtare debet.* Exemplo erit actio exercitoria, quæ datur contra navis exercitorem ex contractu magiſtri, cui navis cura mandata eſt *l.* 1. §. 5. *D. de exercit. act.*, qui contrahit cum principis comite, cum ipſo principe gerere, & contrahere videtur *l.* 6. §. 1., *l.* 7. §. 2. *D. quod cujuſqu. Univ.* (x). Ve-

(x) Ex his P. Ludewig. *lib.* 1. *jur. publ. opuſc. VII. cap.* 6. §. 30. non recte negat regalia, & domanialia Principum nulla præſcriptione etſi immemoriali poſſe adquiri, cum & lex, & prudentum auctoritas aliud ſuadeat.

Verum ſi privatus contra privatum præſcribit, vel par contra parem, id eſt Princeps adverſus principem æque ſuperiorem, aut princeps contra inferiorem, diuturna temporis opus eſt præſcriptione, videlicet X. an. inter præſentes, XX. inter abſentes, modo bona fides, juſtus titulu- interveniat, & res non fuerit vitioſa, nec poſſeſſio intercepta *tot. tit. de præſcript. long. temp.*, ſi adeſt mala fides, & titulus non juſtus, requiritur tunc præſcriptio longiſſimi temporis hoc eſt XXX. an. vel XL. jure codicis inventa, & Iĉtis ignota *tot. tit. C. de præſcrip. 3*2. *vel.* 40. *an.*, quia regalia dum a principe conceduntur, & in privatos tranſeunt, uti res privatæ conſiderantur, conſ. Bruck. *loc. cit. n.* 4.

Præterea cum regalia diſtinguantur a rebus patrimonialibus, & fiſci, idcirco diverſa utimur præſcriptione. Rei patrimoniales Principis præſcribuntur an. 40. *l. ſi. C. de fund. patrim.* Bona fiſci ſi nondum ſunt fiſco delata, quadriennio *l.* 1. *C. de quadr. præſcript.* l. 1. §. 5. *D. de jure fiſci*. Hinc ſi quis bona vacantia poſſederit, & quadriennium præteriit, tutus erit *l. 6.* §. 7. *D. ſi quis omn. cauſ. teſta.* Fiſco antem delata, & deſcripta, ſeu incorporata uſucapi non valent *l. 9. C. commun. de uſucap.* §. 9. *Inſt. eo.*, ſed præſcribi 40. *an.* conſ. Connan. III. *com. cap.* 15. *num.* 5.

In hac demum regalium, & bonorum coronæ præſcriptione, regnorum mores, & leges inſpicere neceſſe eſt, ut in Polonia, Hungaria, & Hiſpania rerum domanialium æterna eſto auctoritas, nec alienatio, nec immemorialis præſcriptio conceditur; Ringl. *de Dom. Germ. lib.* III. §. 4. Jure regni bona Principis ſeu fiſcalia, ſi fiſco quæſita ſunt, & in quinternionibus regiæ Curiæ deſcripta centum annis præſcribuntur Conſt. *quadragenalem lib.* III. 39. Ante Svevos opinor apud nos legem Luitprandi *in lib.* II. *LL. tit.* 35. *l.* 13. viguiſſe, nemoe fiſcum ſuis actionibus privari, ſi res ſua LX. an. a privato poſſidetur, quam Frid. II. *in d. Conſt.* abrogavit. Domania autem regni, inquit, Andr. in Conſt. *ſi dubitatio lib. III.* 8., & *in* II. *f.* 55. *n.* 50. probat Domania adquiri poſſe præſcriptione, cujus non erat memoria; Monta. *in* II. *f.* 55. §. *præterea ducatus n.* 1. 49. Quo jure hodie utimur ex lege quoque noſtri Cæſaris Caroli VI. Imp. *an.* 1720. 21. *M. Decem. in Grat. Neap.* §. 2. ubi abrogavit tribunal cedularii de regaliis cognoſcens ſanxit, *placet Sacræ Cæſareæ & Catholicæ Majeſtati cauſſas inter regium Fiſcum, & privatos, ſublata au-*

la,

Digitized by Google

la, quæ dicitur Cedularii, tractari in aula magna Regiæ Cameræ, & poſſeſſionem, ſive immemorabilem, ſive centenariam procedere contra Fiſcum, & tutos reddere poſſeſſores bonorum, & jurium feudalium, vel regalium a quacumque moleſtia regii fiſci; etiamſi conſtaret de titulo vitioſo, infecto, vel invalido; dummodo tamen titulus prædictus non ſit exhibitus ab iiſdem poſſeſſoribus. Illud tamen cavendum Principibus; ne vel allodii, vel feudi pacto ſubditis jura majeſtatis, & regalia, nimis quoad fieri poterit, tribuantur, ſecus metuendi evadunt Bodin. *de Republ. lib. VI. cap.* 5., nec ea præſcriptione quæſita remittere, niſi titulus, ſuumque oſtendatur privilegium, ut Frid. 1. in Italia juſſit, de quo Gunthe. *lib. VIII.*

Tanta tamen clari fuit indulgentia Regis,
Ut quicumque bona priſcorum munere Regum
Hactenus iſta fide poſſideat, idque probare
Legitimis poterat, nec demonſtrare tabellis
Principis aſſenſu, titulo gaviſus eodem
Nunc quoque poſſideat.

§. XVII.

Digitized by Google

§. XVII.

De rebus Principis infeudandis, vel non.

RECenſitis Summorum Principum, & Reipubl. regalibus, & bonis, inſpiciendum, an in feudum dari poſſint; Porro aliud eſt *alienare*, aliud *in feudum concedere*. Communi regnorum lege ſtatutum eſt, non poſſe domania, vel regalia alienari, quæ regno cohærent, quia princeps domanii non dominus, ſed tutor eſt; hinc omnes propemodum Reges in auguratione jurant, jura, & bona regni integra ſervaturos, ut Rex Hungariæ, Poloniæ, Angliæ Mart. Gomer *lib. II. de Republ. Polon.* Seidel *diſput. de ſacro doman. jure aſſert. X. n. 2.*, Wolph. Theſtor *diſp. de bonis Coro. th. 6.*, *cap. 33. de jurejur.*, quod turpiter negavit Strauch. *de oppign. rer. imper. cap. VII.* §. 18. Sæpe autem alienatio juſta eſt, videlicet ſi Rex ab hoſte redimendus, ſi urgeat bellum, ſi filio ſecundo nato appanagium conſtituetur, ſi ſtipendia militibus ſolvenda, ſi regnum erit patrimoniale (quod vix finges) Choppin. *de dom. Franc. lib. 11. tit. 13. & 14.*, Groti. *de J. B. & P. lib. 1. cap. 3. §. 12.*, idque, cauſſa cognita faciendum, tanquam res minoris, Eccleſiæ, & Univerſitatis *arg. l. fin. C. de vend. reb. Civit.*

Quamvis alienatio prohibita ſit, nunquam denegata videtur infeudatio, quæ eſt *utilis dominii in vaſallum translatio, directo apud ſeniorem remanente.* Hac regalium conceſſione non diminuitur majeſtas, ſed augetur; imo nihil eſſe poteſt dignius imperatoria maieſtate, quam proceribus imperii aliquid ſui ſplendoris, & dignitatis communicare; integra majeſtatis ſuæ authoritate, qui eo attentius, majori fidelitatis nexu devicti domi, militiæque ſanguinem effundere parati ſunt Reink *de Regim. ſæc. & Eccl. lib. 1. cl. V. cap. 6. n. 82.* Hinc Carolus M. rogatus, cur tam frequenter feuda concederet reſpondit, ut fideles ſibi adquireret, Otto M. apud Miræ. *belg. diplo. lib. II. cap. 23.*, inquit, *quia credimus nobis fideliores exinde fore, ac promptiores, devotioreſque obſequio.* Malater. *Hiſt. Sic. lib. IV. cap. 15. de* Rogerio Comite, narrat, *Militibus itaque ſuis, quorum auxilio tanti bonoris culmen adeptus fuerat, arceſſitis, gratias cum omni magnitudine referens, quibuſdam terris, & largis poſſeſſionibus, quibuſdam vero*

Digitized by Google

aliis diverſis præmiis laboris ſui ſudores compenſat. Ita & defuncto Gulielmo II. Siciliæ rege, Tancredus Licii Comes ut Barones regni *ad ſuam fidelitatem converteret & mandatum regales effudit opes* Richar. a S. Germa. *in chroni. initio*.

Proinde moris fuit apud veteres, iis, qui præclara in bello geſſerant, prædia quædam, & poſſeſſiones concedere, ut alacriores ad pugnandum irent; quæ *beneficia* dixerunt, Servi. *en. XII. Nam conſuetudo erat, ut victores Imperatores, agros militibus ſuis darent, ut in hiſtoriis legimus*; Sicul. Flacc. *de condit. Agro.*, Alteſer. *Rer. Aquit. lib. III. cap. 1.*, *& tot. tit. C. de fund. limitr.* Clientelaris pactio in bello nata eſt, militiæque filia 1. *f.* 5. *&* 17. 11. *f.* 18., 11. *f.* 55. §. *firmiter*, bellum ſine fortitudine, & fide geri non poteſt, fides ſine præmio aut occumbit, aut langueſcit, neceſſe itaque eſt Principi bona vel propria, vel regni ſuis militibus donare; neque Reſpubl. detrimentum patitur, ſed incrementum recipit, cum & virtus creſcat, & publica ſalus conſervetur. Quare nulla bonorum ſpecies, ſive regalia fuerint, ſive patrimonialia, aut domanialia in barbarorum ætate reperiebatur, quibus ſummi Principis ſolet exornari corona & regna conſtitui, quæ ſub clientelæ contractu vel precario jure, vel hereditario non concederentur. Hodie præſertim viri de Republ. benemeriti de territoriis, caſtris, ac civitatibus ſimul cum regaliis inveſtiuntur; exemplo præ ceteris ſunt Germaniæ principes, qui bella gerunt, arces ædificant, jus fæderis, & natalibus reſtituendi poſſident, delicta remittunt, & componunt, in bona vacantia, & ſpuriorum ſuccedunt, jure confiſcandi, fodinarum auri, aliorumque metallorum, collectas imponendi, creandi magiſtratus, aliiſque potiuntur Carolus IV. *in A. B.* §. 9., Sixtin. *de Reg. lib. I. cap.* 4. *n.* 103., Reink. *loc. cit. n.* 14. Olim Ferdinandus I. Arag. Roberto Sanſeverino Marſici Comiti Civitatem Salerni ſub principis titulo, jus cudendæ monetæ & in bona reorum læſæ Majeſtatis ſuccedendi conceſſit, ſed paulo poſt revocavit, Conſtant. *Hiſt. Reg. Neap. lib. XIX. in fin.*

Verum ſi infeudatione publica ſalus periclitatur, regni provinciæ diminuuntur, vel majeſtatis jura, & reditus coronæ nimis deprimantur; Summus Princeps ſine populi, vel ordinum conſenſu nequit infeudare. Nam etſi fides, atque homagium præſtetur; hujuſmodi tamen juris gentium obligatio divitiarum, & potentiæ magnitudine intereat neceſſe eſt.

TIT. X.

Digitized by Google

TIT. X.

DE REBUS DIVINI JURIS.

§. XVIII.

De bonorum Eccleſiæ infeudatione.

Dictum ſupra eſt de rebus humani juris; nunc, quæ ſunt divini, petamus. Canones, & PP. edicta Eccleſiarum bona, videlicet prædia, territoria paſcua, decimas, oblationes, & jura appellant *res divini juris*, *res ſpirituales*: improprie; quia ex ſe ſunt omnino temporalia, atque in Commercio; verum ita dicuntur, quod rei inſerviunt ſpirituali, pro ſacri officii celebratione, & ſacramentorum adminiſtratione, aliiſve ſint inſtituta.

Commercium, quod in hujuſmodi bonis contingere poteſt, duplex eſt, vel directum prorſus, & utile transfertur dominium, vel utile dumtaxat; utrumque tamen ab Eccleſiæ, atque imperii legibus vetitum eſt. In Eccleſia prim. Concil. *Carth. IV. can.* 32. *an.* 398. non undique receptum; in imperio Leo *an.* 470. in Eccleſiæ tantum CP. patrimonio *l.* 14. *C. de SS. Eccl.* Anaſtaſius vero ſeculo V. ad univerſam urbis CP. diœceſim porrexit. In Italia Baſilius Odoacris præfectus *an.* 484.; Lex Baſilii cum a laica poteſtate condita eſſet a Symmacho in Synodo Rom. rejecta eſt, & ſancitum ne bona Eccleſiæ alienarentur. Canon Symmachi Rom. Eccleſiam obligabat; in ceteris Occidentis partibus adhuc libera erat Epiſcoporum de bonis Eccleſiæ diſpenſandi poteſtas, donec Juſtinia. generaliter interdixerit *Nov. VII.*

Verbum *alienatio*, contractum quo directum, & utile transfertur dominium, olim puto ſignificaſſe; deinde ſenſu juris rom. receptum eſt *l. ul. C. de reb. alien.*, Capit. *RR. Franc. lib.* 11. 29. *Nulla ſub Romana ditione conſtituta Eccleſia, vel Xenodochium, vel ptochotrophium, vel noſocomium, vel orpanotro-*

 phium,

Digitized by Google

phium, vel Monaſterium, tam Monachorum, quam ſanctimonialium. Archimandritam habens, vel Archimandritiſſam contra hæc agere præſumat. Ergo his omnibus non liceat alienare rem immobilem, ſive domum, ſive agrum, ſive hortum, ſive ruſticum mancipium, vel panes civiles, neque creditoribus ſpecialis hypothecæ titulo obligare. Alienationi autem verbum, contineat venditionem, donationem, permutationem, emphytheuſeos perpetuum contractum. Vetita igitur bonorum Eccleſiæ alienatione, excogitari ceperunt cauſſæ, quibus permitti poſſet, nempe utilitas, neceſſitas, majus commodum, & pietas: merito. Nam ratio legis fuit, ne Eccleſia damnum pateretur; igitur ubi ſilet damnum, ſilet lex, Adduen. *Explica. lib. II. cap.* 1., Bingha. *O. E. lib. V. cap. 6.*, Redoan. *de reb. Eccl. alien. cap.* 47. *q.* 19. *& ſeqq.*

Antequam feuda invenirentur, Eccleſia bona, jure allodii, precariæ, præſtariæ, libelli, vel emphyteuſis concedere ſolebat; inductis in imperio clientelis, quibus magnopere ipſa a Principibus ditata eſt, infeudationem tanquam utilitatis cauſſam, & neceſſitatis exiſtimavit. Barbarorum enim irruptiones, veterem militiam, Epiſcoporum ambitionem veras infeudationis cauſſas, atque argumenta agnoſco. Barbari, nempe Vandali, Gothi, Unni, Friſiones, Nortmanni, ceteri aſſiduis incurſionibus Monaſteriorum, & Eccleſiarum bona diripiebant. Arnulphus Flandriæ Marchio ut Nortmannis Eccleſiam devaſtantibus vi armata reniti poſſet, conſenſu R. Pontificis decimas in feudum accepit, quas, confecto bello, *an.* 961. Capellæ a ſe extructæ donavit apud Miræ. *in C. D. P. cap.* 34. *Cui Capellæ de ordinatione, & conſilio Epiſcoporum, quaſdam decimas, quas mihi, & prædeceſſoribus meis in Comitatu, ſeu Marchionatu Flandriæ, de terris cultis, & incultis Sanctiſſimi Patres Papæ Romani pro adjutorio expenſarum noſtrarum, & noſtrorum militum, pro expugnatione, aut reſiſtentia contra Vandalos, qui Flandriam, & alias terras vicinas cum Eccleſiis in ipſis conſtructis crudeliter, & damnabiliter devaſtabant, & incendio tradebant, in feudum perpetuum conceſſerunt.*

Vetus militia. Eccleſia enim non modo pro defenſione rerum ſuarum, ſed & pro ſubſidiis Regibus ſuppeditandis, præcipue ſub Pipino, Carolo M. aliiſque, certam militum copiam alebat, quibus bona ſua jure clientelari concedere cogebatur. Quæ conſuetudo in Anglia, Hiſpania, & Gallia diligentius viguit, quam

Ivo

Ivo Carnot., Pet. Damian. B. Fulbertus, D. Bernard. numquam improbarunt. Rothgerus Epiſcopus Leodienſis *an. 972. in tres æquas portiones prædia Eccleſiaſtica diviſit, quarum unam ſibi retinuit, alteram Eccleſiis, & Monaſteriis, & tertiam militibus, qui Eccleſiam armis protegerent, conceſſit*, inquit *Magnum Chron. Belg.* (*y*). Et Carnot. *ep.* 28. Epiſcopi enim & Abbates terras Eccleſiæ nobilibus largiebatur, præſtito fidei Sacramento, ut inter calamitoſa illa tempora ſingulis in ſingulos privatis digladiantibus bellis defenderent Thoma. *par.* II. *lib.* III. *cap.* 21. quæ uſurpatio, & procella concidente Caroli M. ſtirpe Occidenti imminuit. Hoc onus erat Prælatis, & Abbatibus non ſolum quia a Regibus feuda tenebant, ſed etiam bona ſua, in beneficium Vaſallis, qui *caſati* dicebantur, tradebat puta aliquam prædii partem, vel annuum reditum ex fundis, vel camera percipiendum, ut Reip., & religioni partes ſuas impenderent, Maiſt. *de Bon. Eccl. lib. III. cap.* 9.

Ambitio Epiſcoporum, & Abbatum; qui, poſtquam regaliis a Principibus affatim eſſent locupletati, Barones, Comites, & Valvaſinos de bonis ſuæ Eccleſiæ, & eorum, quæ ab iis tenebant, ſibi crearent. Henricus VI. Imp. *an.* 1196. apud Miræ. *Belg. diplo.* 64. *Nos itaque prædictum Comitatum* (velvæ) *cum omnibus ſuis pertinentiis imperiali clementia prædictæ Eccleſiæ Trajectenſi, & dilecto conſanguineo noſtro Balduino in perpetuum confirmamus. Ipſe vero Epiſcopus conſanguineo noſtro Henrico Duci Lotharingiæ in præſentia noſtra benigne conceſſit ſub eo tenore, ut idem Comitatus ad ejus heredem filium ſuum, vel filiam libere tranſeat,*

(y) Præbet & aliud exemplum Alb. Krantz. *lib. IV. Wand. cap.* 15. *quo etiam tempore in Eccleſia Raceburgenſi ordinatus eſt Epiſcopus Evermodus, præpoſitus de Magdeburgo translatus: deditque ei Comes Polaborum Henricus habitandam inſulam apud Eccleſiam, aſſignavitque trecentos manſos Eccleſiæ in perpetuum ſervituros: inſuper decimas integre permiſit Eccleſia. Pro dimidia vero accepit ab Epiſcopo beneficium; factus ei feudatarius, ut haberet Eccleſia ſuum defenſorem. Quod rerum novitas videbatur depoſcere.*

Digitized by Google

ſeat, *& integre*. Recte itaque Sixtin. *de Regal. lib. 1. cap. 4. n.* 128. *Præterea ita eorum dignitas, & poteſtas pedetenim crevit in iis, quæ regalia jura, regaleſque dignitates, & alia temporalia concernunt, ut non ſolum nobiles, ſed & Comites, ac Barones ab iis feuda habeant, & non deſunt Principes, qui a nonnullis eorum, de integris etiam comitatibus, ac baronatibus inveſtiti ſint. Talis eſt inter alios Epiſcopus Herbipolenſis, qui præter Comites, ac Barones, aliquot Principes ſeculares habet vaſallos, ex quibus etiam ſunt, qui Comitatus, ac Baronatus ab eo in feudum tenent. Sunt autem inter hos Epiſcopos Germaniæ ſeptem, Archiepiſcopi nimirum Moguntinus, Trevirenſis, Colonienſis, Magdenburgenſis, Saltzburgenſis, Bremenſis, & Rigenſis* (z). Abbates quoque, ut Fuldenſis, Prumenſis, Hirsfeldenſis, Campidonenſis, Stabulenſis, Corvejenſis, innumeris ſtipati comitibus, qui ab eorum Eccleſiis feuda recognoſcunt. Media enim ætate quiſque bona ſua, & jura ſicut quolibet contractu, ita in feudum dare poterat; nec lex erat, quæ ſubinfeudationem, ſeu retrofeuda prohiberet, ut jure etiam Longobardo cautum eſt; infra dicam. Hinc in Barbarorum legibus, & Capp. RR. Franc. *vaſſi*, *fidelis*, *caſati*, *hominis*, *vaſalli* Eccleſiæ crebra reperitur mentio. Et ſpreto Paſtoris, Antiſtitis, & Epiſcopi nomine, Prælati *Principes*, *Barones*, *Comites* dici cupiebant; quod Damiano, & Bleſenſi vehementer diſplicuit, *proleg. cap. VII. §. 26.*

Antiſtites regni noſtri bona ſuæ Eccleſiæ in feudum dediſſe nul-

(z) Et refert Magnum Chron. belg. Eccleſiæ Trajectenſis Vaſallos, *Vaſalli enim principales Eccleſiæ Trajectenſis, ut pote Joannes Dux Barbantiæ, Willelmus Comes Hollandiæ, & Raynaldus Comes Geldriæ deſtinaverunt oratores ad Romanam Curiam, devotiſſime ſupplicantes ut Joanni Præpoſito Cameracenſi provideretur de vacante pontificio*. Vindocinenſis Comes dicitur Eccleſiæ Carnotenſis *Cataneus hoc* eſt Capitaneus, quia dictæ Eccleſiæ erat Vicedominus, quod nobiliſſimum ejuſdem Eccleſiaſtici feudi genus erat Ivo Carnot. *ep. 156. ed. juret.*, quæ feuda ſummo in honore ſemper fuere, non ſecus a Summo Principe eſſent conceſſa, Janus a Coſta *ad cap. V. lib. II. decr. tit.* 1.

Digitized by Google

nullum in chartis monumentum inveni, excepto Monaſterio Montis Caſini, *quod olim conſuevit in feudum dare caſtra, & & ſimilia, ea formula, ut caſtrum illud inveſtitus non recognoſceret ab ullo homine, niſi abbate Caſinenſi. Erat quippe Supremus Dominus*, inquit, Abb. de Nuce *ad lib. III. Chron. Leon. Oſtien. cap.* 52. ubi infeudationis exemplum extat, & alterum *in cap.* 60. *Hic Abbas* (Deſiderius) *conceſſit Landoni Comiti Trajectenſi quartam partem de eodem Comitatu Trajectino, quam videlicet Marinus Comes, ſicut ſupra diximus, Sancto Benedicto cum Obdulnna uxore ſua tradiderat &c., in eo tenore, ut inde ubicumque vocatus fuiſſet, ſupradicto Abbati, ac ejus ſucceſſoribus fideliter ſerviret, poſt mortem vero ſuam* (quia tunc feuda erant precaria) *omnia hæc in jus Monaſterii noſtri abſque omni contradictione redirent.* Lege enim Normannorum, & Svevorum cautum eſt, neminem poſſe bona ſua in beneficium inveſtire, niſi ſolus Rex, idcirco mihi videtur, Prælatis jus non fuiſſe infeudationis, ex qua juriſdictio, ſervitiorum obligatio, & quæ ſunt, deſcendunt; at ſolus Rex eſt Dominus perſonarum, nec quis ſine ejus licentia perſonalibus, aut realibus ſe poteſt obligare ſervitiis Conſt. *quia frequentat lib. III. 9.*, Conſt. *cum univerſis lib. III. 7.*, Carolus II. *in Cap. prædeceſſorum noſtrorum*. Neque apud nos Lex Longob. recepta eſt, qua cuique datum erat bona ſua in feudum concedere. Fatendum nihilominus eſt, poſſe Prælatos bona Eccleſiæ in feudum ruſticum, planum, & de Tabula, ex quo non oritur juriſdictio, ſed annua præſtatio, ſeu adoha, quem inveſtire, *ut lib. 1. tit. V. §. 15.*

Quemadmodum in omni bonorum Eccleſiæ alienatione ſolemnitates a jure inductæ requiruntur, ſive utile, ſive directum, ſive utrumque transfatur dominium, ita & in infeudatione, quæ ſub alienationis nomine merito continetur. Solemnitas quadruplex eſt; prima, Prælatus ſimul cum Capitulo, ſeu Clero cognoſcere dedeat, an expediat rem alienare; ſecunda, Capitulum conſentire oportet expreſſe, ſaltem major, ejuſque ſanior pars; tertia, ſubſcriptio capituli; aut Notarii, ſi ita ſuadeat conſuetudo, & conſenſus Advocati Eccleſiæ, ut in *proleg. cap. VI. §. 40.* dictum eſt, & docet Ludov. Imp. apud Baluz. *miſcel. to. V. lib. 5. p.* 403., *non enim licet Epiſcopo feudum aliquod ſine noſtro* (advocato) *& capituli ſui conſenſu de rebus Eccleſiæ alicui præbere.* Quarta ſuperioris auctoritas, *cap. VIII. de reb. Eccl. alien.*: *cap.* 1.

2. &

2. & 5. *de his, quæ fiunt a Prel. ſin. Conſ. Cap.* In alienatione rerum Monaſterii, Capituli, Abbatis, & Epiſcopi opus eſt conſenſu *can.* 41. *XII. q.* 2. *cau.* 40. *XVII. q.* 4. And. Vallen. *in parat. decret. de reb. Eccl. alien.* §. 3. *n.* 2., Bruckne. *de Doman. reg. German. cap.* 9. *n.* 60. Fagnan. *ad cap.* 5. *eo. n.* 10. Jure noviſſimo ex Pauli II. *extrav. ambitioſæ an.* 1467. calend. Martii, omnis bonorum Eccleſiæ alienatio, omnis infeudatio, ſine Rom. Pontificis conſenſu gravi ſub pœna prohibita eſt. Hæc Pauli Sanctio cunctis fere gentium moribus recepta non eſt, & ob exceptiones prorſus enervata, Vallen. *loc. cit.* Neque Conſtitutio Urbani VIII. *an.* 1625. ſervatur, qua Eccleſiaſtici Civitates, caſtra, terras, villas, arces, bona juriſdictionalia, in feudum, vel emphyteuſim concedere, aut ultra triennium locare prohibentur, etſi ſedis Apoſt. privilegium, vel conſuetudo, cujus neſcitur memoria, adſuerit, apud Tamburin. *de jur. Abbat. to.* 11. *diſput. XIV. q.* 4. *n.* 6. Boehmer. *ad tit. decr. de feud.* §. 43., Ringl. *de Dom. German. lib.* 11. *th.* 18.

Hac ſolemnitate a jure quæſita non indigemus, ſi Prælatus velit terrulas, vel vineolas ſuæ Eccleſiæ infeudare *can.* 53. *XII. q.* 2., cui nunquam Trident. *in cap. XI. ſeſſ.* 25. derogaſſe ſacra ſtatuit Congregatio, Fagna. *loc. cit. n.* 25., Molin. *de Juſt. & Jur. diſput.* 468. *n.* 9. modo neceſſitas, & utilitas cogat. Aut ſi caſtrum, villam, vel prædium ſolemniter infeudavit, poſtea morte Vaſalli, aut lineæ interitu, aut felonia ad Eccleſiam, & reverſum, eique apertum, poteſt idem Prælatus, & Succeſſor ſive ſolemnitatibus integrum infeudare, quamvis juraverit, ſe inconſulto R. Pontifice, de rebus ſuæ Eccleſiæ novam non peracturum inveſtituram *cap.* 2. *de feud.* (quod unicum eſt in jure cano.) Neque obſtat clauſula *in d. cap.* 2. *Si videris expedire*, quæ conſenſum capituli, aliaſve ſolemnitates videtur requirere. Pontifex enim monet Archiepiſcopum Mediolanenſem, cui reſcribit, ut non temere, ſed inſpecta rei conditione infeudet; & refert Feudiſta *in* 11. *f.* 35., 1. *f.* 6. Sed cur ita. Nam hæc infeudatio non continetur ſub nomine alienationis, verum antiquæ alienationis, atque infeudationis executio, & renovatio eſt: nec non res, quæ ſemel evaſit alienabilis, ſemper talis remanet, nec novum inſtituit feudum, ſed quod erat feudum, mortuo vaſallo, ad ſe reverſum, alteri confert. Exemplum erit Pupillus, cui licet novum feudum concedere ſine tutoris au-

Digitized by Google

men antiquum renovare non prohibetur, 11.*f.* 3. *pr. cap.* 5. *de Donat.* Precaria, libellus, præſtaria, emphyteuſis de Eccleſiæ bonis fieri nequeunt, niſi ſolemnitate; at in earum renovatione, ea non requiritur, quia renovatio non eſt novus contractus, ſatiſque erit primi contractus ſolemnitas, quum ſaepe nova induci lex vetet, vetera toleret *cap.* 7. *de judæis*, Bruckne. *loc. cit.*, Ringl. *de Dom. Germ. lib.* 2, *th.* 17., Rulner. *diſſert. de Bonis doman. diſp.* 5. *n.* 4., Duaren. *cap.* 5. *n.* 4. *de feud.*, Weſembec. *cap.* 7. *n.* 5., Roſent. *cap.* 6. 21., Molin. *diſp.* 466. *n.* 4. Niſi aliud jubeat Conſuetudo, ut Epiſcopus Monaſterienſis in Weſtphalia, jurat, ſine conſenſu capituli feuda majora ſuæ Eccleſiæ aperta, in beneficium denuo non daturum Roſent. *loc. cit.* 22., Petr. Schultzius *diſſert. de feudo Gratiæ cap.* 3. §. 2.

Diſplicet proinde Scraderi *P.* 4. *cap.* 2. *n.* 20., Zaſii *P.* 5. *n.* 59. ceterorum theſis, quæ, inquit, tunc Prælatis jus eſſe feuda ſibi aperta iterum infeudandi, ſi rei eccleſiaſticæ conditio, mutata non fuerit, ut ſi res inculta olim in feudum conceſſa, deinde cultior evaſit, & Eccleſiæ aperitur, nequit rurſus infeudari, niſi ſolemnitate. Nam aliud eſt vitium actus, aliud Prælati; actus ut corruat, oportet deeſſe principium, quod actui tribuit validitatem. Hoc principium eſt facultas a jure conceſſa Prælato reinfeudandi; neque jus diſtinguit, nec excipit, Groti. *de J. B. & P. lib.* 2. *cap.* 5. §. 10. Vitium Prælati eſt, peccatum, quod contrahit, dum ſuæ Eccleſiæ utilitati non conſuluit; infeudatio autem valida cenſetur: non ſemper quod illicite fit, irritum eſt.

Neque opus eſt ſolemnitate, ſi res Eccleſiæ infeudari ſoleat, at quæſitum eſt, quando res dicatur ſolita inveſtiri? Ego, prætermiſſa diſputatione, diſtinguo: Si legitime initio facta fuerit infeudatio, & poſtea, quamvis momento, Eccleſiæ aperiatur, Prælatus ſtatim conſtituitur in poſſeſſione infeudandi, nec aliquis annorum lapſus inſpicitur. Feudiſta enim *in d.* 2. *f.* 35., & Innoc. III. *in d. cap.* 2. nihil aliud deſiderant, niſi re legitime inveſtita, Prælatus jure iterum inveſtire valeat, & recte; quum non agatur de alienatione, ſed veteris contractus executione, Ringl. *loc. cit.*, Boehmer. *tit. decret. de feud.* §. 37., Andr. *in* 2. *f.* 35., Zaſi. *P.* 5. *n.* 52., Gudelin. *de jure feud. par.* 2. *cap.* 1. §. 6. Scrad. *P.* 4. *cap.* 2. *n.* 25. Aut conſtat de prima conceſſione, ejuſque titulo, qui aliquo laboret defectu, tunc etſi, replicatis vicibus, infeudatio facta fuerit, Prælatus nequit concedere ſine

Digitized by Google

ſolemnitate, nec res infeudari ſolita appellatur, quia conſuetudo non poteſt ſolemnitates a jure canonico requiſitas vel tollere, vel diminuere, niſi tanti temporis ſit præſcriptio, quæ hominem ſuperet memoriam *cap.* 8. *de ſent. & re jud.*, cum ea omne removeat impedimentum, & vim privilegii habeat *cap.* 1. *de Præſcrip. in VI.*, *cap.* 26. §. *præterea de V. S.*, *l.* 1. §. *fin.*, *l.* 2. *D. de Aqua pluv. arcen.* Aut non conſtat de ſolemnitate, tunc ut res dicatur ſolita infeudari antequam ad Eccleſiam redeat, oportet 40. an. lapſi ſint, quia hoc temporis lapſu ſervata præſumitur ſolemnitas, Andr. *in* 1. *f.* 1. *n.* 4. Scrad. *loc. cit. n.* 31., Hannet *lib.* 1. *cap.* 5.

Tranſit Innoc. III. *in d. cap.* 2. *de feud.* ad aliud dubium, quod Archiepiſcopus Mediol. propoſuit, nempe ut Prælatus poſſit etiam ſuis agnatis, & conſanguineis reinfeudare, vel cuidam potentiori viro, ſi feudum revocare difficile fuerit, modo fraus, dolus malus & ambitio abeat, ſicut & beneficia conferre *cap.* 25. & 29. *de præben. cap.* 2. *de arbitr.*, *cap.* 12. *de off. deleg.* Duaren. *de feud. cap.* 6. *n.* 5., Alvero. *in* 1. *f.* 26. *n.* 7. Denique in hac infeudandi conſuetudine cavendum, ne Eccleſiæ utilitas lædatur, videlicet ſi tempore primæ infeudationis Eccleſia erat locuples, nunc devolutionis eſt inops, Prælatus non poteſt iterum concedere, ſecus delinquit, licet infeudatio ſit valida. Neque aliis faciunda conditionibus, puta prima conceſſio erat cum clauſula, *cum heredibus maſculis tantum*, ipſe nequit reinfeudare *cum maſculis*, & *feminis* (a), aut ſi devolutio impediretur, quum Univerſitatem, vel Monaſterium, quæ dicuntur manus mortuæ, inveſtiat vel ſi penſionem, & ſervitium diminueret, Redoa. *de reb. Eccl. non alien. quæſt.* 51. *cap.* 6. *num.* 15. & *cap.* 5. *qu.* 54. Alvero. *in* 1. *f.* 1. §. 1. *n.* 17.

Definit autem res dici ſolita infeudari, ſi devoluto feudo ad Eccleſiam, Prælatus non illud infeudat, ſed menſæ applicat; quod

---

(a) Hoc inveſtituræ incrementum corruit, non vero tota inveſtitura, hic feminæ non ſuccedunt, quum feminarum vocatio jus maſculis quæſitum non auferat. Et regula juris eſt *utile non debet per inutile vitiari cap.* 37. *de R. J. in VI. l.* 21. §. 1. *C de Teſtam.*

Digitized by Google

quod vocatur *incorporatio Dominii* Eccleſiæ; eaque duplex eſt, expreſſa, & tacita. Prima, dum Prælatus expreſſe declarat, rem illam morte Vaſalli, vel Felonia, vel lineæ interitu, Eccleſiæ apertam, nolle amplius infeudare. Tacita, ſi ipſe cenſualibus Eccleſiæ libris ea inſcribat, fructuſque percipiat, Choppin. *de Doman. Franci. lib.* 1. *tit.* 2. §. 10., Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *caſ.* 433. *n.* 7. *&* 8., Sonsbec. *P.* 8. *n.* 8. Hannet. *lib.* 1. *cap.* 1. Rem ita Eccleſiæ incorporatam Prælatus non poteſt ſine ſolemnitate infeudare, quum jam de menſa & demanio Eccleſiæ evaſerit. Aliter ſenſiendum, ſi, aperto feudo, commoditatem expectaverit: Etenim etſi Prælatus apud ſe retinuerit, nihilominus non dicitur Eccleſiaſtici domanii naturam aſſumpſiſſe; idcirco ſine ſolemnitate iterum valet infeudare, quum non deſinat dici res ſolita infeudari, Bruckne. *de Dom. Reg. Germ. cap.* 10. *n.* 3., Gudelin. *de jure feud. par.* 2. *cap.* 1. *n.* 9.

Ex his conſtat bona Eccleſiæ vel eſſe de menſa, Domanio, & dote, vel communia. Bonorum de menſa Dominium eſt penes Eccleſiam particularem, uſus, & adminiſtratio penes caput ſeu Epiſcopum; uſus tantum apud eos, qui divina miniſtrant, *can.* 6. 16. *q.* 3. Bona communia reſident penes Epiſcopum, & Capitulum. In infeudatione bonorum de menſa, quæ ſolita ſunt infeudari ſatis erit Epiſcopi conſenſus; in bonis vero communibus requiritur & Epiſcopi, & Capituli conſenſus, quia de re communi, damno, vel lucro agitur Roſent. *cap.* 4. 21., Strad. *P.* 4. *cap.* 2. *n.* 17., Bruckn. *loc. cit.* Sede autem vacante poterit Capitulum feuda Eccleſiæ aperta reinfeudare, quia licet, Capitulum, ſede vacante, nihil innovare debeat, hoc eſt Eccleſiæ, vel Prælati defuncti ſucceſſori nocere *cap.* 1. *Ne ſed. vacan.*, reinfeudatio tamen non dicitur innovatio; & jus defuncti Epiſcopi accreſcit Capitulo; ſicut collatio præbendæ ad Epiſcopum & Capitulum ſimul ſpectans, mortuo Epiſcopo, conferre valet Capitulum *cap. un. Ne ſede vacan. in* 6.

Digitized by Google

§. XIX.

De Decimis infeudatis.

ALtera bonorum Eccleſiæ ſpecies, quæ in feudum dari poſſunt, dicuntur *decimæ*, quarum origo ex lege naturæ, & divina deſcendit, ad Chriſti deinde Eccleſiam propagata; quum Chriſtus, ſi aſſidue apud nos manſiſſet, a nobis alendus erat; miniſtros reliquit, igitur ipſi in ejus jus ſucceſſerunt, hoc eſt ad alimenta tantum petenda, ad vitæ ſuſtentationem. Hinc alimentorum adminiſtratio jure naturali, & divino nititur, non vero decimæ partis determinatio, quæ eſt juris poſitivi. Nihilominus ad ſeculum uſque IV. generaliter adhuc in Eccleſia ſtatutum non erat, Fideles ad earum ſolutionem teneri, imo ſub Juſtiniano adhuc conſilii, non præcepti æſtimabantur, ut ex *Nov.* 3. in Gallia an. 585. earum ſtatuta eſt obligatio, Baſnag. *diſſer.* 5. *de decim.* ne adoleſcens Chriſti religio, ejuſque Sponſa Eccleſia tributum ſolvere videretur. Sed ex continuis Patrum homiliis Fidelium devotio in obligationem migravit, & qui ſolvere recuſaret, anathemati ſubjiceretur. Imo quidquid ſub cibi, & eſus nomine continebatur, a decima immune non erat; & regulam juris Thalmudici Patres fere retinuerunt, nempe, *quicquid in eſcam cadit, cuſtoditur, & incrementum babet e terra ad decimas ſolvendas tenetur cap.* 1. *tit. de Decim. in Miſchna, ubi R. Bartbenor.*, Amama. & Scalig. *tract. de Decim.*, ex oleo, vino, frumento, pomis, fructibus, leguminibus, fœno, lacte, fœtu, piſcibus, in avibus, lino, paſcuis, molendinorum reditu, domorum penſionibus, apum fructibus, ut *cit. Decr. de Decim.*, & *Can.* 16. *q.* 7. (*b*), Concord. inter Monach. Turon. *apud Baluzi. in miſcel. tom.* 5. *p.* 373.

Hanc

(b) Hinc non paucæ populorum ſeditiones, tumultus, & bella, qui huic ſeveræ decimarum exactioni ſubjicere ſe nolebant, ut Holſati, Dani, Scanii, ſub Kanuto qui idcirco interfectus eſt, & Abſolone; ſicut in borealibus populis recenti præſertim imbutis Chriſti religione Krantz. *lib.* 4. *Wand. cap.* 39., *lib.* 4. *Daniæ cap.* 35., *lib.* 1. *Norvag. in præf.*

Digitized by Google

Hanc copioſam decimarum ſolutionem primo communis Reipubl. neceſſitas, & ſalus; ſecundo Laicorum ambitio Clericis inhibuit, & depreſſit. Atque, uti fama eſt, Carolus Martellus ſeculo *VIII.* dominans, primus eccleſiarum decimas ſuis militibus, in feudum conceſſit; eumque Comites, & Duces in ſuis Dynaſtiis imitati ſunt, qui baronibus eaſdem conferebant. Nam Carolus, cum adverſus Saracenos, Gothos, Radbodum Friſonum Regem, Raginfruidum, Hilpricum, Saxones, alioſque idololatras bella gereret, exhauſtis ærarii facultatibus jure poſtliminii militibus infeudavit, hinc *decimæ infeudatæ* vocantur, de quibus crebro teſtatur Hiſtoria, Magnum *Chron. belig.*, Gofred. Viterbien. *in Chron. par.*16. *an.*717. *Sua prudentia omnes Gallias, & Hiſpanias vicit, & ſubjugavit, & Eccleſiam Romanam, atque Italiam a Gothis liberavit. Et ipſe primus decimas Eccleſiarum conſenſu papæ Zachariæ militibus dedit in feudum pro Eccleſiæ Dei neceſſitate* (*c*), Nat. Alex. *H. E. to.* 12. *ſecul. VIII. cap.*7. *art.* 4.

Non tamen hæc eſt unica infeudationis decimarum origo, & cauſſa, ſed ſæpe Epiſcoporum *voluntas*, qui militibus eas attribuebant ad Eccleſiæ tuitionem paratis, & ut armatam pro regio exercitu cohortem haberent, Thomaſ. *de V. & N. E. D. P. III. lib.* 1. *cap.*7. *n.* 15. ut Otto X. Abbas Monaſterii Reſtedenſis Comitum de Oldenborge, & Brockhuſen progenitoribus decimas dedit *in feudum, ut ipſi & eorum heredes Monaſterium defenderent*, Wolter. *in Chron. Bremen. Ambitio* & Laicorum, qui non modo decimas, ſed omnia Eccleſiarum, & Monaſteriorum bona, reſervata presbyteris canonica portione, diripiebant; quod magnopere S. Abo Floriacen. in Apolog. ad Hugonem, ejuſque filium Robertum Fran-

(c) Alb. Krantz. *lib.*4. *Sueciæ* in fi. *Sed proceres viribus exhauſti, quæruntur, per crebra, & longinqua, diuturnaque bella ita ſe exhauſtos; ut niſi inſigni aliqua principis providentia adjuverentur, actum de illis eſſe; tantum æris alieni conflatum, ut ſuæ facultatibus nullus eſſet exitus. Motum Carolum ferunt ſuaſiſſe pontificibus, ſinerent cler. decimam, quamdiu bella adverſus Chriſti hoſtes, gererentur, proceribus. Illum, quam Sancta juraſſe, ſi viveret, magnifice omnia Clero repenſurum.*

Digitized by Google

Francorum Reges deplorat. Quod vitium in univerſa ſerpſit Europa, ut infrà dicam. *Abuſus* demum decimarum; nam Holſati Lubecenſi Epiſcopo decimas ideo ſolvere recuſabant. *Præterea & hoc adiecerunt (non multum a veritate aberrantes) quod omnes pene decimæ in luxus ceſſerint hominum ſecularium. Nam Henricus Polaborum Comes dimidium decimæ accepit ab Eccleſia in beneficium, noſtri vocant feudum*, ſcribit Krantz. *lib. IV. Wandal. cap.39.*

Ad has recuperandas a Conciliis ſeculo XI. & XII. vehementer laboratum eſt, exhortationibus, diris, & non raro anathemate ut Eccleſiis reſtituerentur; Nonnulli conſcientia moti reſtituebant. Fulco Dominus de Fanmars Monaſterio S. Salvii juxta Valencias, conſenſu Balduini Flandriæ, & Hannoniæ Comitis *an.* 1196. reſignavit, Miræ. *in Supplem. cap.*42. Hugo de Petraponte Leodien. Epiſcopus *an.* 1228. confirmat Abbatiæ Parchenſi poſſeſſionem altarium, & decimarum de Rode, & Werchter apud Miræ. *loc. cit. cap.*68. *Cum Arnoldus Miles de Rode juxta Aerſchot, medietatem juriſpatronatus, & dimidiam partem decimæ, tum majoris, tum minoris, excepta portione inveſtiti ejuſdem loci, quam in feudum ab Henrico illuſtri duce Lotharingiæ, in cujus allodio fundata eſt dicta Eccleſia, teneret, prædictus Arnoldus miles animæ ſuæ ſaluti, & anteceſſorum ſuorum volens devotius providere, dictam partem juriſpatronatus, & partem majoris, & minoris decimæ prælibatæ ad opus veſtrum in manus illuſtris Ducis ſupradicti, ſicut nobis per inſtrumentum ſuum proprio ſigillo munitum, plenius eluceſcit, in Eleemoſynam perpetuam reportando affectavit.*

Godefridus Barbatus Lotharingiæ Dux, & Marchio Antuerpienſis *an.* 1124. apud Miræ. *donat. piar. cap.* 78. Antuerpienſi Canonicorum collegio tradidit *decimam duorum Manipulorum Eccleſiæ Archangeli Michaelis, quam Dominus, & prædeceſſor meus beatæ memoriæ Dux Godefridus, & poſtea rex Jeroſolimitanorum ab Imperatore libere in feudo tenuit, hortatu Fidelium virorum tam laicorum, quam clericorum, præcipue inſtinctu divini amoris præfatæ Eccleſiæ ad uſus canonicorum ibi ſervientium contulit &c.* Alia exempla miniſtrat idem Miræ. *loc. cit. cap.* 34., & *in ſupplem. cap.* 90. 190., & paſſim.

In hac decimarum reſtitutione dupliciter delinquebatur. Etenim Nobiles nolebant omnino reddere, ſed quaſdam priſci dominii reliquias retinere, videlicet tertiam partem decimarum, ob-

Digitized by Google

oblationum, mortuariorum; imo & quandam hominii, & obſequii imaginem a presbyteris præſtandam. Hæc omnia damnavit Concil. Claromon. ſub Urban. II. an. 1095., & Rothomagen. ſequenti anno. Alii quamvis reſtituere parati eſſent, nolebant tamen Eccleſias, a quibus uſurpaverant, reddere, ſed Monaſteriis. Quæ donationes in Monaſteria collatæ diſplicebant Epiſcopis, quum bona ſua ad alios transferri iniquum putarent; ſed eorum minæ, & exhortationes nihil proficerent, ſancitum a Concil. Melfitano ſub Urba. II. an. 1090. ne ullus laicus decimas ſine conſenſu Epiſcopi, vel Rom. Pontificis conceſſione, Monaſteriis, vel canonicis offerret, P. de Marca *ad Can. 7. Concil. Claromon.*, Waneſp. *P. 2. tit. 35. cap. 5.*, Natal. Alex. *H. E. to. 14. ſeculo XI. & XII. cap. 1. art. 13.* Alterum crimen erat, quia ex hac Epiſcopalis conſenſus neceſſitate, præſules turpem lucri occaſionem arripuerunt, ut Monachi vicarium, (qui *perſona* dicebatur) ad miniſteria peragenda ſubſtituerent, ipſique reditus perciperent, alimentis Vicario præbitis, hac lege, ut defuncto Vicario, non poſſent alterum ſubſtituere, niſi Epiſcopo certa ſolveretur pecuniæ quantitas, quæ *altarium redemptio* dicta eſt, ut explicat Abb. Vindecin. *lib. 3. ep. 12.* ubi Sirmund., qui Claromontano interfuit Concilio. Hæc pecuniæ ſolutio inſtar feudorum inducta videtur, dum pro nova inveſtitura quid Seniori in ſignum dominii, *relevium* vulgo, penditur. Sed hanc Urban. II. in Concil. Clarom. an. 1095. uti ſimonicam damnavit, Vindoc. *loc. cit.* Gonſal. *ad cap. 1. de Capel. Monach.* (d).

Interdicta hac altarium redemptione, Epiſcopi Eccleſias ſub annuo cenſu, tamquam prædia conferebant. Lambertus Epiſcopus Atrebatenſis an. 1097. apud Miræ. *diplom. belp. lib. 1. cap. 43.* confirmat fundationem, & dotationem Abbatiæ Montis S. Eligii, quæ eſt Canonicorum regularium, *libertatem quoque Eccleſiæ*,

(d) Cui parere videtur Liethard. Camera. Epiſcopus, qui an. 1134. Donat Canonicis Eccleſiæ S. Gudilæ Bruxellenſis Altare apud Miræ. *Cod. donat. pia. to. 1. cap. 89. altare ſiquidem quod eſt in Melibruk omni perſonatu liberum tradidi Bucſellæ in oratorio S. Michaelis Archangeli, & glorioſæ Virginis Gudilæ quieſcentis ibidem, abſque perſonarum mutatione, in perpetuum pro mea ſalute.*

Digitized by Google

ſiæ, *& poſſeſſionum ſuarum denuo confirmavit*, *& altare de Huchin ea conditione ibi dedit, ut ſingulis annis in feſtivitate S. Remigii*, *XII. denarios ſolvat*, *& deinceps ab omni redemptione liberum faciat*. *Altare quoque de Rodricourt ita dedit*, *ut ſine perſona* (hoc eſt Vicario) *permaneat*. Henricus I. Barbantiæ, & Lotharingiæ Dux confirmat ceſſionem altaris Anderlechtenſis facta a Joanne Camera. Epiſcopo an. 1195. apud Miræ. *in Supple. P.3. cap.90. Sæpe fit*, *ut Reipublicæ geſtæ tranquillitatem longitudo temporis præbeat*. *Ea propter in publicam prodire volumus notitiam*, *quod Joannes Dei gratia Cameracenſis Præpoſitus*, *Decanus*, *& Univerſum*, *quod cum eis eſt Capitulum altare de Anderlecht ibidem reſidentibus*, *& Domino ſervientibus ſub annua penſione 4. librarum Cameracenſis monetæ ad petitionem noſtram contulerint perpetim poſſidendum*. Et ita paſſim. Quod etiam vetitum fuit.

Aliquando Prælati ſpe recuperandi deſtituti eas infeudabant laicis; Chron. Lubecen. de Theodorico Lubecenſi Epiſcopo narrat, *Iſte*, *cum Dominus de Mekelenborch*, *deficientibus Slavis in inſula Pole*, *Theutonicos Colonos colligeret*, *& illos Theutonicos ne decimam debitam Epiſcopo ſolverent*, *pertinaciter defenſaret*, *conſiderans tutum non eſſe*, *cum eo qui haberet ſociam multitudinem*, *contendere*, *cedendo potius in parte*, *ut reliquam partem*, *in pace obtineret*, *de conſilio Epiſcopi Suerinenſis*, *& Capituli ſui decimarum proprietatem dicto principi in feudum conceſſit*. Non raro a laicis emebant, ut Otto Abbas Raſtedenſis Monaſterii a Militibus de Lunenburge, & a comitibus de Oldenborge emit Wolter. *loc. cit.*

Quamquam Concilia undique decimas infeudatas prohiberent, & contra decimas etiam allodiales inveherent, nihilominus laici reſtituere renuebant, donec Innoc. III. in Concil. Later. *IV. an.* 1215. deſierit eas improbare, & quadam decretali, quæ refertur *in cap.* 25. *de Decimis* decernit decimas novalium non pertinere ad Nobilem, qui decimas in feudum tenet; eaſdem *in cap.* 7. *de his*, *quæ fi. a Præl.* adprobat. Nam Innocentius, abjecta ſpe recuperandi conſultius exiſtimavit, iis dimitti; hac tamen lege, ut inſpecta decimarum quantitate, obſequia, atque onera, de quibus *lib.*3. dicam, Eccleſiis præſtarent. Legitima itaque decimarum infeudatarum poſſeſſio potius Innocentio III., quam Alex. III. adſcribenda. Alexander enim in

Digitized by Google

in Concil. Later. *III. an.* 1179. antiquis decretis innixus ſtatuit, *Ne laici decimas cum animarum ſuarum periculo detinentes, in alios laicos poſſint aliquo modo transferre cap.* 29. *de Decim.* Poſt Innocentium III. Concilia ſe abſtinuerunt a repetendis decimis, quas Nobiles, & Principes in feudum tenebant Thomaſin. *loc. cit. num.* 11. *&* 13. Hodie demum quiſque decimas jure feudi, præſertim ante Concilium Latera. III. legitime poſſidet, ad heredes tranſmittit; & in Gallia *non eſt neceſſarius novus Eccleſiæ conſenſus, ut laici de decimis infeudatis, prout ſibi placuerit diſponant: quia Eccleſiæ conniventia ab antiquo factum eſt, ut decretales mox laudatæ* (ſcilicet *cap.* 7. *de his quæ fi. a præla. cap.* 2, *de feud.*) *vim in Gallia nunquam haberent; in quibus decimæ infeodatæ omnibus omnium commerciorum legibus ſubjiciuntur, venditionibus, pignorationibus, donationibus, dotibus, tranſactionibus, compromiſſis: & ad forum civile omnino ſpectant*, inquit Nat. Alex. *H. E. ſecul. XI, & XII. Diſſert. IX. ar.* 5. Præterea hodie conſenſu Pontificis a Regibus nonnullis decimæ poſſidentur, ut Regnum Hiſpaniæ, Granatæ, Valentiæ, Aragoniæ, cetera Barbol. *Jur. Eccl. lib.* 3. *cap.* 26. §. 3. *n.* 21., late Gonl. *ad cap.* 19. *de Deci.*, Redoan. *de reb. Eccl. alien. cap.* 1. *qu.* 63. §. 5. Epiſto. Capituli Valenti. ad Archiepiſcopos Narbon., & Araletenſ. *apud Balut. tom.* 4. *Miſcel. lib.* 4. *p.* 501.

§. XX.

De Rebus corporalibus, & incorporalibus.

TErtiam aggredior rerum diviſionem, quæ æque rebus Eccleſiaſticis, ac humanis. ſeu ſecularibus competit; videlicet in corporales, atque incorporales. Corporalis eſt, quæ ſui natura, tangi, & videri poteſt, ut fundus, territorium, ſimilia; vel ut ſtoa definit, *quod agit, aut patitur, corpus eſt*. Incorporalis eſt, quæ tangi, & videri nequit, ſed in jure conſiſtit, ſola animi cogitatione percipitur, ut obligatio, hereditas, actio, ſervitus, & quæ ſunt, Caj. *Inſt.* 11. *tit.* 1. §. 2. Tulli. *lib.* 111. *Topic.*

Res corporalis, aut immobilis eſt, aut mobilis, aut ſe movens. Immobilis vocatur, quicquid vi humana de uno loco ad alium moveri non poteſt, uti prædium, & omne, quod in eo ædificatum

 eſt

eſt *l.* 3. §. 15. *D. de vi*, *& vi arm.* Hæc rei qualitas vel a natura, vel ab arte, acceſſione, vel a deſtinatione oritur. A natura nempe fundus, ſilva, hortus, nemora, inſulæ. Arte, ut ædificium, domus, molendinum ſolo adfixum. Acceſſione, videlicet dolia in humo defoſſa, torcularia, ſervi, coloni adſcriptitii, fructus pendentes *l. fin.* §. 6. *D. quæ in fraud. Cred.* Zaſi. *Antinom. par.* 2. *n.* 6. Deſtinatione, ſi quid ad prædium perpetuo fuerit deſtinatum, ut in eo maneat, ut inſtrumenta, machinæ, & cetera, Struv. *S. J. f. cap. V. A.* 1., Connan. *comm.* III. 2. *in fi.* Sichard. *ad l.* 3. §. *bis illud C. de ſecund. Nupt. n.* 3., P. Greg. *ſynt.* 1. *cap.* 9. *n.* 6., Koenig. *Diſſert. de Differ. feud. hered. & ea pac.* §. 17., Paul. Voet *tract. de Natu. rer. mobil.*, *& immob. cap. IV.* Mancipia non modo jus Rom., ſed barbarorum, & canonicum inter res immobiles recenſuit *l.* 2. *&* 7. *C. de Agric.*, Maiſtr. *lib.* III. *de Bon. Eccl. cap.* 1. *& ſeq.*, a prædiis diſcedere non poterant, nec prædium ſine iis vendi, nec legari *l.* 112. *D. de leg.* 1. *l. un. C. de Colo. Palæſt. l. un. C. de Colo. Thracen. l. un. C. de Colo. Illyr.* Ejuſdem fere conditionis ſunt Coloni in Avernia, Burgundia, Germania, Belgia, & Polonia Perez *ad tit. C. de Agricо. n.* 31., Angel. *de Reb. Hanſeat. tract.* 11. *cap. IV.* §. 3.

Acceſſione annui reditus inter immobilia numerantur *Clement. Exivi. de V. S. l.* 14. *C. de SS. Eccl.*, 11. *f.* 1. §. *ſciendum.*, Alciat. *ad l.* 77. *D. de V. S.*, Stryk. *to.* 11. *diſp.* 22. *cap. XI. n.* 6., ſicut omnia jura, quæ in noſtro patrimonio ſunt, aut eſſe ſolent, ut jus pedagii, decimarum, juriſdictio, canon ex agris emphyteuticis, penſio ex dignitatibus, aut officiis hereditariis, laudimia, venatio, piſcatio, omniſque fodinarum reditus, penſio ſeu cenſus, qui ex ſolo percipitur, quem Varro *locarium* vocat, Symmach. *lib. IV. ep.* 51. *Quod homo tennis, & nunc labe patrimonii graviter exhauſtus, paterni ſolarii æſtimationem jubetur exſolvere*, *l.* 15. *D. qui potio. in pign.*, Juſtin. *lib. XVIII. Hiſt.*, Voet *ad tit. D. de R. D. n.* 23. Giphan. *jur. feud. diſput.* III. *n.* 42., Chriſtin. *ad LL. Melchin. tit. VII. art.* 8. *n.* 6., Gail. F1. *ob.* 10. *n.* 7., & hæc dicuntur ſolo cohærere.

Animadvertendum vero eſt, annuos reditus duplicis eſſe generis; perſonales, & reales. Primi conſiſtunt in mera perſonarum obligatione, ut uſura, ex ſtipulatione debita, reditus ex fundo promiſſus *l. fin.* §. 1. *D. de contrab. empt.* Aut ſi non in perpetuum, nec ad longum tempus, ſed ad modicum fuerint con-

conſtituti, quamvis ex re immobili percipiantur; nihilominus rerum mobilium ſequuntur naturam, & proinde in feudum dari non poſſunt Scrader. *P.* 111. *cap.* 3. *n.* 3. Reales ſunt, pro quibus res immobilis obligata in perpetuum, vel longe eſt, quia eandem ſortiuntur naturam; ut annona, & panis civilis, panis gradilis, de quibus eſt *tit. C.Th.de anno.civ., & pan.grad.* (e). Annona civica erat panis, qui certis corporibus Romæ, vel CP. populo, civibus Rom., palatinis, ſcholis quibuſdam miniſtrabatur; juſque erat illum exigendi certis domibus, quæ ſine his panibus vendi non poterant *l.* 1. 11, 12. *&* 12. *C. Th. eo*, ideo uti res immobiles cenſebantur *l.ult.* §. 2. *C.de jure dot.*, Cuja. 26. *obſer.* 17., Raguel, *ad l. ult. C, de quadr.præſcrip.*, Capit. *lib.* 11. 29. Zaſi. *P, IV, n.* 14.

Et jure feudali reditus, qui ex penu, vel horreo Principis percipitur recte in feudum dari poteſt 11. *f.* 1. §. *ſciendum*, qui tefferæ frumentariæ Romanorum comparatur, quæ erat ſymbolum quoddam, in quo frumenti capienda quantitas inſcribebatur. His quiſque ad horrea publica Romæ, CP., atque Alexandriæ petitum ibat frumentum, atque ſi non indigebat, teſſeram vendere poterat, hoc eſt quantitatem in ea deſcriptam *l.* 52. §. 1. *D. de judic. l.* 49. §. 1. *D. de leg.* 11., *Nov.* 88, *c.* 2. *l.* 2. *C. de frum. Alex.* Sueto. in *Aug. cap.* 40. Poſtea pro frumento civibus panis dari cepit ævo Trajani, ut opinatur V. Cl. Franc. Modius I *ad Liv. lib.* 11., *& gradilis* dictus, quia in locis ſeptis, & altioribus, ſicut congiaria, & donativa diſpenſebatur, ad quæ per gradus aſcenderetur, Jac. Gotofr. *ad l.* 2. *C. Th. eo.*, Mod. late *loc. cit.* Hujuſmodi igitur teſſeræ cum in commercio eſſent, & inter res immobiles, recte infeudari poſſunt. Quæſitum an nomina debitorum ſint res immobiles? jure civili ſicut & res incorporales ter-

---

(e) Exemplum feudi annui reditus eſt apud Balut. *in Miſcel. to. V. lib.* 5. *p.* 403. *ex Ludov. Imper. Euſtathius de Lungue miles quidam feudum quoddam, ſolidos videlicet triginta de reditu ſynodali a prædicto Epiſcopo* (Alviſio Eccleſiæ Atrebaten.) *requirebat, quia ultimus prædeceſſor ſuus Robertus Atrebatenſis Epiſcopus patri ſuo illud dederat, & ipſe ab eodem Epiſcopo Roberto poſt patrem ſuum illud tenuerat.*

tiam bonorum conſiſtunt ſpeciem *l.* 15. §. 2. *D. de re jud.*, nec ſub appellatione rerum mobilium, aut immobilium continentur; hinc legatis his rebus, non debentur nomina Gail. 11. *obſ. XI. n.* 9., Theſaur. *qq. For. to.* 1. *q.* 2. Moribus autem gentium diſtinguitur; ſi res eſt immobilis, tale & nomen erit, ſi mobilis, mobile Connan. 111. *commem.* 2. *in fi.*, P. Greg. *Synt. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 10., Cuja. *in* 11. *f.* 1.

Res mobilis eſt, quæ facile de uno loco ad alium moveri poteſt, aut viribus propter magnitudinem moveri non valeat; cujus vilis eſt in jure æſtimatio. Res ſe movens eſt, quæ intus ſe, & alia movet, ut animalia, ſervi *l.* 93. *D. de V. S.*, & legatis rebus mobilibus, boves, equi, & ſimiles continentur *d. l.* 93. ubi Cuja. & Gotofr. Plurimum intereſt, an res immobilis ſit, an mobilis; ut in alienatione bonorum Eccleſiæ, minorum pupilli, dotis, Univerſitatis, inſpicitur an res ſit mobilis, an immobilis, quia rerum immobilium alienatio, Prælato, Curatori, aut tutori, vel Syndico non permittitur ſine judicis decreto *tot. tit. C. de præd. & ali. reb.*, *Nov. VII.*, *l. ul. C. de vendend. reb. Civ.*, *l.* 14. *C. de SS. Eccl.* Res mobilis hac non indiget ſolemnitate *l. fin. C. quando decr. op.*, pro re immobili competit interdictum *uti poſſidetis*, non pro re mobili, *l.* 1. §. 6. *&* 7. *D. de vi, & vi arm.*, Gaill. 11. *obſ.* 10. *n.* 4.

Ex his conſtat, aliorum jurium inventione, mores Gentium a Triboniani rerum diviſione non parum receſſiſſe. Maxima enim hodie, præſertim in regno Nap. feudorum pars conſiſtit in juribus incorporalibus, & iis, quæ inter immobilia ſunt, ut gabellæ, officia, functiones fiſcales, dohanæ, vectigal, juriſdictio, *Intrigl. de feud. cent.* 1. *q.* 9. *n.* 99., Curte *in diver. par.* 1. *p.* 25. *n.* 22. Hodie etiam feuda Principum in juriſdictione erga ſubditos conſiſtere videmus, pauca in fundis Gudelin. *de jure feud. par.* 11. *cap.* 31. §. 7. Et in media ætate nulla dignitas, nulla terræ gleba, nullum jus, aut officium, vel honor erat, ob ſeculi ſæpe paupertatem, qui in beneficium non concederetur. Arnolphus de Challe domo de *Juſtitia aulæ* inveſtitus fuit. Domicella de Eramburgis *de medietate examinum Apum*, quæ in nemoribus erant, Buder. *diſſert. de feud. juriſd.* §. 1., Nicol. Zaepffel. *diſſert. de orig. feud. oblat.* §. 10. Denique omnis res, ex qua fructus percipitur ſive menſtruo, ſive annuatim, in feudum recte dari poteſt, exceptis rebus mobilibus, ut *in prolego. cap.* 9. §. 51.

§. XXI.

Digitized by Google

§. XXI.

De rebus, quæ in feudum dari non poſſunt.

QUoniam feudalis clientela eſt contractus, quo utile in vaſallum transfertur dominium, & directum apud ſeniorem remanet; quare res, cujus dominium non habemus, in feudum dari non poteſt; ſive lege, ſive voluntate, ſive rei conditione nobis de ea negata fuerit diſponendi facultas, *ut res ſacra, & religioſa l. 1. D. de R. D.* §. 8. *Inſt. eod.*, Giphan. *jur. feud. diſp.* 3. *n.* 35., Struv. *S. J. F. cap.* 4. *A.* 3., Gudelin. *de jur. feud. par.* 2. *cap.* 3. §. 1. Si vero Civitas in feudum datur, in qua ſunt res ſacræ, tranſeunt cum Univerſitate bonorum, non quia in iis Vaſallus utile exerceat dominium, ſed ut eæ in civitate ſibi infeudata remaneant, *l. 62. D. de adquir. rer. dom.*, quia multa per conſequentias fiunt, quæ principaliter fieri vetitum eſt *l. 1. D. de Auctor. tutor.* Sicut, locus ſacer, & religioſus vendi, aut infeudari nequit, ſed propter acceſſionem alterius rei infeudatio valet, veluti ſi fundus in feudum datur, in quo eſt locus ſacer, & religioſus, ipſe uti acceſſio tranſit *l. 9. C. de relig.*, exemplum dat Tacit. *lib.* 1. *Annal. l.* 22. 23., & 24. *D. de Contrab. empt.* Denique res ſacra, & religioſa non fructum producit, ſed uſum divinum, ut vaſa; res quæ fructus non præbet, non eſt capax infeudationis.

Tituli Eccleſiæ 1. *f.* 6., ut vetuit Urbanus II. in Synodo Placentiæ *an.* 1094., hoc eſt illa bona, quæ ſpeciatim proprio patrimonii jure ad Eccleſiam pertinent, & clericis ad ſuſtentationem, atque alimenta deſtinata ſunt; & Alex. III. *in cap.* 4. *de præben.* appellat *convenientia ſtipendia militiæ clericalis*; nec plures clerici ordinandi, niſi qui in ea juxta Eccleſiæ facultates ali poſſint. Vetuſta Patrum lege ſtatutum, neminem ordinari ſine Eccleſia, cui tanquam Glebæ ſervus adſcribebatur, ſecus irrita erat ordinatio, hoc eſt executio ordinis; atque ut facilius de clericorum numero conſtaret, erat deſcriptio Albi, *titulatura* vulgo dicta. Hæc bona vetuit Urbanus in feudum dari, ne divinus impediretur cultus (*f*). Res

(f) At cur Eccleſias Urbanus, aliique vocent *titulos*? Baron.

Digitized by Google

Res litigioſa incapax eſt infeudationis; eaque definitur *in Nov. 112. cap. 1. de cujus dominio cauſſa inter petitorem, & poſſidentem movetur, aut per judiciariam conventionem, aut per preces Principi oblatas, & inſinuatas judici, ac per eum adverſario interpellatoris cognitas*. Lite enim pendente, rem, de qua contenditur, nemo vendere, vel donare, & proinde nec infeudare valet, quia adhuc cujus ſit dominium, judicatum non eſt *l. 2. & 4. C. de litigio*. *Nec res fideicommiſſo ſubjecta*, cujus alienatio ab hominis voluntate extra familiam interdicta eſt; excipitur caſus *in 11. f. 3. §. 1. Si quis ex agnatis tuis rem, quæ a communi parente per ſucceſſionem ad eum pervenerit, alienare voluerit, non permittitur ei etiam ſecundum antiquam conſuetudinem alii eam vendere, niſi tibi, vel alii proximiori pro æquali pretio accipere volenti*. Si quis itaque velit infeudare prædiolum forſan fideicom-

miſſo

---

ron. *ad an.* 112. *num.* 5., inquit, quia ſignum crucis ſibi impoſitum habuerint: verum non conſtat, tam mature ſignum crucis adfixum Eccleſiis fuiſſe. Puto; quia ab ea Eccleſia presbyteri titulum, ſeu denominationem accipiebant. Sicut prædia principis velum, pannumve appenſum habebant, quo conſtabat, illa eſſe Principis D. Greg. *lib.* 1. *ep.* 65. *ed. PP. S. Mauri*, *& quoniam edocti ſumus domum Petronii Notarii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cui Deo auctore, præſidemus a Conſtantio tunc defenſore irrationabiliter titulatam: Experientiæ tuæ præſentis præcepti pagina demandamus, ut omni excuſatione, vel dilatione omiſſa, depoſito titulo eandem domum præſentium latrici Theodoræ relictæ antedicti Petronii ſine mora reſtituas*. Arcadius, & Honor. *in l. ul. C. de his qui poten. & duobus ſeqq. tit.* prohibuerunt, ne quis litigioſis prædiis potentiorum arma, & ſigna affigerent, ut dominus ab iis vindicandis deterreretur. Idem prohibuit Theodoricus Gothorum rex in edicto (apud Goldaſt. *Conſt. Imp. tom.* 3. *p.* 20.) *art.* 45. *& 46. Is, qui in ea re, quam poſſidet judicis perceptione conventus, titulum potentis nomine adfixum adverſario ſuo crediderit opponendum ejus poſſeſſione, aut Caſæ quam ſub hac fraude vindicaret, temperavit, amiſſione privetur, nec repetendæ actionis, ſi ei competere poſſit, habeat facultatem*.

Digitized by Google

miſſo ſubjectum nemini, niſi ei, qui eſt de familia, cui jus Προτιμήσεως, de quo *lib.* 3. dicam, competit, poteſt, Cujac. & Alvero. *ad d.* §. 1. Idem ſenſiendum de bonis majoratuum, & primogenituræ.

Fundus dotalis: cum infeudatio ſit alienationis ſpecies, ſed fundus dotalis ex lege julia nequit alienari, *dotale prædium italicum, maritus, invita uxore, ne alienato, neve conſenſiente ea, obligato*, hoc eſt ſervitutem, vel hypothecam ne imponito, Paul. 11. *Sen.* 22., Gajus *in l.* 4. *D. de fund. dot.*, & Juſtinianus ad prædia etiam provincialia extendit *l. un.* §. 15. *C. de Rei uxor. act.*, conſ. Pratej. *ad legem juliam de fundo dat.* Eadem juris ratio eſt *in bonis pupilli, minoris, adventitiis filiorumfam.*, in quibus etſi pater habeat uſumfructum, tamen ſicut alienare, ita & infeudare ſine cauſſa non poteſt *l. ult.* §. 4. *C. de bon. quæ liber. Res mobiles*, quia, ut omnibus placet, uſu conſumuntur. Cur in rebus, quæ uſu conſumuntur, conſtitui poſſit uſusfructus, præſtita cautione, de reſtituenda re ejuſdem generis, non vero feudum? Gudel. *de jurefeud. par.* 2. *cap.* 3. §. 8. inquit differentiam ex uſu feudorum pendere, qui potius in re immobili, quam mobili eſſe voluit, ut cauſſa fidelitatis, & obſequii eſſet perpetua, ſicut res immobilis, quæ uſu non perit. *Res communis*, quam quiſque pro parte poſſidet, ſed adhuc indiviſa res eſt: Nemo ex Sociis poteſt, altero invito, in re communi quicquam facere *l.* 28. *D. comm. divid.*, Cujac. *ad l.* 8. *D. de S.P.V.*, diviſa vero, quiſque de ſua parte diſponere valet, verum donec res manet communis nec de tota, nec pro parte non diviſa infeudat, ſed ſi inveſtit, intelligitur de ſua parte, & is qui rem ſic accepit, agere judicio communi dividundo, & ſocium cogere ad diviſionem poteſt 1 1. *f.* 58. §. *item*, Gudelin. *de jur. feud. par.* 2. *cap.* 3. §. 3., Sichar. *ad l.* 1. *C. qui teſtam. fac.* Denique *res Univerſitatis*, quarum Dominum non eſt penes ſingulos, ſed apud omnes, ut theatra, balnea, paſcua, ſilvæ, montes, paludes, & vel jura incorporalia, de quibus ſi inveſtitura erit peragenda, non particulari civi, ſed integræ Univerſitati facultas competit.

§. XXII.

§. XXII.

De Abuſu infeudationis.

OMnis infeudationis abuſus vel circa *res*, vel *perſonas* vertitur; & primo de rebus. Generalis propemodum in Europa increbuit conſuetudo & quidem ſatis vetuſta; qua principes, & Comites Abbatias, monaſteria, Eccleſias parochiales, Archidiaconatus, præpoſituras, atque Epiſcopatus, ideſt earum reditus, decimas, & oblationes ducibus, exercituumque præfectis ſub lege feudi concedebant; qui *Abbi-comites*, *Abbates*, *abbatiarii* dicebantur, Dufr. *in Gloſſ. h. v.* Hujus corruptelæ origo a Gallia primum repetenda, atque ab ævo, quo religionis lumen aſpexit. Laici enim Abbatiarum reditus a Clodoveo poſtulare non erubeſcebant Fileſac. *in tract. de quer. Eccl. Gallic.*

Hujus abuſus cauſſa fuit *regii theſauri paupertas*, *regium Eccleſiarum mundeburdium ſeu tutela*, *& immenſæ Clericorum divitiæ*. Delapſo enim R. Imperio Barbari inſtar legionum ex Scandinavia erumpentes occidentis inundarunt provincias, Reipub. & Eccleſiis damnum inferebant. Cum principum ærarium his præliis exhauſtum eſſet, ut Duces in fide, & dilectione confirmarent, atque ad majores belli ſudores ſuſtinendos allicerent, Eccleſiarum prædia, & reditus jure feudi militibus largiri commodius exiſtimarunt, ut annales Eccleſiæ, & imperii teſtantur, Murat. *diſſert. LXXIII.*, Thomaſſ. *par. 2. lib. 3. cap. 12.*, Alteſer. *de Ducib. lib. 1. cap. 13.*, Roye *diſſer. de Miſſ. Domin. cap. 8.*

Exhibet exemplum Flodoard. *lib. 1. H. E. R. cap. 2. ed. Sirm. Quando tres fratres Lotharius, Ludovicus, & Carolus regnum ſibi francorum poſt patris obitum diviſere, villas Epiſcopii Remenſis, quod tenebat Fulco presbyter, Carolus ſuis diſtribuit militibus*, Carolus M. potentia, & pietate inſignis totam Aquitaniam inter abbates, ſeu laicos beneficiarios, quos *Vaſſos* dixit, diſtribuit. Eundem morem Pipinus, Carolus Calvus, Ludovicus pius, Carolus ſimplex, Carlomannus, Carolus Martellus, & Balbus ſectati ſunt, ut ex Capp. RR. franc. apparet; unum affero.

Carolus Calvus *in lib. 5. capp. 333. & 3.* ſancit, *ut miſſi noſtri per ſingulas parochias una cum Epiſcopo parochiæ ipſius requirant de Capellis, & abbatiolis ex caſis Dei in beneficium datis,* qua-

Digitized by Google

qualis cenſus exinde exeat, ut Eccleſia, de qua ſunt, exinde veſtituram habere poſſit, & nobis renuncient, ut hoc noſtra auctoritate commendentur, atque firmentur, & ſecuudum qualitatem, & quantitatem loci clericos, & luminaria ibi ordinent, & loca reſtaurari faciant. Comites quoque & Duces hoc jure exemplo regum potiri cœperunt, ut Warner. pagi Vormacienſis Comes bona S. Remigii in Vaſago ſita *hominibus ſuis diſtribuerat*, inquit Flodoar. *loc. cit.*, Chron. Lubecen. de Alberto Archiep. Livon., inquit, *anno ejus ſecundo orta eſt diſcordia gravis inter eum, & Joannem, & Gerardum Comites Holtzatiæ ſuper decimis in terra Aldenburg. Nam Comites affirmabant ſe magnam decimarum in feudum tenere ab Eccleſia, & ſimiliter Vaſallis ſuis decimas certas in feudum contulerunt.* Demum Italia quamdiu Longobardis, & Graecis paruit etſi ab invaſione bonorum Eccleſiæ immunis non fuit, tamen militibus ſuis nunquam ea conceſſit, donec Francis, & Germanis Imperatoribus ſubjiceretur, exempla refert Murat. *loc. cit.*

Regnum autem Neap. conſtanter ab hac ſe abſtinuit corruptela. Unum, ni fallor, invenio exemplum, *in Chron. Mon. M. Caſi. lib. IV. cap.* 117. *Tunc etiam idem Petrus* (Diaconus) *conqueſtus eſt ſupra Robbertum Comitem de Lauritello, qui Eccleſiam Sanctæ Scholaſticæ ſitam in territorio Pinnenſi cum multis aliis poſſeſſionibus, & Eccleſiis cuidam militi ſuo in feudum tradiderat & judicante præphato Imperatore* (Lothario) *per Gualfridum judicem bononienſem & prædicto Comite renunciante, recollegit protinus illas.*

Mundeburdium Eccleſiarum; Nulla enim Eccleſia, Monaſterium, Abbatia, atque Epiſcopatus, in Gallia, Germania, Italia, atque alibi fere inveniebatur, qui regum tutela careret, ut infinita pene affert diplomata Marti. Mager. *de advoc. arm.*, eumque tam in judiciis, quam extra a barbarorum incurſione, potentium injuriis, & judicum gravaminibus tuebantur.. Hac Reges freti poteſtate, pro arbitrio bona Eccleſiarum idcirco militibus vel allodii, vel feudi pacto diſtribuebant. Denique ingens Clericorum divitiarum copia magnam proceribus peperit invidiam; & merito: cum ipſi pro Republ. bellis vel publicis, vel civilibus attrita ſanguinem, & facultates effunderent; & clerici bonis, & commoditatibus luxuriantes otium ducerent.

Digitized by Google

Conditio hujuſmodi ſeudorum erat (1) annua, deinde ad vitam, poſtea ad heredes, & filios, a quibus in nepotes alioſque diſſecta. Hanc diviſionem vetant Capp. *lib.* 1. 110., *&* *lib.* 4. *LL. Long. tit.* 1. *l.* 44., *can.* 35. *XVI. q.* 7., cum deſperatio eſſet eas unquam recolligendi. Thomaſ. *loc. cit. cap.* 16. *n.* 4. (2) ſtatum militum, & equorum numerum, annua dona, metatum, & militaria ſtipendia pro beneficii reditu Regi praeſtare, tenebantur, Thom. *loc. cit. cap.* 12. *n.* 2., P. de Marca *ad can. VII. Concil. Claro*, & Fileſac. *loc. cit. Aut enim laicis abbatiæ integræ concedebantur, quas in perpetuum poſſiderent, aut uno tantum anno, vel aliquot annis, modo hanc, modo illam pro regis arbitrio arbatiam obtinerent, aut denique pluribus abbatia una donabatur, cujus varia prædia, & villas varii occuparent.* (3) Iis onus erat clericos Eccleſiæ ſibi in feudum datæ alere, Eccleſia cultum curare, vel nonas & decimas præbere Capp, Caroli M. *lib.* 3. 80. *&* 82. *lib. V.* 158. *&* 24. *an.* 813. Roye *loc. cit.* (4) in choro ſimul cum clericis ſedebant, imperabant, coercebant, Alteſ. *loc. cit.* In Eccleſia, & Monaſterio una cum uxoribus habitabant, exemplum affert Flodoard. *loc. cit. lib.* 1. *cap.* 20.

Hanc corruptelam Hincm. in vita S. Remigii, Otto I. Imp. *an.* 940. apud Goldaſt. *tom.* 3. *Conſt. Imp. p.* 304., & Thomaſ. *loc. cit. cap.* 18. *n.* 1., latiſſime S. Agobard. in Gallia qui *an.* 813. doctrina, & ſanctitate claruit, *in lib. de diſpenſ. rei Eccl. cap.* 4. *&* 15. *ed. Balut.*, S. Abo Floriacen. qui ſeculo IX. Floruit in apol. ad Hugonem, ejuſque filium Robertum francorum reges, ad quos inquit, *nec catholice vivimus, nec catholice loquimur, quomodo illam Eccleſiam dico eſſe meam, ille alteram dicit eſſe ſuam. Ac comparati jumentis inſipientibus, utraſque aliquando venales proponimus, propoſitaſque ab aliis emere non formidamus*, ſatis improbarunt ſimul & Concilia. Si ſalus Reipubl., ſi Regni, regis neceſſitas perpendatur, conſuetudo ſancta eſt, qua ſocietas, & religio periclitans tunc defenditur; ſi ambitionem, uſurpatio eſt.

Abuſus circa perſonas eſt; ſi princeps parum domi, & militiæ claros; Si clericos, & qui religioſam agunt vitam, his bonis condecorat, in utriſque juſtitiam, & religionem lædit. Magna enim hæc diutiarum copia, quæ in Eccleſia reperitur lacrimis deploranda, atque expianda eſt, quibus paupertas monachorum in facultates, humilitas in ſuperbiam, virtus in vitium, rerum divinarum con-

Digitized by Google

contemplatio in ſeculi ſpeculationem, religio in facinus declinat; nullum regnum, nulla toparchia, nulla Eccleſia, nulla abbatiola extat, quæ feudis, latifundiis non ſcateat; omnia laicorum bona ad eos labuntur; nihilque, conſiliariis, ducibus, exercituumque præfectis, viris ſapientia, & ſcientia præſtantibus, quique ſudoribus juſtitiam populis miniſtrant, pacem in Republ. conſervant, ſupereſſe videtur, niſi quantum eorum expoſtulat neceſſitas. Proinde religio peperit divitias, filia devoravit matrem, & ſanctum canibus datum eſt, Chriſti paupertas in aurum, convivia, armorum apparatum, militum numerum, converſa eſt. Conſtanter enim ſacris canonibus id diſplicuit, qui ſolam congruam portionem clericis reliquerunt, Frid. II. apud P. de Vine. *lib.* 1. *ep.* 2., Kloc. *de ærar. lib.* 2. *cap.* 83. *&* 149., *Chron. Riddagshuſ.* apud Meibom. *tom. III. Script. Germ.*

Digitized by Google

T I T. XI.

De Feudorum acceſſionibus.

§. XXIII.

De Naturali, & civili acceſſione.

IN rerum infeudatione duplex poteſt contingere acceſſio, vel *naturalis*, vel *civilis*. Acceſſio naturalis eſt incrementum, quod natura ad rem agit, ut alluvio, alveus derelictus, inſula in flumine nata *l.7.* §. 1. *& ſeqq D. de adq. rer. dom.*, quæ, prædio infeudato, quamvis nihil dictum ſit, jure gentium ad vaſallum pertinet. Alluvio eſt adquiſitio, qua quid paulatim ita adjicitur, ut intelligi non poſſit, quantum quoquo momento adjiciatur §. 20. *de Inſt. R. D.* Si enim impetu fluminis quid prædio vicini detractum fuerit, non eſt alluvio, nec ei adquiritur, cujus feudo fuit adjectum, niſi diu feudo hæſerit, arboreſque, quas ſecum traxerit, radices in feudo egerint, cepit jam eſſe, cujus eſt feudum, cum quo coaluit *d. l.7.*, *l.9.* §. 2. *D. de damn. infect.*, *l.* 5. §. 3. *D. de R. V.*

Qua de re ſi prædium poſſidetur jure fructuario, vel pignoris, vel proprietatis, incrementum adquiritur jure uſufructus, pignoris, & proprietatis *l.* 9. §. 4. *D. de Uſufr. l.* 18. §. 1. *D. de pign. act.*, *l.* 1. 2. *&* 3. *C. de Alluv.*, Paul. *III. ſent.* 6. §. 22., Noodt. *de Uſufr. lib.* 1. *cap.* 6. *in fi.* Si fundus in dotem datus ſit, id quod alluvione accreſcit, dotale cenſebitur *l.* 10. §. 1. *D. de jure dot.*, ſi quid agro vectigali acceſſerit, id ad Emphyteutam pertinet *l.* 9. §. 4. *D. de Uſufr.*, quia ſicut diminutio fundi, ita & incrementum ad emphyteutam debet pertinere, Giphan. *ad l.* 2. *C. de jure emphyt.*, *& ad l. in rebus C. de jur. dot.* Vaſallus utitur fruitur prædii beneficiarii dominio utili, igitur jure ejuſdem dominii ipſi accreſcit, feudoque aperto, ad Dominum revertitur, 1. *f.* 4. §. 5., Mor *tract. de jure venan. part.* 1. *cap.* 7. *num.* 14.,

Bin-

Digitized by Google

Byncker. *lib. V. obſ.* 7., cum alluvio dicatur beneficium fluminis (g).

Proinde feudiſta *in* 1. *f.* 4. §. 5. inquit, *Si quis de manſo uno feudi nomine inveſtituram acceperit, & dixerit, quod omne incrementum pertineat ad eum per inveſtituram: ſi Dominus reſervaverit ſibi aliquid in ipſa curte, tunc oportebit, fidelem incrementi inveſtituram per pares curtiæ, vel per breve teſtatum probare. Sed ſi Dominus in ipſa curte nihil ſibi retinuit: tunc omne incrementum jure feudi fidelis obtinebit. Si vero fidelis in poſſeſſione incrementi fuerit, non oportebit eum inveſtituram probare, ſed jurare.* De mente hujus §. certant interpretes. Diſtinguendum: Senior in inveſtitura dixerit omne incrementum ſibi reſervare, & tunc ſervandum, quod actum eſt, atque ſi ad illud accedere non poſſit, ut ſi ſit inſula, Vaſallus tenetur viam præſtare, quia in incrementi reſervatione intelliguntur etiam reſervata ea, ſine quibus Senior iis commode uti non poteſt *l.* 2. §. 2. *D. ſi ſerv. vind.*, Andr.

(g) Aggen. Urbic. *de limit. agr.* narrat, quod cum quereretur de prædiis pado vicinis, Caſſius Longinus reſpondit, *quicquid aqua lambendo abſtulerit, id ad poſſeſſorem, qui ſcilicet ripam ſuam ſine alterius damno tueri debuit, pertinet*, & recte, quia id accidit, *donante pado*, ut inquit, Lucan. *lib. VI.* Virg. *lib. VIII. æne.*

— Ego ſum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas, & pinguia culta ſecantem,
Cæruleus Tybris, cælo gratiſſimus amnis.

Ubi Serv. *Stringentem ripas; radentem imminuentem, nam hoc eſt Tyberini fluminis proprium, adeo ut ab antiquis Rumon dictus ſit, quaſi ripas ruminans, & exedens in Sacris etiam Serra dicebatur. Unde ait nunc, & pinguia culta ſecantem: in aliqua etiam urbis parte Tarentum dicitur, eo quod ripas terat.* Et eleganter in vita S. Epiphanii *Edit. Sirmundi tom.* 1. *p. m.* 165. *Summias* [ager Ticino vicinus] *vocitatur ager, qui in eo loci ſitus eſt, in quo terrenum marginem guloſus padani gurgitis morſus arrodit, & fluxuoſe ſerpens fluvius largitur in compendio alterius, quod furatur ab altero: ſimulque fit lucrum finitimi aliena calamitas.*

Digitized by Google

Andr. *in d.* §. *ſi quis n.* 14., Scrad. *part. V. cap. 6. n.* 30., Affl. *deciſ.* 265. *n.* 108., nec ſenior tenetur itineris pretium præſtare, *Dd. ad d.* §. 5. *l.* 2. §. 2. *D. ſi ſerv. vind.*

Aut ſenior nihil reſervaverit, & tunc omne incrementum erit vaſalli, & ſi Dominus in incrementi poſſeſſione reperitur, illud vaſallo reddere cogendus eſt, nec vaſſus aliqua indiget probatione, quia Dominus præſumitur totum conceſſiſſe, ſive augmentum tempore inveſtituræ fuerit, ſive poſtea adquiſitum. Neque pro hoc incremento nova opus eſt inveſtitura, quum feudo tanquam Univerſitati accedat; quæ augmenti, & diminutionis capax cenſetur Andr. *ad d.* §. *ſi quis n.* 17.; Alver. *cod. n.* 6. Animadvertendum, quod ſi acceſſio fuerit inſolita, & de ea veroſimiliter non cogitatum, mihi videtur Domini eſſe, non vaſalli, etiamſi Dominus in infeudatione nihil reſervaverit, *arg. l.* 25. §. 6. *D. loca.*, Capyc. *in Inv.* §. *augmenta, limit.* 5., Roſent. *cap. X.* 44. *n.* 30. An, aucto feudo, augendum ſervitium? dicam *lib.* 3. Denique, pacta incrementi reſervatione, & Dominus in ejuſdem reperiatur poſſeſſione, ſi Vaſallus contendit ad ſe pertinere, id probare debet; ſecus ſi Vaſallus ipſe erit in poſſeſſione, qui non cogitur inveſtituram probare, ſed tantum jurare, quia præſumitur pro poſſeſſore 1. *f.* 10. 1. *f.* 26. Andr. *loc. cit. n.* 14., Alver. *cod. n.* 4., Aymo. de Alluv. *lib.* 11. *cap.* 11. Nihilominus juvat regionum mores inſpicere, ut in Poruſſicis omnia feudi incrementa ſunt vaſalli, etſi inſulæ ſint P. Ludewig. *lib.* 11. *feudal. opuſ.* 2. *de diff. jur. feud. Poruſſic. XI.*

Sæpe non reſervato incremento, illud ad Dominum ſpectat, ſi prædium feudale certis limitibus conceſſerit, videlicet 100. jugera, quia Senior cenſetur prohibuiſſe acceſſionem, & naturam agri limitati, qui non recipit jus alluvionis, aſſumit *l.* 16. *D. de adq. rer. dom.*, quam eleganter explicant Aymo. *loc. cit. lib.* 1. *cap.* 17., Cujac. 11. *obſ.* 9., Conſtantinæ. *ſubtil. enod. lib.* 1. 8., eumque Horat. *lib.* 21. *Sat.* 2. *v.* 114. dixit *agrum metatum*, quaſi proprium circumſcriptum finibus, Scrad. *loc. cit. n.* 26. Cur ager hujuſmodi non recipit alluvionem? obſcura res eſt; ſuſpicor, ut ſciatur quid cuique in agrorum diviſione, quam in coloniis Romani faciebant, datum eſſet; quid in publico relictum; nec extra limites ad quærenda fluminis incrementa, quis proſilire poſſet, ſecus tabularum exacta deſcriptio, & earum fides inconſtans fuiſſet, & incerta; ad quas in agrorum litibus, tamquam ad publica monu-

Digitized by Google

numenta relatio erat, *l. 8. D. ad l. Jul. pecul.*, Flacc. *de limit. Agro. quidam formas agrorum in ære ſcripſerunt*, hoc eſt æneis tabulis, Hygin. *de limit.* Aymo. *loc. cit. n. 4.*

Civilis acceſſio eſt, quæ tacite continetur in re infeudata, ut ſi domus in feudum conceditur, omnia ei affixa in feudum conceſſa intelliguntur, ut puteal, funes, labra, fiſtulæ *l. 13. §. ult. l. 14. & 15. D. de act. emp.*, ſicut vino legato, debentur vaſa *l. 3. §. 1. De tritic. vind.* legato prædio, vel in feudum dato veniunt inſtrumenta ruſtica, urbana, mancipia, quæ prædii cauſſa ſunt, ejuſque inſerviunt uſui *l. 27. §. 4. D. de Inſtru.*, etiamſi ſcriptum non ſit, legatis avibus debentur armaria *l. 66. D. de leg. III.* Quibus acceſſionibus vocari poteſt *Feudum veſtitum*, ſicut *manſus, aut colonia veſtita*, quæ videlicet ſuppellectili, mancipiis, colonis, atque armentis ad terram colendam neceſſariis componitur; jure Rom. nuncupamus *fundum inſtructum, tot. tit. D. de inſtru. vel inſtru.*, Maiſtr. *de Bon. Eccl. 3. cap. 1.*, fructus quoque pendentes cum ſint pars fundi, ſervitutes, munitiones comprehenduntur *l. 44. D. de R.V.*

Prædio, vel curte, aut villa in feudum data, venit & juſpatronatus *cap. VII. de jurepatr.*, niſi nominatim exceptum ſit. Nam Monaſterii de Wintonia Abbatiſſa quandam villam Gregorio militi dedit ad *firmam*, hoc eſt ad conductionem, in qua erat juſpatron., quod Abbatiſſa ſibi non reſervavit, vacante Eccleſia, Abbatiſſa præſentare volebat, Miles ſe opponſuit; Alex. III. *in d. cap.* pro milite reſpondit, ad quem ſimul cum villa tranſiit juſpatron., quod exceptum non erat, & tranſiit ut acceſſio, ſicut locus ſacer accedit fundo vendito, ita & juſpatron. *l. 24. D. de contrah. emp.*, Cujac. *ad l. 4. 5. & 6. D. eod.*, Florens *ad cap. 7. & 19. de jurepatr.*, nec refert an directum, an utile, an utrumque translatum ſit dominium; firmarius enim iſte miles utilo tantum fruebatur dominio; quamvis juspatron. ex ſe vendi non poſſit, quemadmodum ſepulchrum, & res quælibet religioſa ut elegans inſcriptio apud Gruter. *XIII. p. 861.*, Koli. *ad leg. Ater. cap. 5.* Vectigali deinde in feudum conceſſo, comprehenditur gabella, & pena eorum, qui vehunt merces, nec profitentur, vel vectigal ſolvunt *l. 14. D. de publicia.* Silva, vel oliveto infeudato, intelligitur datum & ſolum *l. 81. §. 3. D. de leg. 1.*, infeudata domo, transferuntur apotheca, hortus, porticus, *l. 91. §. 5. D. de leg. III.* Conceſſo territorio, in quo ſunt plantæ, ſata, ædificia,

Digitized by Google

ſicia, picturæ, & prata, hæc ſimul tranſeunt. Omne enim quod commodum afferre poteſt vaſallo, ſemper, niſi exceptum ſit, comprehenditur. Denique hac in re, plurima a jure Rom. mutuare neceſſe eſt, quum jure feudali nihil conſtituetur. Sed an ſub appellatioue caſtri, civitatis, vel territorii contiueatur *jurisdictio*, *ſeqq. tit.* peculiarem dabo curam.

Quæſitum eſt, an theſaurus in prædio feudali inventus, ſit vaſalli, an Domini? Hac de re, ut plura excipiam, diſtinguendum, vel de fundo fructuario, vel emphyteuticario, vel dotali, vel emto, vel feudali agitur. Fructuarius ſi in prædio fructuario theſaurum invenit, dimidium ſuum erit, alterum proprietarii, quia theſaurus non eſt in fructu, nec ex fundo naſcitur, ſed res a fundo ſeparata ut inſula in flumine nata *l. 63. D. de adq. rer. do.* Emphyteuta ſi reperit, totum adquirit, quum commoda, atque incommoda fortunæ ad eum pertineant; theſaurus dicitur donum fortunæ *l. 63. §. 1. D. de adq. rer. dom.*, & ſi dominus directu inveniat, pars dimidia erit Emphyteutæ, Perez *ad tit. C. de Theſaur.*, Sixtin. *de Regal.* 11. *cap. ult. num.* 48., Andr. *in* 11. *f.* 56. *num.* 93., Roſent. *cap. V.* 93., Gutier. *de Theſaur. lib.* 11. *cap. XVII. num.* 74., emphyteuta enim eſt Dominus, ei competit actio in rem *l. 1. §. 1. D. Si ager vectig. l. 12. C. de fund. patri.* In fundo dotali, dimidia pars reſtituetur viro, quaſi in alieno inventus, altera cedit uxori *l. 7. §. 12. D. ſolut. matrim.* Pertinet ad emptorem, ſi in fundo vendito eum reperiat, licet emtor fundum emens ſciverit ibi eſſe theſaurum, & venditor neſciverit, ut D. Matth. laudat eum, qui vendidit bona ſua, ut agrum, in quo erat theſaurus, emeret *XIII. v.* 44., Wiſenba. *ad Inſt. diſp.* λ. 33. Demum ſi vaſallus in ſuo feudo theſaurum invenerit, ſuus erit, exemplo Emphyteutæ, quum ad eum omnis beneficii fructus, & utilitas ſpectet, dicitur Dominus, eique competit rei vindicatio 11. *f.* 8. *§. rei autem*, 11. *f.* 55. *§. inſuper*, pingius poſſidet dominium omniaque ad eum tranſeunt, & ſola ſeniori remanet ſuprema diſpoſitio, Guttier. *loc. cit. cap. XVIII. n.* 12., Kloc. *de ara. lib.* 11. *cap.* 116.

TIT.

Digitized by Google

T I T. XII.

De feudali juriſdictione.

§. XXIV.

De mediæ ætatis juriſdictione.

DE beneficiaria acturi juriſdictione, quæ, iratis feudorum moribus, prædiis, juribuſve clientelaribus hodie apud omnes propemodum gentes cohæret, altius petere oportet. Romani imperii majeſtatis mutatione, magiſtratuum juriſdictio capite minuta eſt; proinde leges Romanæ de juriſdictione loquentes, huic juriſdictioni, qua olim, & nunc magiſtratus utuntur, accommodari non poſſunt. In univerſa Europa, præcipue Germania, Gallia, atque Italia, quadruplex extitit juriſdictionis ſpecies, *regalis*, *ducalis*, *Epiſcopalis*, *&* *patrimonialis*. Duces enim, & Comites jure gladii, civili, & militari poteſtate fruebantur, ut ex capp. RR. Franc., & legibus Saxonum, Aleman., Bojoario., Wiſigoth., Thuringor., conſtat. Duces in provinciis, & majoribus Dynaſtiis jus dicebant; Comites in civitatibus; erantque non mandati, ſed judices ordinarii; ne quis a ſua juriſdictione præter Epiſcopos, & Abbates eximi poterat, dixi *lib.* 1. *tit.* 2. §. 2. *Cap. Caroli Calvi an.* 844. §. 3., *lib. VI. cap.* 156., *Cap. Caroli M. an.* 769. *cap.* 17., *lib. VII. cap.* 139.

In Comitatu præter Comitis miſſos, erant & alii ejuſdem minores judices, nempe Scabini, centenarii, ſculteti, decani, Thiuphadi, hoc eſt gentis præfecti, qui de minoribus cauſſis, & humili judicio cognoſcebant, præcipue apud Wiſigothos *lib.* 11. *LL. Wiſigot. tit.* 1. *l.* 26., in qua occurrit mentio Ducis, Comitis, Vicarii, pacis aſſertoris, thiuphadi, millenarii, quingentenarii, centenarii, decani, defenſoris, numerarii; Cap. Carolomani 882. *tom.* 2. *Cap. p.* 288., *lib.* 11. *LL. Longob. tit.* 53. *l.* 22., *lib.* 11. *tit.* 52. *l.* 3., & paſſim in Synodis, Sirmund. *ad Capp. franc. p.* 769., Bigno. *ad Marculf. appendic. cap.* 11., Murat. *diſ-*

Digitized by Google

ſert. X., ita nuncupati, quia mille, centum, decem manſiones, ſeu territoria in ſua ditione haberent. At quamvis Comiti, & Duci jus eſſet de majoribus deliƈtis cognoſcendi, & merum imperium; non raro tamen centenarii latronum inquiſitio, & criminum perſecutio committi ſolebat, Charta apud Baluz. *in Capp. tom. I. in fin.* Hæc territoria paucis habitata familiis, in quibus minores judices judicabant, in feuda deinde data ſunt, hinc invenitur *ballivia infeudata*, *feudum ſculteti*; imo ipſi Comitatus, & Ducatus, aut officium dumtaxat, aut ſimul cum territorio Schiford. *traƈt. de juriſd. in Sileſia cap. V.*

Diƈtum ſupra eſt, neminem, exceptis Epiſcopis, & abbatibus a comitum, & ducum juriſdiƈtione fuiſſe exemptum, ne clericos quidem. Verum tunc invaluit, haƈtenus ut mihi videtur, inaudita diſtinƈtio, an clericus conveniatur aƈtione perſonali, an in rem, ex celebri conſtit. Caroli M., quæ in *lib.* III. *LL. Longob. tit.* I. *l.* II. refertur, *Volumus primo, ut neque abbates, neque preſbyteri, neque diaconi, neque quilibet de clero, perſonis ſuis ad publica, vel ad ſecularia judicia trahantur, vel diſtringantur; ſed a ſuis Epiſcopis judicati juſtitiam faciant. Si autem de poſſeſſionibus, ſive Eccleſiaſticis, ſive ſuis propriis ſuper eos clamor ad judicem veniret, mittat judex clamantem cum miſſo ſuo ad Epiſcopum, ut faciat ei per advocatum juſtitiam facere. Si vero aliqua inter eos fuerit orta contentio, quam per ſe ſpecificare non velint, aut non poſſint, tum per advocatum Epiſcopi, qualem juſſerit, cauſſa ipſa ante comitem veniat, vel judicem, & ibi ſecundum legem finiatur*, *anteposito, ſicut diƈtum eſt, de perſona clericorum.*

Eandem aƈtionis diſtinƈtionem retinuit noſter Guliel. II. in Conſt. *ſi quis clericus lib.* I. *69.*, & Conſt. *majeſtati lib.* III. *92.*, quæ precibus Laurentii Minorenſ. Epiſcopi ſancita videtur, eamque refert Ugell. *Ita. Sac. tom. VII. p* 300. *Mandamus Univerſitati veſtræ, & præcipimus, ut amodo de adulteriis judicandi vos* (loquitur ad Barones) *non intromittatis. Sed ſi quis de parochia, vel diœceſi prædiƈta Epiſcopatus Minoris de adulterio accuſatus, vel in eo deprehenſus fuerit, ad judicium Minorenſis Eccleſiæ, in qua adulteria ipſa judicari debent, conſiſtat, & a curia ejuſdem Eccleſiæ judicetur, & corrigatur, excepto ſi per inſultum, vel violentiam, adulterium committitur, quod ſi acciderit, judicetur ab eccleſia de ipſo adulterio, quod ſpeƈtat ad judicium ipſius Eccleſiæ, & de hoc quod ſpeƈtat ad judicium Curiæ noſtræ, videlicet de inſul-*

Digitized by Google

ſultu, & violentia, judicetur ab ipſa Curia noſtra (h).

De perſonis vero clericorum volumus, & jubemus, ut ſi aliquis clericus parochiæ, vel diæceſis prædicti Epiſcopatus Minoris de aliquo forisfacto appellatus fuerit, non a vobis, neque a curia veſtra, ſed ab ipſa Eccleſia, & in curia Eccleſiæ, de hoc, quod ad perſonam ſuam ſpectat, judicetur, & corrigatur, ſicut convenerit juxta Canones, & jus Eccleſiaſticum, excepto ſi aliquis clericus fuerit appellatus de proditione, vel alio hujuſmodi maleficio, quod ſpectat contra majeſtatem noſtram, quod ſi acciderit, volumus, & præcipimus, ut hoc quod ſpectat ad judicium Curiæ noſtræ judicetur ad ipſa curia noſtra, & de hoc quod ſpectat ad judicium Eccleſiæ, ad ipſa Eccleſia judicetur.

Si vero aliquis clericus de hereditate, vel tenimento. quod non ab Eccleſia, ſed a vobis, ſive per patrimonium, aut aliunde in terris veſtris teneat, fuerit appellatus; volumus, ut de hoc in curia illius, in cujus terra poſſeſſiones, vel tenimentum ipſum fuerit, reſpondeat; & quod juſtum fuerit, faciat, non tamen, ut perſona ejus capiatur, vel incarceretur..

Præterea adetat *Miſſorum dominicorum* juriſdictio, qui totum peragrabant regnum, provincias, & civitates, an Comites, duces, & minores judices juſtitiam populis redderent; idcirco eorum poteſtas major Comitum erat, de omnibus judicum corruptelis cognoſcebant, de perjuriis, homicidiis, ſeudis, oppreſſione pauperum, navigiis circa littus maris præparandis, banno Imperatoris, ſepulturis, an canones a clericis, & regulæ monachorum obſervarentur, an decimas parochiani ſolverent, bona Eccleſiæ Epiſcopi recte adminiſtrarent, de honore, & cultu Eccleſiæ, de clericorum honeſtate, an monachæ nuberent, Cap. Caroli M. *an.* 803., Caroli Calvi *an.* 844. *tom.* 11. *Capp. p.* 29. *tit.* 7., Cap. Carlomanni *an.* 882. *to.* 21. *p.* 288., *lib.* 6. *cap.* 218., Conſt. Ludovici Pii *an.* 815. *apud*

Y y 2 *Col-*

(h) Ita & Frider. II. apud Ugell. *tom.* 7. *p.* 227. Joanni Epiſcopo Aſculano indulſit, *jubemus, ut ſuper adulterio, & aliis criminibus ad jus Eccleſiaſticum pertinentibus ad corrigenda, & coercenda, teneantur magiſtri jurati, & bajuli requiſiti dare auxilium, & favorem per totam diæceſim Aſculanam.*

Digitized by Google

Goldaſt. tom. 11. *Conſt. imper. p. 9. &* 10. Bigno. *ad Marcul. append. cap. 7.*, Fran. Roye *opuſc. de Miſſ. dom. tot.*, P. de Marca *de Concord. lib.* 4. *cap.* 7., qui diſtinguuntur a *Miſſis diſcurrentibus*, quorum munus erat mandata Principis per provincias deferendi, *cap. lib.* 5. *cap.* 143. Hos primus Carolus M. inſtituit, & ſub Frid. I. exoleverunt, Murat *diſſert. 9.*

Epiſcopalis juriſdictio: nam cum Eccleſia feudis, & latifundiis a fidelibus eſſet locupletata, eadem fere juriſdictionis ſpecie Comitum, & Ducum Epiſcopi in ſuis diœceſibus utebantur, non quia feudo adnecteretur, ſed ex principum liberalitate, cujus cauſſas in *proleg. cap. 6.* detexi §. 26., Alteſe. *de juriſd. Eccl. lib. 7. cap.* 15. Sed Principes dum territorium, vel caſtrum jure alodii, aut feudi Prælatis concederent, translata civili juriſdictione, jus gladii excipere ſolebant, ut ſexcenta vetuſtæ ætatis in omnibus Europæ provinciis proſtant monumenta. Henric. II. Lotharingiæ, & Barbantiæ Dux *an.* 1243. locum S. Bernardi ad Scaldim Abbati ejuſdem monaſterii in allodium dedit, *nihil juris nobis, vel poſteris noſtris, præter tres articulos altæ juſtitiæ, ſcilicet manifeſtam ſanguinis effuſionem, membri mutilationem, & vitæ ablationem, ſi exceſſus delinquentium hoc exegerit, in ipſo allodio reſervando.* Miræ. *in Cod. don. pia. cap.* 105. Guido Flandriæ, & Namurci Comes *an.* 1269. plura Loenſi canonicorum regularium cœnobio confert, tamen, *alta juſtitia in loco illo, ſicut in manſione, & clauſtro prædictis ſalva nobis permanente*, Miræ. *loc. cit. cap.* 91. ubi paſſim.

Non raro jus gladii (licet contra canones) concedebatur: Philipp. Pulcher *an.* 1304. confirmat abbatiæ Ludenſis Ord. Ciſter., *item quod non impedientur aut inquietabuntur ſuper poſſeſſionibus, ſive reditibus emptis per ipſos in feudis, retrofeudis, aut cenſivis ſuis, in quibus omnimodam, altam, & baſſam habent juſtitiam*, Miræ. *in ſupplem. cap.* 105. Henric. Auceps Abbatiæ Bronienſi *an.* 932. donat merum, & mixtum imperium apud Miræ. *tom.* 1. *Cod. don. pia. cap.* 30.

Eadem in noſtro regno canonica viguit conſuetudo: Rogerius Calabriæ, & Apuliæ Comes *an.* 1093. Monaſterio S. Angeli de Brolo Ord. Baſ. omnia judicia in caſalibus Anzan, Liſicon, & Tondenconon conceſſit, *exceptis ſanguine, & proditione, quæ pertinent adeo cuſtoditæ curiæ noſtræ*, Pirr. *lic. ſac. tom.* 11. *p.* 1021. Gulielmus II. an. 1164. jus dedit abbati S. Michaeli Archang. con-

Digitized by Google

conſtituendi judicem in oppidis Buſeniæ, *excepta & de ira, & ſanguine, quæ judicio noſtro reſervamus*, Pirr. *loc. cit.* Elegantius Roger. Monaſterio S. Mariæ de Gala Ord. Baſ. donavit poteſtatem judicandi homines dicti monaſterii de omnibus delictis, *hoc autem ſolum ratione majeſtatis noſtræ, & heredum, & ſucceſſorum noſtrorum, homicidium, & proditionis culpam, quę ipſis monachis ſecundum divinos canones, & leges judicare non debet*, Pirr. *loc. cit. tom.* 11. *p.* 1043., & 1263., & paſſim apud Ugell. Ita. Sac., quæ referre ſuperſedeo, cum hanc ſpartam Vir ſummus Ill. D. Franciſcus Vargas Eques *in examine Diplomatum RR. PP. Cartuſiæ S. Stephani de Boſco an.* 1765. *p.* 570. accuratius & diſcuſſit, & abſolvit. Raro autem jus gladii præſertim ſub Nortmannis, Suevis, & Andegavenſibus ſuæ juriſdictionis defenſoribus, qui ne Baronibus quidem conceſſerunt, donabatur; exemplum reperitur apud Pirr. *loc. cit. tom.* 11. *p.* 453. ubi Willel. II. Monaſterii S. Mariæ novæ Panormi ejus abbatem in terris ipſius monaſterii juſtitiarium creavit, & cauſſarum omnium cognitionem communicavit (i).

Juriſdictio patrimonialis Romanorum legibus omnino ignota, quæ eſt *dominica poteſtas competens in homines proprios, & colonos*. Nulla olim allodiorum poſſeſſoribus juriſdictio erat, quam patrimonialis in ſervos, homines glebæ, eorumque fundos; cujus origo hæc, ni decipiam, eſt: mediæ ætatis populi immanitate barbari, victis gentibus, omnem fere libertatem adimebant; ſuarumque rerum dominia ab iis recognoſci, & dependere vellent, & proinde allodii natura infracta prorſus fuit, quod deplorat Alteſ. *rer. aquit. lib.* 3. *cap.* 17. *Dolendum potius, quam erubeſcendum allodii jus in aquitania infractum diutina inundatione anglorum. Tunc enim aquitani proceres, anglo perpetuis bellis diſtricto audacius in plebejos ſævire, & poſſeſſores prædiorum utcumque allodialium facile in ſuam ditionem redegerunt, ſenſimque allodia everterunt*,

(i) An. 1085., & ante eum Umfredus Comes Caveoſa. Monaſterio S. Michaelis in civitate ſito donat merum, & mixtum imperium coram Michaele ejuſdem monaſterii advocato. Nam nonnullæ noſtri regni Eccleſiæ inſtar Germaniæ advocatos habebant; ut ex Tabul. ejuſdem monaſt. eruitur nuper edito.

Digitized by Google

runt, *vel etiam ipſi privati poſſeſſores iniquitate temporum poſſum. dati præſidii cauſſa ſe* , *& ſua prædia potentioribus addixerunt* , *& libertatis damno patrocinium redemerunt* (*k*). In ſervos agriculturæ præſertim vacantes , in eos qui cenſuarii annuatim penſionibus obnoxii ſunt, hac juriſdictione fruebantur , quæ *fundalis* ſæpe dicitur, cujus fines ſunt actiones perſonales, reales, petitoria, & poſſeſſoria exercendi; vel ſtatuta georgica condere, ſcabinos ad hæc mittere, citare, coercere; modo minor, modo major.

Nonnulli hac non contenti a Principe bannum ſanguinis, ſeu merum imperium jure feudi impetrabant, ut in graviora crimina animadvertere poſſent, eamque præcipue ſeculo XIII. in alios vel venditionis , vel pignoris vel feudi pacto , aut ſucceſſionis transferre moris erat; hinc *feudum juriſdictionis*, quod ex pœnarum lucris vivebat, Ruder. *diſſer. de feud. juriſdict.* §. 8., Heinec. *exerc. 6. de orig. atque ind. juriſd. patri.* Hodie hæc patrimonialis juriſdictio in Gallia, & Germania, & Polonia ſervatur, Longoval. *ad l. imperium D. de juriſd. par. 4. num.* 258., *& par.* 3. *n.* 92. *baſſa vero* (juriſdictio) *quæ domino ſoli*, *villæ*, *vel vici competit ad tutanda tantummodo jura*, *quæ a ſubditis annuatim ei penduntur*: *quam ſonceriam a fundo conſuetudines provinciarum plerumque denominant*.

§. XXV.

(k) Sæpe etiam ex Principis conceſſione Seniores, & Domini hoc jure utebantur, ut Ludovicus Pius, Hiſpania a Mauris occupata, Hiſpanis, qui in Narbonenſem provinciam confugerent dedit, ſicut ex ejus diplomate apud Jan. a Coſta *ad cap. 5. lib.* 11. *tit.* 1. *decret. Si quiſpiam illorum in partem illam*, *quam ille ad habitandum ſibi occupaverat*, *alios homines undecumque venientes attraxerit*, *& ſecum habitare fecerit*, *in portione ſua*, *quam aprisionem vocant.*, *utatur ſervitio illorum abſque alicujus contradictione*, *vel impedimento*, *& liceat illi eos diſtringere ad juſtitias faciendas quales ipſi inter ſe definire poſſunt*. Hic *apriſio* eſt idem ac aperitio terræ , ruptura, novalia. Baſſa autem datur juriſdictio.

§. XXV.

De juriſdictione Capite minuta.

VEtera legenti monumenra conſtat, juriſdictionem moribus gentium, & jure ſcripto a regulis juris Rom· plurimum diſceſſiſſe; quæ mutatio a barbarorum inundatione, Interpretibus, & juris canonici cellulis orta eſt. Hinc tot juriſdictionis gradus, nempe parva, minor, minima, magna, major, maxima; officium nobile, officium mercenarium, Muret. *de juriſdict.*, P. Greg. *Syn.* 47. 21. 10. Jure rom. jnriſdictio non eſt in commercio, merum imperium mandari nequit, cohæret perſonæ, non rei, nec præſcribi valet *l.* 1. §. 1. *D. de off. ejuſd.*, Byncker. *quæſt. jur. publ. cap.* 12., Wiſenbac. *ad tit. D. de juriſd.* 16. Verum a multis retro ſeculis conſideratur uti quid patrimoniale, caſtro, & prædio cohæret, ſimul cum re principali obligari poteſt, vendi, donari, oppignorari, *tamquam hereditarium pecus, & ovile*, ut loquitur Alciat. *ad l. imperium D. de juriſd. n.* 100., vel in feudum dari; ad univerſales, vel particulares Ducum, Comitum, vel nobilium jure aut legati, aut ſucceſſionis heredes transfertur. Pro ea tamquam re incorporali competit actio confeſſoria, & negatoria; interdicta uti poſſidetis, retinendæ, vel recuperandæ poſſeſſionis, contra eos, qui juriſdictionem nobis vel turbant, vel auferunt, A. Matth. *de jure Glad. cap.* 5., *& de nobilit. lib.* 11. *cap.* 23., Voet *ad tit. D. de juriſd. n.* 45., Gudelin. *de jur. nov. lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 7., P. Greg. *Syn.* 32. 9. *n.* 4., Oſuald. *ad Donel. lib. XVII. cap.* 8., Gaſp. Manzi. *dec. palat. quæſt.* 97. *n.* 6.

Merito itaque Joa. Bodin. *de Republ. lib.* 3. *cap.* 5. advertit, *in imperio duces, comites, marchiones, & qui arces provinciarum habent a principe, juriſdictionem, ac imperium olim habuere precarium; deinde Capeti conceſſu perpetuum: tandem hereditario jure in maſculos tranſmiſſum: poſtremo etiam feminis conceſſum, tandem principum ignavia, ut imperia, juriſdictiones, poteſtates, perinde ac prædia ipſa, jure commerciorum in omnibus fere occidentis regionibus, ac imperiis ſub haſta proſcribere liceat: ut eodem jura, quo ceterr hereditaria, venaliaque bona habentur. Hæc igitur juriſdictio, quæ, quod prædiis cohærere videtur, nec tamen cohæret prædiatoria dicitur.* Quemadmodum Hebræorum lege omnia officia

Digitized by Google

cia jure hereditario poſſidebantur, *ut ſemper decedenti patri ſuccederet filius, modo paternæ virtutis etiam hæres eſſet: quæ ſola fuit ſpectata, non præcipue peritia rerum*, teſte Schickard. *de jur. reg. hebr. cap. 6. theo. 20.*

Si itaque juriſdictio eſt in commercio, adquiri poteſt præſcriptione; quæque ſi cohæret prædio, vel caſtro, uti res immobilis X. an. inter præſentes, XX. inter abſentes ſatis ſunt, ſimul cum titulo, & bona fide. Leges enim Romanæ quæ de patrimoniis, eorumque adquiſitione loquuntur, recte huic applicanaur. Verum ſi agatur de ſummi principis juriſdictione, tunc tempore cujus neſcitur memoria, indigemus, ut ſupra dictum eſt, Geor. Hahn *diſp. de præſcrip. bon. princ. cap. 3. n. 46.*, Paurmei. *de juriſd. lib. 1. cap. 23. n. 27.*, Quintanad. *de juriſd. lib. 2. cap. 31.*, ſive ſimplex fuerit juriſdictio, ſive merum imperium, cujus teſſera in Germaniæ provinciis erat ſanguineus clypei color ſupremam in territorio juriſdictionem oſtendens P. Ludewig. *lib. 1. jur. publ. opuſc. 4. cap. 10. lit. h.*

Moribus quoque gentium, prætermiſſa juris Rom. diviſione, juriſdictio in altam, baſſam, & infimam diſtributa videtur, Longoval. *loc. cit.* P. Greg. *loc. cit. n. 12.*, & omnes mediæ ætatis chartæ. Quæ diviſio non ab Oltrado, qui floruit *an.* 1310. ſub noſtro Roberto, neque a Durando, qui an. 1250., Panciro. *de Cla. LL. Interp. lib. 11. cap. 52.*, *& lib. 11. cap. 14.* inducta eſt, ſed multis retro annis, Vetus charta apud Roye *lib. 11. de jur. honor. cap. 4.* an. 1146., in qua Gaucherus de Caſtellione, inquit, *imo do eis omnem cenſum meum, & homines, quos habeo apud Caſtellionem, & macellum, cum omni jure macellarii, & omni juſtitia, alta, media, & baſſa, per totam terram, & dominium eorum.* Et nata videtur ex majori, vel minori juriſdictionis delegatione; alta Miſſi dominici, Dux, & Comes; media centenarii; infima (quæ eſt ſimplex notio) minores judices fruerentur, Conf. Roye *de miſſ. dom. cap. 6.*

Digitized by Google

T I T. XIII.

De Vaſallitica juriſdictione regni Neap.

§. XXVI.

De Juriſdictione regni a Nortman. ad Svevos.

NObiliſſima Italiæ pars eſt regnum Neap., quod primum a Longobardis feuda cognovit, & triplicem exercuit jurisdictionem, *regalem*, *ducalem*, *Epiſcopalem*, excepto Ravenn. exarchatus juriſdictione, qua græci fruebantur, donec Aiſtulfus adquiſiviſſet. Ducibus provincia, ut dux beneventanus, forojulien., ſpoleta., Taurin., civitas, comiti, qui alios minores judices, nempe Scabinos, Schuldaſios, graviones conſtituebat, concredita erat; omnes tamen Regi ſubjecti, Anonym. *in Tab. Geogr. ſect. VII.* Epiſcopos feudis, atque allodiis Longobardi Principes, Nortmanni, & ſucceſſores ditarunt, ut crebro dictum eſt, & inſtar ducum Civitatibus temporali dominio præerant, & juriſdictione.

Inter ceteros Longobardorum ducatus eminuit Beneventanus, qui univerſas fere regni complectebatur provincias, cumque Comites, & Gaſtaldi in ſingulis provinciis adminiſtrabant, qui adventu Nortmannorum exoleverunt. Nam Rogerius I. in provinciis juſtitiarios creavit, Romuald. Salern. *in Chron. ad an.* 1133., de eo narrat, *pro conſervanda pace camerarios, & juſtitiarios per totam terram inſtituit; malas conſuetudines de medio abſtulit;* infra dicam.

Antequam Rogerius monarchiam inſtituiſſet, Comites, & barones ſuas dynaſtias tamquam reguli regebant; nam nemo ſine eorum licentia piis locis quid relinquere vel donare poterat, quod *amortizatio* dicitur. Goffridus Comes Andri. an. 1107. apud Ugel. *tom. 7. It. ſa. p.* 805. plura concedit Epiſcopo Montis Viridis, *judicia hominum de Eccleſia faciat Epiſcopus, præter criminalia, quæ mortem inducunt, illa vero ſerventur Curiæ noſtræ. Homines, & mulieres de Monte Viridi liberam habeant poteſtatem donandi, commutandi, vendendi, locandi bona ſua Eccleſiæ mobilia, & immobilia,*

lia, & innuit Conſt. *prædeceſſorum lib.* 3. 29. Homines in ſuum patrocinium ſuſcipiebant, quod dicimus *affidare*, idcirco annuus cenſus, vel quid aliud eis donabatur, Charta Wilhelmi Regis apud Ugel. *tom.* 7. *p.* 725. *an.* 1172.

Vectigalia, tributa, ſervitutes civibus imponebant: Goffridus Comes Cannarum *an.* 1105. dedit Epiſcopo Cannenſi Caſale S. Caſſiani, cum laicis, clericis, & juriſdictione, poteſtate affidandi homines, ſalinas, terras, vineas, Caſale S. Mercurii, & S. Nicolai de Baldetta apud Ugell. *tom.* 7. *p.* 790. *concedimus itaque ut nos, noſtrique heredes, vel ſucceſſores, ſeu exactores non habeamus poteſtatem minuendi, exigendi, inquietandi, auferendi, vel imponendi aliquod ſervitium, tributum, collectam, decimam, adjutorium, reditus vel aliquod onus ſervitutis ſuper Caſalia, & homines, & res eorum, & ſuas, nec agendi, vel movendi quæſtionem adverſus immunitates niſi ſint publici homicidæ, vel noſtri proditores in curia ipſius matricis Eccleſiæ Cannarum, & teſtes idonei comprobati capiantur, eorum vero bona, & ſtabile, & mobile, quod habuerint, in dominio ipſius matricis Eccleſiæ deveniant* (*l*).

Decimas non modo de rebus immobilibus, ſed & mobilibus exigebant; ut docent querelæ civium apud H. Falcand., dum Joannes de Lavardino oppidanos ſuos tot afflixit injuriis, *ut omnium rerum mobilium, quas habebant, mediam partem exigeret: hanc enim eſſe ſuæ terræ conſuetudinem aſſerebat juxta Galliæ conſuetudinem, quæ cives liberos non haberet*, etſi ſub Monarchia id contigiſſet. Neque Comitibus dumtaxat jus erat in ſuorum civium bona, ſed cum prædiis modo Eccleſiiis, modo privatis, ſimulque cum uxoribus, filiis, ſive laici, ſive clerici eſſent donabant, ut ex Leo. Oſtien. paſſim conſtat.

Nemo ſine eorum licentia ad ordines promoveri poterat: docet di-

(l) Tancredus Comitis Willelmi Filius *an.* 1104. apud Pirr. *tom.* 1. *p.* 619. Eccleſiæ Syracuſa. concedit *poteſtatem vendendi, & emendi, & piſcandi, & venandi, ſine ulla exactione, pecuniæ, vel cujuslibet ſervitii planam terram, vel montanam, ad paſcenda, & ducenda, ac reducenda animalia ſua, ad ſumenda ligna & herbas, & petras ad omnia ſibi neceſſaria.*

Digitized by Google

diploma ejuſdem Goffridi *loc. cit.*, *quicumque etiam optat fieri clericus, abſque noſtra, & noſtrorum ſucceſſorum licentia fiat libere, & quiete*. Alia idem diploma recenſet jura, *Concedimus iterum, ut eadem matrix eccleſia Cannarum plenam poſſideat omnium rerum tuarum, & tuorum hominum vendentium, & ementium, tam in Cannis, quam foris, & in caſalibus ubicumque poſſideat etiam omnium ſuorum hominum artagium, ſutrum terrarum, calnarum, venientium ad laborandum cum ſua affidatura. Ita ſi non laboraverint de terris noſtris, ſed ſi de noſtris, & de ſuis laboraverint eidem Cannenſi matrici Eccleſię affidaturæ detur medietas, & medietas reliqua nobis tribui, poſſideat etiam ſutrum petitionum ſalarium ſua maria piſcantium*. Alia tributorum genera narrat Falco Benev. *in Chron. ad an.* 1122. Jus quoque ſuccedendi in bona vacantia, ut diplomate Roberti principis Capuani *an.* 1128. pro Monaſterio M. Caſin. apud P. Diaco. *lib.* 4. *cap.* 96., ubi Abbas de Nuce.

Erecta a Rogerio Monarchia quiſque Comes, & Baro, civitátes, oppida, & territoria, quæ jure allodii poſſiderit, a Rogerio jure feudi recognoſcere cepit, nec amplius *mero imperio*, uti poterat, quod penes Juſtitiarios provinciarum reperiebatur. Nam jure Rom. in civitatibus, & municipiis erant *defenſores*, quibus reorum ad Præſides mittendorum cura, de minoribus cauſſis cognitio, actorum confectio, ſervorum publicorum perſecutio data erat, *tot. tit. C. de defenſ. Civit. l.* 5. *C. de ſerv. fugit.*, Berter. *Pithan. diatr.* 1. *cap.* 10., non defuerunt pagorum Præpoſiti *l.* 2. *C. de ſuſcept. & præpo.*, quos Sicul. Flacc. *lib. de cond. agr.* pagorum *magiſtros*, Iſid. Peluſ. *lib.* 1. *ep.* 91. Πάγαρχοι appellant. His civitatum defeſſoribus in regno *ballivi* ſubrogati ſunt Conſt. *officiorum lib.* 1. 61., quorum juriſdictio civilis, & baſſa erat, eaque ſimul in feudorum inveſtituris concedi ſolebat; ſicut in Gallia conſuetudine invaluit, Clientes, & beneficiarios baſſam exercuiſſe juriſdictionem, ſeu juſtitiam, & jus colonarium, ſaltem ad feudi ſui conſervationem, Roye *lib.* 2. *de jur. bonor. cap.* 6., Alteſer. *de orig. feud. cap. XI.* Verum de his balliv. infra.

Legibus igitur Nortmannorum nihil fere datum eſt baronibus, præter *adjutorium*, ſuadente neceſſitate, a vaſallis petendum; ſuſpicari tamen poſſimus priſtina jura non prorſus amiſiſſe, præſertim ſub Rogerio, qui eorum laboribus regnum adquiſivit; & Gulielmo, cujus regimen ſeditionibus gravidum extitit. At cum barones in exigendis adjutoriis nimium opprimerent, Gulielmus I. in

Digitized by Google

in Conſt. *quamplurium lib.* 3. 20. caſus in quibus peti poſſent, decrevit.

Et primo ſi comes, vel baro *ab hoſte fuerit redimendus*; ſecundo *pro adſcribendo militiæ filio*, vel fratre, vel nepote Barth. de Capua *ad d. Conſt.*, Freccia *de ſubfeud. lib.* 2. *auct.* 2. *num.* 12., licet Wilhel. de filio tantum meminerit, receptum tamen apud nos eſt, ut etiam de fratre, & nepote intelligatur. Tertio *pro collocanda filia*, *vel ſorore*, vel filiabus, nepte, & amita (*m*); etſi Comes eodem anno duas filias nuptui tradat, duplex nihilominus valet petere adjutorium, quum major ſit ratio, nempe indigentia Comitis, qua magis deprimitur, dum duas filias eodem anno collocet. Neque obſtat *d. Conſt.* loqui de filia & ſorore; nam Frid. II. in conſt. *comitibus* dixit *ſororibuc*, & Carolus II. peculiari lege has conſtitutiones ad amitam, & ſororem patris extendit, & prudentibus regni ita ſedit, exemplum præbet de Franch. *deciſ.* 206., 73., & 315., Capibl. *de Bar. pragm.* 1. *num.* 84. Eadem eſt obligatio Vaſallorum, & jus baroni, ſi ejus filia, ſoror, vel amita velit ſe Deo dicare, Franch. *dec.* 42. Quarto *pro emenda terra*, ſi nempe pro Regis ſervitio, ejuſque exercitus commodo, quod Willel. *corredum* appellat, utilis exiſtimaretur, a quo nullus jure Rom. eximebatur *l.* 10. & 11. *C. de Ss. Eccl.*, Roſent. *cap. V.* 76.

Hæc Nortmannica ſanctio in plurimis hodie Europæ ſervatur pro-

---

(m) Exemplum affert Guliel. Appul. *lib.* 3. de Roberto, qui dum Azoni Marchioni Lombardo ſuam filiam nuptui traderet, a ſuis baronibus adjutorium exegit

Cunctis, conjugii quæ poſtulat ordo peractis,
Sollicitat comites Dux, & quoſcumque potentes
Dona petens læti, quibus & vir & uxor abire
Donati valeant. ——————

Quodlibet auxilium dederant: Communiter illi
Omnes triſtantur, quaſi vectigalia poſci
A duce mirantes, ſed non obſtare valentes
Et mulos, & equos, diverſaqae munera prabent.

Digitized by Google

provinciis; & nunc apud Gallos, *libertis, quos manus mortuas vocant, pecuniam imperant, patroni, ut filias honeſtius collocare poſſent, quod a Romanis apud nos permanaſſe credibile eſt*, inquit, Bodin. *de Republ. lib.* 1. *cap.* 7., Lege enim Romuli clientem aliquid in filiæ patroni dotem conferre ſtatutum eſt, Halicar. *lib.*2. Neque beneficiariis tantum hæc competit facultas; ſed & Regibus, ut capto ab Anglis Jacobo Scoto, a Scotica gente, tam in Eccleſiis, quam laicis bonorum viceſima pro ſua redemptione ſoluta eſt(*n*). Britanni, ut Richardum regem ab auſtrico duce eximerent, pateram auream vendiderunt. Eduardo I. Angliæ regi pro ſui filii militia, a populo, & clero erogata eſt pecunia, Choppin. *de Dom. franc. lib.* 3. *tit.* 4. *num.* 10., Alteſer. *de ducib. lib.*2. *cap.*2. Caligula pro filiæ nuptiis collectam a populo recepit, Sveto. *in ejus vit. cap.* 42., ſicut & Frid. II., P. de Vine. *lib.* 5. *cap.* 16. & ſupra dictum eſt.

Tranſit Gulielmus ad Prælatos, qui in capite feuda tenent, & hos conſtituit caſus; nempe *pro conſecratione;* vel ſi *ad Concilium vocatus eſſet;* aut *pro Regis ſervitio ad exercitum pergeret; ſi Rex in ſua diœceſi & feudo hoſpitari contigerit;* quod *jus metatus* nuncupatur *tot. tit. C. de Meta.*, a quo nemo fere Prælatorum eximebatur, qui Reges, Duces, & Miſſos Dominicos recipere, atque hoſpitari debebant, Thomaſi. *de V. & N. E. D. par.* 3. *lib.* 1. *cap.* 39. *Si ad aulam Regis vocaretur*; aut Rex *ſuum legatum exearet*. Hæc tamen ſubventio *moderate*, ut loquitur *d. Conſt.*, a Barone laico, vel eccleſiaſtico petenda eſt, neque Vaſallus eam præſtare cogitur, ſi baronis reditus ſolvendo ſufficiant Rolent. *cap. V.* 79.

§. XXVII.

(n) Tertio a Vandalis Lutnotto Rex Daniæ captus, exhauſto ærario, *Feminæ locupletes in regno regiam ſortem commiſeratæ, ipſæ de ſuis ornamentis aurum contulerunt pro illius redemptione. Qua pietate commonitus Rex jam redemptus, legem de ſucceſſione feminarum (quæ iniqua pridem illis erat) maribus exæquavit*, ſcribit Krantz. *lib.* 2. *Vandal. cap.* 33.

Digitized by Google

§. XXVII.

De Juriſdictione Baronum a Svevis ad Aragon.

BAronum, & comitum poteſtas etſi ante Svevos ſumma fuiſſet; nunquam tamen merum imperium habuerunt. Svevi enim regalis juriſdictionis acerrimi judicantur defenſores. Conſt. *ea quæ ad ſpeciale decus lib.* 1. 49. Conſt. *cum ſatis lib.* 1. 50., in quibus Imp. *ſuæ celſitudinis merum imperium* appellat; quod a provinciarum juſtitiariis, & M. juſtitiario M. Curiæ a Gulielmo inſtitutæ præſidente exercebatur, cui omnes ſuberant juſtitiarii, meritoque Frid. II. in Conſt. *honorem debitum lib.* 1. 41. *luminare majus* dixit. M. Juſtitiarii de feudis, civitatibus, caſtris, Baroniis, quæ ſunt feuda quaternata, de crimine læſæ majeſtatis, perſonarum miſerabilium cauſſis, appellatione, Curialium litibus, cognitio erat, Conſt. *ſtatuimus, ut magnæ lib.* 1. 38., Conſt. *præcipimus lib.* 1. 39., Conſt. *magnæ Curiæ lib.* 1. 40., Conſt. *magiſter juſtitiarius lib.* 1. 42., & Robert. *in cap. nobili viro*, Scip. Ammir. *tom.* 1. *fam. Neap.*

Provinciarum Juſtitiarii de latrociniis, magnis furtis (hoc eſt ultra 20. Auguſtales) incendiis, uti mulieribus illata, feudo non quaternato, duellis, arboribus cœſis, armis, defenſa, cognoſcebant, Conſt. *juſtitiarii nomen lib.* 1. 44., & Frid. II. ſcribit Juſtitiario apud P. de Vine. *lib. V.* 3. *Sequitur etenim, quod dum maleficiorum exceſſus hujuſmodi juſto Præſidis rigore non ſtringitur, vitioſa ſibi jam pœnæ remiſſio nutritiva ſit criminum & facinoroſis ex hoc enormis creſcat audacia*, And. *in d. Conſt.* 44., Alderiſ. *tract. de Aſſiſt. q.* 25., & eleganter Regina Joanna 1. in capp. quæ pro regni tranquilitate edidit.

Bajulorum juriſdictio patriis legibus ſatis conſtituta eſt; porro omnis cauſſa aut civilis, aut perſonalis, realis, magna aut parva ad eorum cognitionem pertinebat Conſt. *locorum bajuli lib.* 1. 65., de damno dato in rebus allodialibus, furtis minimis, ponderibus, menſuris, rapinis, quas Gabelloti, foreſtarii, & platearii committebant; de jure dohanæ, platearum, paſſus, tumuli, macelli, gabellæ, aditione hereditatis, tutelarum datione, de pretio rei feudalis, de cautione damni infecti, an vaſallus ſit de demanio Regis, vel baronis Conſt. *Magiſtri Camerarii lib.* 1. 63., Conſt. *ad officium bajulorum lib.* 1. 67., Conſt. *auctoritatem lib.* 1. 79., Conſt. *animalia*

Digitized by Google

lia in vineis lib. 3. 56., Conſt. *cum per partes apuliæ lib.* 3. 51., Tappia *lib.* 2. *jur. reg. tit.* 37., Capibl. *de Bar. pragm.* 8. *part.* 1. *num.* 353., Rovit. *ad pragm.* 1. *de offic. Bajul. num.* 40., Rendel. *de Paſc. par.* 1. *cap.* 10. Ex quibus conſtat, bajulos eſſe judices ordinarios, mixtum imperium exercentes; atque hodie eorum juriſdictio nihil fere diminuta eſt, imo in aliquibus regni univerſitatibus aucta, ut bajulus Conſentiæ, Catanzarii, Neapolis, Gajetæ, Litii antiqua utuntur juriſdictione, quam & conſuetudo porrexit, Rendel. *loc. cit.*, Luca ad Franch. *dec.* 397., Ageta ad Motes §. 9.

In Legibus denique Sveuorum, atque Andegav. nihil juris Baronibus conceſſum eſt, præter ſubventionem a Gulielmo inductam, quam Frid. II. in Conſt. *Comitibus lib.* 3. 20., & Carol. II. *in cap. Comites, Barones, & Feudatarii*, & *cap. item ſtatuimus, quod Comites, Barones*, retinuerunt, quam etſi legibus ſine regis conſenſu exigeret potuerint; hodie autem Regis opus eſt aſſenſu, ne baro in jure proprio judicet, & vaſſallus opprimatur, Cam. de Curte *in div. par.* 1. *cap.* 3. *num.* 155., & nunc explorati juris eſt, ut quinque caroleni pro ſingulis focularibus ſolvantur; verum ſi focularia creſcant, vel baro plures terras, ſeu feuda poſſideat, minus debetur; aut ſi filia monaſterio includitur, ſnbventio minor erit, quia minori indiget dote, nec, niſi peracta profeſſione, præſtatur, Novar. de Grav. *Vaſ. VI.*, Franch. *dec.* 42. *num.* 3. Capibl. *de Baron. pragm.* 1. *num.* 103. Præterea Carol. I. *in cap. Terrerii* Baronibus inhibuit privato uti carcere, quæſtiones, vel injurias vaſallis inferre, defenſam imponere, homines regii domanii ſuſcipere, Barth. de Capua *ad d. cap.*, & Frid. II. *in ſua apolog. adver.* Greg. IX. apud Goldaſt. *tom.* 2. *Conſt. imper. p.* 79. *Hos fatetur Imperator ſed ad dominia ſua revocaſſe, ſecundum formam generalem Conſtitutionis regni, per quam Comites, & Barones, & omnes de regno homines de demanii revocant, ubicumque eos invenerint, ſive in terris Eccleſiarum, ſive in Civitatibus ipſius Imperatoris.*

De juris gladii conceſſione nihil cogitatum eſt, & merito; feudi enim indoles, & ſummi principis auctoritas abhorret, beneficiariis criminalem communicare jurisdictionem, quæ ne filii quidem Regum dari ſolebat, *ut cum Carolus primus cum dediſſet civitatem Salerni filio ſuo unigenito cum titulo principatus cum nonnullis terris, & civitatibus, Ravello, Amalphia, Surrento, Nuceria, Sarno, & aliis præclaris oppidis, juriſdictionem tantum*

ci-

civilem in his civitatibus conceſſit; verum in civitate Salerni criminalem jurisdictionem etiam aſſignavit intra circuitum tantum murorum dictæ civitatis, & non ultra. Et hoc propter titulum ſuæ dignitatis; Frecc. *de ſubfeud. lib.* 2. *auct.* 2. *n.* 2.

Quæſitum a noſtris prudentibus eſt, quis primus merum imperium conceſſerit baronibus? Capibl. *de Bar. pragm.* 8. *par.* 1. *n.* 66. tribuit Reginæ Joannæ II., Conſtanti. *Hiſt. Neap. lib.* 6. Roberto. Mihi ſedet, Alphonſo I. aragonenſi, qui cum in Sicilia regnaret, & jure adoptionis a Regina Joanna II. regnum obtinuiſſet, morem ex ea inſula apud nos ferre poterat. Ante Alphonſum Siciliæ barones merum imperium poſſiderunt, & *in Cap.* 47. Regis Martini mentio juris gladii ſatis occurrit. Neque ex legibus Andega. eruitur, hoc baronibus competiiſſe; imo interdicitur, ut Regina Joanna I. *in cap. item quod juſtitiarii* prohibet baronibus merum imperium exercere, quod Juſtitiariorum erat.

Hujuſmodi Baronum poteſtas magnopere quatuor litteris arbitrariis deinde aucta apud nos celeberrimis, quas Robertus Caroli II. filius primum ad provinciarum juſtitiarios direxit; eaſque arbitrarias nuncupavit, quia jure precario permiſit, & religioni judicantium aut quæſtione, aut inquiſitione, aut accuſatione; rigore, clementia, vel compoſitione procedendi reliquit. Vetuſtior eſt *in cap. juris cenſura an.* 1313. condita, qua ſanxit, ut ſine ſtrepitu judicii, juris ordine non ſerevato, Capitaneus Neapolis, & Puteolorum, cui commiſſit, procederet in inquiſitione, non autem condemnatione; quum nemo inauditus erit condemnandus, ſed vel citetur, vel apprehendatur, S. Aug. *de C. D. lib.* 1. *cap.* 19. *Vos appello, leges, judiceſque Romani. Nempe poſt perpatrata facinora, nec quemquam, ſceleſtum indemnatum impune voluiſtis occidi*, Apul. *Mileſ.* X. Secunda incipit *proviſa juris ſanctio* Juſtitiariis miſſa, qua ſtatuit; ſpretis ſolemnitatibus, publicos latrones in viis, domibus, mari furantes, alioſque graviorum criminum reos omni tempore, etiam paſchatis, poſſe condemnari, aut torturæ ſubjici, vel fidejuſſores recipere, uti Juſtitiario lubet.

Tertia eſt *in cap. exercere volentes*, quæ jubet juſtitiæ miniſtros pœnas cum multis, ſeu pecunia permutare, vel commutare poſſe, non in cunctis criminibus, ſed ſtatutis, puta armorum aſportatione, homicidiis clandeſtinis; aut ſi quis ante litis conteſtationem, vel poſt, ab accuſatione deſtiterit, & quæ ſunt, arbitrio ju-

Digitized by Google

judicantis relictæ. Proinde injuſta eſt nonnullorum accuſatio; qui Robertum arguunt, ut ſuum fiſcum locupletaret; nam Robertus non in omnibus, ſed in certis tantum criminibus, præſertim ubi *paupertas* ſuadet, permutationem voluit. Ultima eſt *in cap. ne tuorum an.* 1329. a Jo. Crillo Barth. de Capua ſucceſſore ſcripta, & ſtatuit, de injuria perſonæ Eccleſiaſticæ, pupillo, viduæ illata, homicidiis clandeſtinis, aut crimine, cujus pæna eſt mors civilis, aut naturalis, vel membri abſciſſio, ſine querela, & accuſatione miniſtros procedere poſſe.

Hæc Roberti Capitula ſub Aragonenſibus inveſtituris feudorum inſeri ceperunt, clauſula *cum mero mixtoque imperio;* hinc M. Curiæ Vicariæ, & noſtri Regis poteſtas, peſſumdata eſt, & barones tanquam Reguli in ſuis dynaſtiis regali uterentur (*o*) juriſdictione.

(o) Idcirco Carolus VIII. baronibus adimere decrevit, ſed brevitate regni exequi nequit, Choppin. *de dom. franc. lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 10.

Digitized by Google

T I T. XIV.

De juriſdictione Baronum ab Aragonenſibus ad noſtra uſque tempora.

§. XXVIII.

De jure Silveſtri.

UNiverſam Baronis poteſtatem, & officium ſive criminalis fuerit, ſive civilis a quinque fontibus ſcatere cognoſco, *a jure ſilveſtri*, *jure aquarum*, *naturali civium libertate*, *juribus perſonalibus*, *atque juſtitiæ adminiſtratione*. Jus ſilveſtre illud appello, quod Baro in montibus, ſilvis, & terris ſterilibus habere poteſt; & venatione, aucupatione, & jure paſcendi componitur. Supra enucleatum eſt, in civitatibus, atque oppidis, domanium baronis, & Univerſitatis reperiri. Baronis domanium ſunt montes, ſilvæ, paſcua, nemora, collectæ, territoria, molendina, aliaque bona, quæ domanialia feudi vocamus; & dividuntur in *intrinſeca*, ut ſunt fida, diffida ballivia, maſtrodactia, aliique reditus civiles, & incorporales, qui in quinternionibus Regis, a quo tenet, deſcribuntur; & in his Univerſitas nec uſum, nec ſervitutem habet. *Extrinſeca*, ut herbagia, planities, montes, nemora, quæ beneficiario adhærent prædio, illudque conſtituunt; in iſtis vniverſitas uſum, commoditatem, & jus paſcendi poſſidet, ne ſua exhaurirentur domania, Borrel. *de edict. Magiſt. lib. IV. cap. 6.* Nunc videndum quænam ſit Baronis poteſtas tam in domanio feudali, quam univerſitatis.

Prima itaque juris ſilveſtris pars eſt *venatio*, quæ eſt modus adquirendi juris gentium, diciturque *occupatio*, proinde omnibus permiſſa; igitur baro nequit vaſallis eam prohibere ſive in propriis prædiis, ſive in territorio feudali, licet inveſtituræ adjecta fuerit clauſula *cum venationibus*, quia venatio non eſt in toto regno *regalia*, ſed in illis tantum locis, in quibus Princeps

ceps ſibi reſervavit; in reliquis manet jus gentium, hoc eſt naturalis venandi libertas. Rex igitur dum concedit caſtrum vel territorium *cum venationibus*, *cum regaliis*, infeudatio erit intelligenda, ſi in eo regalia, & jus prohibendi venationem fuerit; quum in omni inveſtitura vel beneficiaria, vel allodiali tacite inſit clauſula, *alienis juribus ſemper ſalvis*, quibus Princeps nocere non præſumitur, nec jus quæſitum ſubditis aufert, niſi publica neceſſitas, & utilitas ſuadeat, Grot. *lib. II. de jur. B. & P. cap.* 14. *n.* 7. Byncker. *quæſt. jur. publ. cap.* 15. Strych. *tom.* 3. *diſp.* 1. *cap.* 3. Mor. *tract. de jur. venan. par.* 1. *cap.* 2. *n.* 52. Lanar. *de Rovit. pragm.* 1. *de Bar.*

Nihilominus ſæpe Baro venationem vetare poteſt (1) ſi quem locum ſibi reſervaverit, aut ut ſolus ibi venetur, aut ut ſe oblectaret, Columel. *in præf. lib. IX. de R. R. mos antiquus lepuſculis, capreiſque, ac ſimilibus feris juxta villam plerumque ſubjecta dominicis habitationibus ponebat uivaria, ut & conſpectu ſuo clauſa venatio poſſidentis oblectaret oculos, & cum exegiſſet uſus epularum velut e cella promerentur*. Exemplum dat Romual. Saler. *in chron. ad an.* 1153., qui de Rogerio ſcribit, *ne tanto viro aquarum, & terræ deliciæ tempore ullo deeſſent, in loco, qui Fabara dicitur, terra multa foſſa, pariter & effoſa, pulchrum fecit vivarium, in quo piſces diverſorum generum de variis regionibus adductos juſſit immitti. Fecit etiam juxta ipſum vivarium pulchrum ſatis, & ſpicioſum ædificari palatium. Quoſdam autem montes, & nemora, quæ ſunt circa Panormum, muro fecit lapideo circumcludi, & parcbum delicioſum ſatis, & amænum diverſis arboribus inſitum, & plantatum conſtrui juſſit, & in eo damas, capreolos, porcos ſilveſtres juſſit includi*.

Excidio enim imperii Rom. in Germania, aliiſque regionibus inductum eſt jus foreſtare, quo nemo, niſi princeps, comes, vel baro, vel nobilis uti poterat, & ſub clientelæ pacto concedebatur; Otto III. *an.* 988. regium bannum in ſilvis circa Wimpinam urbem Epiſcopo Wormatienſi largitus eſt, *ut nulla dehinc perſona parva, ſive magna aliquam feram, vel beſtiam ibi venari, vel capere, vel inſequi præſumat ſine licentia ſuperius dicti Epiſcopi, ſive ſucceſſorum ejus*, Heinec. *Elem. jur. Germ. lib.* 2. §. 54. *in no.* In his locis non modo venari cuique vetitum eſt, ſed ne ſimulata quidem voce feras allicere ut exeundo interficiat, ſecus lex eluderetur; ſicut nequit quis colum-

 baria

Digitized by Google

baria millio, lenticula, & cibis diffundere, ut alias attrahat columbas, retineatque, Capibl. *de Bar. prag.* 14. 86. *to.* 2., Rendel. *de Columb.*

(2) Si baro jus hoc præſcripſerit, videlicet ſolus in quadam ſilva venatus fuerit *l.* 7. *D. de diverſ. & temp.* Cavendum tamen: ſi baro contra baronem velit præſcribere venationem a ſupremo principe recognoſcendam, xxx. an. opus eſt 11. *f.* 26. §. *ſi quis per triginta*, quia lege Longobardorum res non feudalis, xxx. an. jure feudi poſſeſſa, feudalis evadit, modo ſervitium præſtiterit. Venatio reſpectu præſcribentis, non erat res feudalis; verum hac temporis diuturnitate in feudum tranſiit. Si tamen baro contra baronem velit præſcribere non jure feudi, ſed pleno dominio, vel quaſi, tunc x. an. inter præſentes, xx. inter abſentes ſimul titulo, & bona fide indigemus, & deficiente titulo, xxx. an. *l.* 2. *C. de ſervit. l. fin. C. de præſcrip. long. temp.* quia jus venandi, ſicut & paſcendi rebus immobilibus comparatur. Mor *loc. cit. par.* 2. *cap.* 2. *n.* 13.

(3) Quoties baro ex vaſallorum patientia poſſideat jus prohibendi, videlicet ſi edicto cavet, ne quis, ſe inconſulto, venatum eat, pænamque imponet, cui vaſalli obnixi non ſunt, Franch. *deciſ.* 158. ubi Luca, Roſent. *cap.* v. 27., quia vaſalli juri ſuo renunciaſſe cenſentur, Novar. *de gravam. vaſal.* 71. (4) ſi publica ſuadet utilitas, puta ſi cives premeret paupertas, nec agriculturæ vacare, ſed ex venationibus victum quærere vellent: plebs enim ruſtica ſi operi, & glebæ non occupatur, Reſpublica & annona inopiam, & ſeditiones patitur. (5) non exerceatur armis a lege vetitis, & tunc non venatio proprie, ſed genus armorum prohibetur Franch. *dec.* 180. ubi Luca *n.* 5., Rendel. *de Paſc. par.* 2. *cap.* 7.

Attamen qui in locis prohibitis venatur, feras, & aves ſuas facit, quia aer, in quo aves volant, & beſtiæ vagantur, eſt communis omnibus, nec feræ dicuntur pars fundi; lex interdicit venationem, non ferarum adquiſitionem; nam ſicut feræ ante prohibitionem erant nullius, ita eſt poſt; idcirco venator non tenetur interdicto quod vi, aut clam, Labeo *in l.* ul. §. 3. *D. quod vi, aut clam*; nec prohibitio domini, ne quis ſuum prædium ingrediatur, parit dominium ferarum, quas venator cepit, ſed actionem injuriarum adverſus capientem *l.* 13. §. ul. *D. de injur.*, nec dicitur furtum committere, quia feræ ubicumque ſunt, nul-

Digitized by Google

nullius ſunt *l.* 3. *de adqu. rer. do.*, ubi Giphan., Oſual. *ad Donel. lib.* IV. *cap.* 8., Mor *loc. cit. par.* 1. *cap.* 3. *n.* 23. Pæna, quam baro vel Rex imponere poteſt, non mors, ne ſtoica delictorum æqualitas admitteretur, ſed vel deportatio, civitatis amiſſio, damni ſegetibus illati, & arboribus, injuria domino, vel pæna pecuniaria, ſicut loci jubet conſuetudo, Stryck. *to.* 2. *diſp.* 12. *cap.* 3. *n.* 33. (*p*) Denique quod de venatione dictum eſt, idem de aucupio ſenſiendum, ſed mores gentium plurimum valent.

§. XXIX.

(p) Hinc male Rex Angliæ Guliel. II. capitalem impoſuit pænam ſi quis cervum regiæ venationis prehendiſſet, & proinde quinquaginta viros hac de re mactavit, quod D. Anſelmo tunc diſplicuit, Eadmer. *in Hiſt. Novo. lib.* 2. *quinquaginta circiter viri, quibus adhuc illis diebus ex antiqua anglorum ingenuitate, divitiarum quædam veſtigia arridere videbantur, capti ſunt, & calumniati, quod cervos Regis ceperint, mactaverint, manducaverint. Negant illi: unde ſtatim ad judicium rapti judicantur injectam calumniam examine igniti ferri a ſe propulſare debere. Statuto itaque die, præfixi pænæ judicii pariter ſub acti ſunt, remota pietate, & miſericordia*, ubi Seldenus, quod poſtea Edovardus I. abrogavit.

Digitized by Google

§. XXIX.

De jure paſcendi.

ALterum jus ſilveſtre eſt *jus paſcendi*, quod Baro in domanio feudali, vel univerſitatis poſſidere valet. Et primo regula juris; principem, dum feudale in domanio univerſitatis, cujus origo cum regnorum inſtitutione, nata eſt, domanium conſtituit, de uſu, & utilitate civium nihil detrahere intelligitur. Hinc Baro novas conficere Foreſtas, defenſas, aut clauſuras nequit, niſi Regis, univerſitatis, & vicinorum, qui paſcuorum fortę communionem habent, conſenſus interveniat *prag.* 1. *de Salar. eo.* §. 8. Ferdinandi 1. *an.* 1483. *pragm. XI. de Bar. Caroli V. an.* 1536., & ſanxit *lib. IV. Capp.* 42. RR. Franco, *ut quicumque illas* (Foreſtas) *habet, dimittat, niſi forte indicio veraci oſtendere poſſit, quod per juſſionem, ſive permiſſionem, domini Caroli genitoris noſtri, eas inſtituiſſet*. Imp. quoque Ludovic. *in lib.* 3. *LL. Longobar. tit.* 35. *l.* 1. comitibus interdixit, *ne ullam Foreſtam nouiter inſtituant, & ubi noviter inſtitutas ſine noſtra juſſione invenerint, dimittere præcipiant* ut juris anglici quoque eſt.

Nam nova foreſtarum inſtitutio parit jus fidæ, & diffidæ, ex quo percipitur vectigal, augetur juriſdictio, & ratio, & commoditas privatorum & Fiſci opprimitur, & licet Regi in ſuis domaniis novas foreſtas conſtituere, aut antiquas extendere permittatur; noluit tamen, ne ſuorum fidelium uſus & utilitas in paſcuis, & nemoribus impediretur, Carol. I. *in cap. magiſtri foreſtarum*, Carolus II. *in cap. item ſtatuimus, quod ad hoc, & Cap. illa quidem*. Carol. I. in cap. *item boves ſine campanis*. Eo minus permittendum Baroni, cui Rex plus juris in inveſtitura non conceſſit, quam ipſe habuit. Sola itaque prohibitionis ratio eſt commodum, & uſus vaſallorum, quibus Rex, dum Baronem de oppido, civitate, aut prædio, cum montibus, & paſcuis inveſtit, nec vult nec nocere præſumitur; cum ante clientelæ inventionem univerſitates in montibus quæſitum jus exercerent; & eadem nunc facultate in baronali territorio non ſecus ac in regis eſſet poteſtate, uti poſſunt.

Hinc patet, cur conſenſus regis in nova foreſtarum creatione interveniat, ne infeudatio vaſallos læderet. Cur voluntas Univerſi

verſitatis cujus pars maxima ſatis non eſt, quia non quæritur de jure univerſorum, ſed opus eſt voto omnium, quum de jure ſingulorum agatur; & uno diſſentiente, ruit conceſſio; merito, dum jus paſcendi non ad univerſitatem, verum ad ſingulos de ea pertinet *l.* 2. *D. de S. P. R.*, & quod omnes tangit, ab omnibus probandum *cap.* 29. *de R. j. in VI.* Bodin. *de Republ. lib.* 3. *cap.* 7. Marad. & Capibl. *n.* 2. *ad d. prag. XI.*, Rovit. *ad pragm.* 1. *de* Salar. *eo. n.* 23. dum contraxerunt, quia univerſitates voluntate iis jus quæſitum eſt, quo injuſte non ſpoliandi. (*q*)

Quamquam baroni novas conficere defenſas interdictum ſit, poteſt tamen ſua animalia in Univerſitatis paſcuis & nemoribus paſcere, quia ipſe eſt civis & quidem primus; non vero abuti, nempe ſi vellet immittere tot animalia, ut aliorum civium utilitatem diminueret, vel uſum exhauriret, ſed tot, quot duo cives poſſent, quemadmodum ſæpe judicatum eſt, *Pragm. XII. de Bar.* Carol. V. *an.* 1536. Oter. *de paſc. cap. IX. n.* 13., Franch. *deciſ.* 301. & 197. Manzi. *deciſ. palat. q.* 14. *n.* 7. nec diverſas animalium ſpecies immittere, ſed eaſdem, quas paſcit civis Novar. *ad d. prag.* 12. *n.* 8., aliter civicus uſus læderetur. (*r*)

Ex his colligitur, Baronem non poſſe exercere jus fidæ, & diffi-

---

(q) Vetuſtis moribus in regno receptum eſt, finitimas univerſitates territoriorum in paſcuis, herbis, & lignis poſſe communionem contrahere, quæ vulgo *promuſcuitas* nuncupatur, quæ *ex cap. pondus æquum* Reginæ Joan. regio indiget aſſenſu, niſi centenaria, vel immemorialis intervenifſet præſcriptio Affl. *dec.* 254.

(r) Si igitur baroni tantum paſcuorum uſus competit, nequit illum alteri vel locare, vel vendere, nempe ſi animalia non haberet, quia uſuarius habet jus perſonale incapax ceſſionis §. 1. *Inſt. de uſu.* de quo intellexit Carolus V. in *d. pragm. XI.*, quemadmodum Univerſitas uſum, quem in domanio baronis tenet, cedere, vel vendere alteri non poteſt, ut baro, & civis in uſu æquales eſſent Ponte *de pot. pror. tit. de elect. offic.* §. 2. *n.* 14., Franch. *deciſ.* 489. *n. ult.*, Rendel. *de paſc. par* 2. *cap.* 4., Molin. *de juſtit. & jur. diſp.* 594.

Digitized by Google

diſfidæ in domanio univerſitatis. Fida nihil aliud eſt, niſi jus & poteſtas paſcendi in territorio univerſitatis alteri conceſſa, hac lege, ut a nemine turbetur; quod jus non eſt juriſdictionale, ſed dominii herbarum. Diffida eſt pæna, quæ ſolvitur ab eo, qui edictum ſeu bannum animalia non immittendi contemnit; fida exerceretur, ſoluta penſione; diffida, ſoluta pæna, Romanis & cognita *l. 9. C. de Vectigal.* Hac fida, & diffida civis obligaretur baroni, ſed lege regni univerſitas, inſalutato rege, ſe non poteſt obligare conſt. *quia frequenter lib. 3. 9.*, niſi baro præſcriptione, cujus neſcitur memoria, ſe tueatur, Capibl. *de Bar. to. 2. prag. XI. cap. 76.*, Marad. *ſingul.* 53., quia jus paſcendi competit ſingulis civibus uti ſingulis, quo immerito non ſunt privandi. In domanio autem feudali poteſt Baro fidam, vel diffidiam conſtituere, & jubere, ne quis ſub pæna in montibus, & ſilvis ſui feudi paſcat Conſt. *cum per partes apuliæ lib. 3. 51.*, Capyc. *in inveſt. feudorum clauſulæ* §. *fidis*, Rendel. *de paſc. cap. X. par.* 2. imo loca ſterilia, etiam invita univerſitate, ad culturam redigere, ſi inde majores percipiat reditus, (*s*)

In prædiis privatorum nec fidam, nec diffidam, nec defenſas valet exercere, nec ſua illic animalia paſcere; quia quidquid in meo ſolo naſcitur, meum eſt, & ſolo cedit §. *29. Inſt. de R. D. l. 98.* §. *ul. D. de ſolut.* etiam ſecatis ſegetibus, & collectis fructibus, ut olim, præſide Mar. Freccia, apud nos judicatum eſt, Curte *in div. par.* 1. *cap. 3. n. 79.*, putarem tamen, Domino prædii ſui herbis non utente, poſſe baronem in iis fidam imponere, uſumque paſcendi & baroni, & concivibus communem evadere, modo prius Baro fidam ſtatuiſſet, Marad. *loc. cit.*, Capibl. *de bar. t. 2. prag. XI. cap. 74. n. 7.*, quod enim aliis prodeſt, & tibi non nocet, faciendum.

§. XXX.

(s) Ut Antonellus de Sancto Severino Salerni princeps an. 1495. 8. Maii non pauca indulgens monaſterio Or. Carth. apud Ugel. *tom. VII. p. 96.* inquit, *item quod dicta Eccleſia, ſeu ejus Prior, qui pro tempore fuerit, vel aliquivis poſſint, & libere valeant dicta animalia de die, & de nocte in dicto noſtro domanio paſculare, ſeu paſculari facere ſine ſolutione juris alicujus a fida, aut alterius cujuſvis vectigalis curiam noſtram tangentis niſi in defenſis noſtris antiquis & glandibus noſtræ Curiæ.*

Digitized by Google

§. XXX.

De jure aquarum.

AQuarum uſus quadruplex eſt Regis, univerſitatis, Baronum, & privatorum; comperta juris publici theſis eſt, Flumina navigabilia proprietate principis eſſe, uſum vero publicum: ſunt enim de regalibus, in quibus proprietas, juriſdictio, & uſus conſiderantur; prima duo ſunt principis, uſus communis manet, Sixtin. *de reg. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 33., D. Greg. *Synt.* 3. 14. *n.* 3., *& de Republ. lib. IX. cap.* 1. *n.* 27., Gunth. *lib.* 3.

Haec Princeps vel jure allodii, vel feudi concedit; Univerſitates, quæ ſunt regii domanii, flumina, eorumque ex piſcatione, molendinis, atque ex irrigatione reditus, principis privilegio libere ſolent poſſidere, Barones quoque, qui de territoriis inveſtiuntur, in quibus ſunt flumina, his jnre beneficii fruuntur. Uſus tamen aquarum non cenſetur vaſallis denegatus, quia princeps feudorum inveſtituris non aufert uſum civibus jure gentium quæſitum, quo eorum vita ſuſtinetur *l.* 1. *C. de municip. & col.*, idcirco baro nequit prohibere piſcationem, etſi infeudatio *cum piſcationibus* facta fuerit, quæ tunc vim habet, quoties in eo flumine adeſt jus quæſitum prohibendi. (*t*)

Nec valet prohibere, ne vaſalli ad agrorum irrigationem ex flumine aquas ducant, ut judicatum eſt, Franch. *dec.* 183. *n.* 1. *&* 2., nec cogere vaſallos ad ſua molendina frumenrum deferre *prag. XIV. de Bar.* Caroli V. *an.* 1536; Roſent. *cap.* 5. 26., Curte *in div. cap.* 3. *n.* 66. Franch. *dec.* 103. nec refert an inveſtitura fuerit *cum molendinis*, quia princeps non aufert jus alteri

(t) Nemo dubitet, eum, qui imperium habet in aquas, ejus lege impediri poſſe, ne piſces capiendo quis acquiret, & licet lex civilis nihil præcipere valeat, quod lex naturæ prohibet, *poteſt tamen libertatem naturalem circumſcribere, & vetare quod naturaliter licebat, atque etiam ipſum dominium acquirendum vi ſua antevertere*, recte Grot. *lib.* 2. *de j. B. & P. cap.* 2. *n.* 5. Denique piſcatio eſt jus ſpeciale, quod ſub aquarum, & fluminum appellatione non continetur, & ideo remanet juris gentium.

Digitized by Google

teri quæſitum *l.* 2. §. 10. & 16. *D. ne quid in loc. publ.*, eaque intelligenda, ſi feudo jus prohibendi cohæret, ut nemo ad alia, quam baronis molendina frumentum deferat, Antun. *de donat. reg. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 31. & quanquam in regno ante Carolum V. prudentes certarent, an feudum *cum molendinis* conceſſum, baro poſſet hanc facultatem vindicare; tamen Carolus *in prag. XVI. de bar. an.* 1536. uti Ictus explicat, & ut legislator baronibus denegavit. Igitur cuique permittitur ubi placuerit, frumentum molere; vel molendinum in ſuo prædio conſtruere, cum id libertas naturalis ferat *l.* 8. *C. de Servi.*, quæ ſemper libera præſumitur, donec ſervitus probetur impoſita *l.* 9. *D. de S. U. P.*, Sixtin. *de Reg. II.* 3. *n.* 58. Affl. *dec.* 388., ſive privatus, ſive univerſitas fuerit.

Aliquando baroni jus prohibendi quæſitum eſt (1) ſi ſpecialiter inveſtitus ſit cum jure prohibendi, ut omnes ad ejus molendina accedant, *d. pragm. XVI.* (2) ſi vaſalli baronis æmulatione alienis uti volint molendinis, nulla eorundem utilitate ſuadente, videlicet ſi minor piſtura, vel æqualis exigi ſoleret, Rovi. & Marad. *ad d. pragm.*, Roſa *in praxi cap.* 10. *n.* 84. Frecc. *de ſubfeud. lib.* 11. *auct.* 41. (3) præſcriptione, non omni, ſed ea, cujus ignoratur initium *d. prag. XVI.*, quæ baronis prohibitione, & vaſallorum patientia adquiritur, ſicut rerum incorporalium conditio eſt. At hæc præſcriptio, de qua Carolus V. loquitur, de illa erit intelligenda, quæ ante, non poſt legem a ſe editam procedit, actumque acquiſitum non acquirendum reſpicit, Roſa, *loc. cit. n.* 79.

Præterea actus meræ facultatis cum præſcriptioni non ſubjaceant; Univerſitas etſi diu ad molendinum, furnum, aut tapetum baronis frumentum, panem aut oleum detuliſſet, nunquam baro adquiſivit jus prohibendi, quia nec patientia vaſalli, nec prohibitio baronis acquirere volentis, ut quaſi poſſeſſio inciperet, intervenit, Capibl. *de Bar. pragm.* 14. *n.* 12., Affl. *dec.* 388. *n.* 4., Manzi. *dec. palat. q.* 17. *n.* 3. P. Ludew. *lib.* 1. *Hiſt. opuſc.* 15. *cap.* 3. Aliud tamen eſt, ſi baro injuſte a vaſallis quid exegerit, & ſpatio xxx. ann. exigere deſiit, amittit jus iterum exigendi, quia ſervitus non utendo extinguitur *l.* 19. §. 1. *D. quemad. ſerv.*, quare alia eſt conditio adquirendi, alia amittendi.

§. XXXI.

Digitized by Google

§. XXXI.

De naturali civium libertate.

Diſtinctis rerum dominiis, unuſquiſque naturalem de re ſua diſponendi facultatem adquiſivit, quæ a nemine impedienda, niſi publica aliter ſuadeat neceſſitas. Hanc cum Baronum poteſtas non modo in regno, ſed in aliis ditionibus infringere vellet, latis legibus vetita eſt, conſt. *ſi quando lib. III.* 10., Ferdinandus I. *in pragm.* 1. *de Bar.* ſanxit ne baro, vaſallis, quominus libere res ſuas alienarent, prohiberet; pœnamque ducatorum mille comminatur. Excipiendum, ſi colonus, vel conductor baronis velit vendere fructus, quos ex feudali fundo percepit; equidem baro vetare poteſt, ne aliis, niſi ſibi venderentur. Sicut vaſallis in venditione fructuum baronis, & conductione conceditur prælatio, quæ tamen eſt jus perſonale, quod nec baro, nec vaſallus alteri cedere poteſt, Marin. 2. *reſol. cap.* 161. *n.* 10., Novar. *de Gravam. vaſ.* 363. Præfertur & baro in omnibus fructibus ſive ex feudo ſuo, ſive ex allodio vaſalli perceptis, modo vaſallus velit vendere, *pragm. XV. Caroli V. an.* 1536. *de bar.*; & baro ſtatim pretium ab aliis oblatum exhibeat, Rovit, *ad d. pragm.*, Capibl. *ad pragm. I. eo. cap.* 3. *n.* 12.

Neque baro valet compellere vaſallos, ut ejus gabellas, Furnos, dohanas, bajulationes, defenſas, molendina, tappetos, paſſus, terragia, alioſque feudalis domanii reditus conducerent, Carol. I. *in cap. terrarii*, & Carolus V. *in pragm. XIII. eo an.* 1536. Nec fidejubere pro eo, *pragm. X. Caroli V. an.* 1536. *eo.* quia nulla major libertas, quam in contractibus *l.* 5. *C. de O. & A.* At ſi vaſallus feudum a barone cognoſceret, fidejubere cogendus conſt. *ſi vaſallus lib.* 3. 19., feudiſta *in* 11. *f.* 24. §. *vel ſi*, cujus forma ſtatuitur in conſt. *ſi dominus lib.* 3. 14., ſecus feudum amittit. Nec impedire, quominus vaſalli Syndicum, Electum, alioſque Univerſitatis decuriones, ſeu miniſtros, libere ſibi eligerent *d. prag. X.*, *l.* 2. *C. de Decur.*, Carol. V. *in pragm.* 2. *de admin. Univer.* Hac tamen in re valet plurimum loci conſuetudo, ut electio magiſtri jurati aliquando eſt univerſitatis, non raro baronis; qui tanquam præfectus vigilum nocte civitatem tue-

 tur,

Digitized by Google

tur, & facinoroſos apprehendit, Luca *ad* Franch. *dec.* 43., Capibl. *de Bar. pragm. X. cap.* 20. *n.* 12.

Vetitum eſt baroni vaſallorum nuptias ſive per ſe, ſive per alios impedire. Conſtituta apud nos monarchia Rogerius I. in matrimoniis retinuit id quod Occidentis ditio habebat, ut ex *Codice, & novel.* conſtat, videlicet neminem, qui beneficium a Rege teneret, ſine Principis licentia poſſe matrimonium contrahere Conſt. *ſancimus lib.* 3. 22., Conſt. *fratribus lib.* 3. 17. Et Frid. II. duas edidit conſtitutiones: prima reſpicit barones, qui ſine Principis venia uxorem ducere vetantur Conſt. *honorem noſtri lib.* 3. 23. Secunda ad omnes ſui regni ſubditos ſpectat, qui cum exteris, ſibique ſuſpectis non poſſent ſine ejus conſenſu contrahere Conſt. *cum hereditarium*, quam illuſtrat Richa. a S. Germa. *in chron. ad an.* 1233. *Imperator* (Fridericus) *apud Syracuſam ſtatuit, ut non liceat de filiis, & filiabus regni matrimonia cum exteris & adventitiis vel qui non ſint de regno abſque ipſius ſpeciali requiſitione, mandato, ſeu conſenſu Curiæ ſuæ contrahere: videlicet ut nec aliquæ de regno nubere alienigenis audeant, nec aliqui alienigenarum filias ducere in uxorem, pœna appoſita omnium rerum ſuarum.* Primus Carolus II. Baronibus indulſit libere, inſalutato rege, contrahere, cap. *item ſtatuimus.* Hiſpani, & Auſtriaci merito leges Friderici retinuerunt; cum de matrimonio tanquam contractu diſponendi Principi jus ſit late Ramos *com. ad leg. jul. & Pap. lib.* 3. 49. 50. & 51. Hoc itaque datum eſt Regi, non baronibus.

Nec Baro valet imponere novas exactiones, angarias, gabellas, aliave vaſallis onera ſine regis conſenſu, ut juſtitiariis, ceteriſque regni miniſtris Carol. I. *in cap. item quod juſtitiarii* prohibuit, & Carolus V. *in pragm. X. an.* 1536. *eo.*, quamvis inveſtitura fuerit *cum angariis, parangariis, regalibus*, quia exactio tributi, & vectigalis eſt odioſa, nec alii, præterquam principi in ſignum ſupremæ poteſtatis competit, niſi in inveſtitura expreſſe vectigalium impoſitionem donaverit, Conſt. *quia frequenter*, Perez *ad tit. C. de anno. n.* 8., aut juſto titulo adquiſierit: Verum ſi de pontium, viarum, aut caſtri agatur refectione, quia omnium tangit utilitatem, poteſt baro collectam imponere *l.* 12. *C. de oper. publ.*, Roſent. *cap. V.* 81., a qua ne Eccleſia quidem immunis eſt *l.* 7. *C. de SS. Eccl. l.* 4. *C. de privil. dom. Aug.*, Carol. II. *in cap. item ſtatuimus quod univerſi-*

tati-

Digitized by Google

tatibus; nova autem conſtruere caſtra, aut præſidia ſine regis conſenſu non poteſt *l. 6. D. de Oper. publ.* exempla dat Byncker *quæſt. jur. publ. cap.* 14. (*u*)

§. XXXII.

De juribus perſonalibus.

UNiverſa Baronum poteſtas in vaſallorum perſonas ex clauſula *cum hominibus ibi exiſtentibus*, *& cum angariis*, *& parangariis* oritur. Decſinante R. Imperii Majeſtate, alia a Barbaris invecta eſt politia, læſa dominiorum conditio, & hominum libertas diminuta. Hinc in eorum legibus homines proprii, villici, ruſtici, ſervi adſcriptitii, originarii, coloni, Fiſcalini occurrunt, quos Galli *manus mortales*, Saxones *Caſſen*, Poloni *Kmetbones*, Germani *homines proprios* appellant, ſervili quodammodo indutos conditione, Huſan. *tract. de ſerv. cap.* 2. Euchar. Erhard. *tract. de oper. ruſt. concluſ.* 5., Stryck. *tom.* 4. *diſp.* 12.; late Zasi. *lib.* 1. *reſp. cap.* 3. *n.* 76.

Duces, Comites, & Barones ab his jura perſonalia exigebant, & præcipue agrorum curam, a quibus ſine eorum venia diſcedere non poterant; ad alios ſimul cum prædiis transferri permiſſum erat, vt ex formul. Sirmundi, & Lindenb. conſtat., quod & lege imperii, & Eccleſiæ cavetur *cap.* 4. *de Immu. Eccl.* crebro D. Greg. *ep.* 44. *lib.* 1. *ind.* 9., *lib. VII. indi.* 12. *ep.* 2., *lib. VIII. indi.* 1. *ep.* 2. vid. Maiſt. *de bon. Eccl. lib.* 3. *cap.* 5. Eadem in noſtro regno ſervata eſt conſuetudo; Raynald. Avenellus donavit liparitano Abbati molendinum, & decem *villanos cum*

(u) Et generaliter Carolus Calvus *an.* 865. *Capp. RR. Franc. tit.* 36. *volumus*, *& expreſſe mandamus*, *ut quicumque iſtis temporibus Caſtellum*, *& firmitates*, *& hajas* (hoc eſt Clauſuras ut ſepes pro militari vallo) *ſine noſtro verbo fecerunt*, *Kalendis Auguſti omnes tales firmitates diſfactas habeant*; *quia vicini*, *& circummanentes exinde multas deprædationes*, *& impedimenta ſuſtinent. Et qui eas disfacere non voluerint*, *Comites in quorum comitatu factæ ſunt*, *eas disfaciant. Et ſi aliquis eis contradixerit*, *ad tempus nobis notum facere curent*.

Digitized by Google

tum omnibus rebus ſuis, & familiis, & ejus uxor Fredeſenda an. 1111. eidem monaſterio dedit unum villanum *cum omnibus filiis ſuis, & rebus* Pirr. *Sic. Sac. tom.* 2. *lib.* 4. *p.* 771., alia exempla præbet P. Diac. *lib.* 4. *cap.* 15., latiſſime Leo Oſtien. & Ugel.

Sine baronis conſenſu nequibat ad ſacros ordines aſcendere *l.* 37. *C. de Epiſc. & Cl.*, *can.* 81. *apoſt.* S. Leo *ep.* 1. *cap.* 1., ubi Queln. ne dominus debitis privaretur ſervitiis, niſi ſubrogarent alterum, qui ſerviret auth. *adſcriptitios* C. eo., quam Rogerius, & Frid. II. non adprobarunt conſt. *errores lib. III.* 3., conſt. *adſcriptitios lib.* 3. 2. *Capp. lib.* 1. 88. 57. & 113., Luitpran. *lib.* 2. *LL. Longob. tit.* 33. *l.* 1. Tenebantur in feudo baronis incolere, quum ſint pars feudi, & ad ejus fructus pertineant Conſt. *quisquis lib.* 3. 6. ut in Holſatia, Weſtphalia, Palatinatu, Pomeriana, Dania, ceteris conſuetudo eſt Erhard. *loc. cit.*, Joa. Angel. *de rebus publ. Hanſeat. tract.* 2. *cap.* 5. & 7. *tract.* 1. *cap.* 5. (*x*) nec contra baronem in cauſſa criminali, vel civili teſtari conſt. *proſequentes iib.* 2. 32. Hinc dicitur homo angarius qui ad perſonalia ſervitia Domino, a quo ſua bona non cognoſcit, obligatus eſt, P. de Monteforte ad d. Conſt. *quisquis*; quæ obligatio debet eſſe *perpetua*, ſecus eſt *locatio* & ſuæ operæ locator, non angarius eſſet.

Operarum præſtatio eſt fodere vineam baronis, hortos irrigare, plantas ſublucare, terram colere, ſegetes metere, tergere, pinſere, vertere, feudales reditus conſervare, venationis, & deſenſæ

(x) Ab his oneribus olim Cimbrica gens immunis erat, ſed quiſque res ſuas ab omni impoſitione liberas poſſidebat, nec coloni, nec adſcriptitii, nec aliud perſonale jus videbantur; *At mutatis ſubinde dominis, quum quiſque ut erat victor, abrogatis veteribus, novas præſcriberet, diceretque leges, ex bonis hereditariis paſſim precaria, atque conducitia effecta ſunt. Nobilium autem poſſeſſiones, & dominia (ut nunc quoque magna ex parte exiſtunt) proprii juris, liberæque poteſtatis eorum, nec feuda, ſed allodia erant bona: extinctaque omni familiæ cujuſpiam prole maſcula, ea non ad principes, ſed ad agnatione proximas ſexus muliebris recidebant*, ſcribit Krantz. *lib.* 1. *de bello Dithmarſi*.

Digitized by Google

fenſæ cuſtodia, aliave, quæ feudale prædium expoſcit ; his tamen indicenda conditionibus (1) ut baro ſolvet ſalarium Conſt. *omnes officiales lib.* 1. 90. *no.*, Conſt. *ſic noſtra lib.* 1. 94. *no.*, *pragm.* 1. & 2. *de Salar. eo.*, Curte *in div. cap.* 3. *n.* 1883., Franch. *dec.* 526. Borrel. *de præſt. Reg. Cath. cap.* 18. *n.* 6. (2) vaſallus cogi non poteſt propriis animalibus ſervire, ſi baro propria habeat ; niſi dominus ea locare, accepta mercede, ſolet *l.* 22. *C. de curſ. publ.* (3) ſi vaſallus propriis rebus vacare oportet, nequit cogi ſervire baroni ; *ſitientibus agris noſtris non eſſe irrigandis vicinos l.* 6. *C. de ſervit.* Borrel. *loc. cit.* Monta. *de reg.* §. *angariæ n.* 6. (4) vaſallum, qui maius lucrum, & fructuum copiam ex alienis agris percipit, baro non poteſt compellere, ut ſua conducet territoria, Capibl. *de Bar. prag. XVI. n.* 26. Monta. *loc. cit.* §. *plauſtrorum n.* 2. Ex his conſtat angariæ, & parangariæ hodie humanitate Regum præſertim auſtriacæ gentis imperiorum ſemper gravidæ, indolem fere prorſus deſiiſſe ; & merito : nam earum inventio ex contractu, quaſi contractu, præſcriptione, & voluntate principis qui feudum concedit, deſcendit.

Baro poteſt eligere ærarium ex univerſitate, qui conſervet fructus feudi, nomina exigat, Kalendarium peragat, conſtituto ſalario ; quod munus annuum eſt. Ballivum creare, qui feudum cuſtodiat, damna illata ab animalibus denunciet Franch. *dec.* 128., Carav. *ad rit.* 45. *n.* 6., Rendel. *de paſc. par.* 2. *cap.* 9., Novar. *de Grav. vaſal.* 165., 163. Hæc tamen officia intra feudum vaſalli præſtare non extra tenentur, quia mens inveſtientis eſt, ne feudum ſine vaſallorum operis damnum pateretur, & ſterile evaderet.

§. XXXIII

Digitized by Google

§. XXXIII.

De juſtitiæ adminiſtratione.

QUoniam Baro mero, mixtoque utitur imperio, vaſallis idcirco tenetur juſtitiam adminiſtrare, non ipſe, ſed miniſtros conſtituere. Baro enim poſſidet juriſdictionem jure dominii, non adminiſtrationis, creandi juſtitiæ miniſtros, non judicandi facultas transmiſſa eſt, *pragm.* 2. Caroli V. *an.* 1536. *eo.*, Byncker. *quaeſt. jur. publ. cap.* 12., qui, cum ipſum repræſentent, ſi cauſſa inter baronem, & vaſallum vertitur, non poſſunt cognoſcere, ſecus baro in propria cauſſa judicaret, quod jure vetitum eſt, Bodin. *de Republ. lib.* 3, *cap.* 5., Franch. *dec.* 511., *&* 370., & ut omnis metus, & dolus removeatur.

Hoc officialis munus annale eſt *l.* 4. *C. de ſuſcept.*, Conſt. *occupatis lib.* 1. 95. Conſt. *judices ubique eo. pragm.* 1. *de offic. jud.*, neque ante annum removendus, nec ultra protrahendus, niſi conſenſiat univerſitas, Carol. II. *in cap. electionem*, Robert. *in cap. opportuna*, Carol. V. *in prag. V. eo. an.* 1536., Surg. *Neap. illuſt. cap.* 17. *num.* 11., etſi deliquerit: Dum enim jus dicit, non vexandus *l.* 3. *C. de offic. præf. ori.*, *l.* 4. *C. ad l. jul. repet.*, nec removetur a barone, ſed a M. C., quæ in delictis officialium ſolcognoſcit; licet olim hæc cura fuiſſet M. Juſtitiarii Conſt. *Magiſter juſtitiarius lib.* 1. 42., Joanna II. *in rit.* 49. *&* 61., Capibl. *ad d. prag. V. num.* 62.

Confecto munere, Baroni incumbit, ut ſui officiales judicio de pecuniis repetundis, injuriis civibus illatis obediant, nec Syndicum Univerſitatis, vel Electum impedire, quominus ſyndicandi exerceant jurisdictionem *l. un. C. ut omne jud. d. prag. V.*, *prag.* 1. *de Synd. off.*, *cap. novas formas*. Sive Gubernator ſit, ſive Bajulus, Magiſter juratus, Locumtenens, ſive Auditor cauſarum ſecundarum, Rovit. Marad. *ad d. prag.* 1., Capibl. *de Bar. prag. V. num.* 182. Hinc nemo officialium ad juſtitiæ adminiſtrationem aſſumi poteſt, niſi litteras vulgo *liberatorias*, & ſyndicatus exhibeat, Conſt. *volumus lib.* 1. 95. *l. un. C. ut omn. jud.*, Carol. II. *in cap. item ſtatuimus, quod tam juſtitiarii*, *&* *Ritu* 295., neque a loco, in quo jus dixit, valet abire, niſi ſyndicatui ſteterit, et de iis, quæ Locumtenens ab eo creatus adminiſtravit, ſi nem-

ſi nempe, officiali abſente, ipſe Locumtenentem diebus XV. uti moris eſt, conſtituit, Franch. *deciſ.98. num.* 4., Rovit. *ad prag.* 1. *de ſynd. off. num.*54. Conſuetudine tamen neceptum eſt, Bajulum Civitatis Conſentiæ non teneri ſyndicatui ſiſtere Capibl. *de Bar. prag. V, num.*183., Marad. *ad ſingul.*263. Denique Baro tempore ſyndicatus nequit intereſſe, ne ejus metu, & reverentia Vaſſalli a querelis deterreantur.

Recta juſtitiæ adminiſtratio officiorum venditionem interdicit, quæ jurisdictionem habent *l.6. C. ad l. jul. repet.*, Conſt. *Magiſtri camerarii lib.* 1. *63. num.* 10. Conſt. *puritatem eo.*, Carol.I. *in cap. item recipiant*, & late Paul. Staib. *reſol.* 100. merito: quia revendendi juſtitiam occaſio conceditur. Excipitur in hoc regno bajulatio, portulania, atque actuaria, quæ ex more recepto venduntur, Rendel. *de paſc. par.* 1. *cap.XI.*, Capibl. *de Bar. prag.* III. *num.61.*

Læditur & juſtitia ſi baro vaſallos opprimat, ſive verbis, ſive facto: verbis, nempe contumeliis, facto injuriis realibus, collectis, ſi adulteria committit: ſi in judiciis juris ordinem ſpernit, ſi torturas auget, ſi cogat vaſallos ad criminalium carcerum conſtructionem, quæ cum meri imperii ſit, baroni competit, qui ex delictorum compoſitione reditus percipit Capibl. *de Bar. prag.* 19. *cap.96. num.6.*, & *ſingul.XV.*, differ. Marad. *ad ſingul.*58., Conſt. *præſenti lib.* III. 12., *prag.* III. *Carol. V. ann.* 1536. *de Bar.*, nec officialium Univerſitatis electionem impedire, aut vindicare *cap.*57. *R. Federici*. Prohibitum & baronibus obſcuros carceres, & foſſas habere, quum carcer ſit cuſtodia, non pœna *l.*1. *C. de cuſtod. reor. l. 6. C. de pœn.* Carol. V. *in prag. de Bar.*

Baro quatuor literis arbitrariis hodie inſtructus, non pauca componit delicta; quod jus olim Galliæ, & Germaniæ Comitibus, aſſertum eſt, nihilque frequentius apud Gothos, Wiſigothos, Longobardos, ceteraſque barbaras nationes occurrit, quam delictorum tranſactio, ſive vitam, ſive libertatem adimere poſſent, cujus pecuniæ pars Fiſco cedebat, & *Vutrglidus* dicebatur, *Roye diſp. de miſ. dom. cap.* 17., ſicut & vetuſta ætate ſancitum pecuniariam pœnam, non vitæ privationem infligi, quia propter rudem ſeculi paupertatem major æſtimabatur, Servi. II. *æn. v.* 216. *Expendiſſe autem tractum a pecunia: nam apud veteres pecuniarias pœnas conſtat fuiſſe.* Jure Romano in criminibus, quæ publicam lædunt ſecuritatem

Digitized by Google

tranſigi vetitum ; nec *l.* 18. *C. de tranſ.* obſtat , quæ ſpecialis eſt Dioclet. & Maxim. conſtitutio, ut recte V. Cl. Ger. Noodt *in opuſc. ad d. l.* ; in delictis vero privatis componere cuique datum eſt, puta agere, injuriarum ; & cædis lex permittit , ſed invitos non cogit; quia non de publica , ſed de privata experitur utilitate Quintil. *declam. VII. cap.* 4.

Hæc criminum compoſitio requirit (1) partis remiſſionem , ſive a Rege, ſive a Magiſtratu peragatur, ſecus non valet, Ritu 272., 273., 275., 276., 274., *prag.* 2. *de compoſit.*, Ponte *de poteſt. pror. tit. de prov.* §. 4. *num.* 11. Olim apud nos diſputatum; quinam remiſſionem præſtarent ? id *pragm. VII. de compoſit.* decrevit eos tantum , qui ad morientis ſucceſſionem admittuntur , ut proximior excludat remotiorem. Nam pragmatica duo deſiderat, ut remiſſio fiat a proximioribus in gradu, & ab illis, quibus conceditur ſucceſſio; fœmina autem legibus regni eſt excluſa , idcirco non poteſt conſiderari in gradu proximiori, ſed ad gradum ſec ndum redacta cenſetur. Neque unius ex ſucceſſoribus ſatis erit conſenſus, verum omnium *d. prag. VII.* (2) lata jam ſententia Baroni crimina vel relaxare, componere, aut tranſigere prohibetur, quia baro, ejuſque judex functi ſunt officio, omni privatus jurisdictione Franc. *deciſ.* 170., niſi privilegio poſſideat, ut princeps Biſiniani, aut ſecundas cauſſas, pendente appellatione hac uti facultate non impediendus, Franch. *loc. cit.*, Capibl. *de Bar. prag. VI. num.* 35., ſecus ſolius Principis eſt (3). Sive incerta ſit criminis conditio, ſive conſtet , Baroni nunquam deneganda eſt compoſitio; cujus pœna ſolvitur Fiſco , hoc eſt Baroni , qui in prædio & caſtro infeudato vicem Fiſci obtinet ; verum id quod intereſt parti perſolvendum.

Sunt quædam jure regni crimina, quæ compoſitionem non admittunt, ut raptus, adulterium cum inceſtu violentum , Bobert. *in cap. ut ſine mortali*, lenocinium, ſodomia, erga Deum, ejuſque Matrem blaſphemia, atque error , *prag.* 1. *de Lenon.*, *prag.* 111. *de ſodom.*, crimen corruptæ monetæ, læſæ majeſtatis, aſſaſſinium Rovit. *ad prag.* 1. *de abolit.*, & jure Siculo *ex cap.* 36., & 68. *Regis Joanis* receptionis bannitorum, *prag. IV. de compoſ.* Franch. *deciſ.* 275.; ſicut eorum gravitas ſuadet . Caveat Baro , non tam ſedulo ſummum jus inſpicere , & æquitatem lædere ; nam in his criminum compoſitionibus , atque augendis pœnis , iram , amorem , juſtum dolorem , ebrietatem , zelotypiam , ætatis

tis imbecillitatem, ſenectutem, adverſam valetudinem, immaturum ſexus conſilium, imprudentiam, alioque delinquentis affectus perpendere neceſſe eſt.

Barones quoque valent ſecuritatem concedere, vulgo *guidaticum*. ſi enim poteſt componere, ergo magis & hoc A. Faber *in C. tit. de diverſ. reſcript. defin.* 29., Ponte *de poteſt. pror. tit. de prov.* §. 3. *num.* 58., Capibl. *de bar. prag. VI. cap.* 31., modo reus non fuerit proſcriptus, id eſt forojudicatus, nec latro, nec ad patriam accedat, aut partem offenſam, de criminibus exceptis inquiſitus, Marad. *ſing.* 181., Franch. *deciſ.* 413., & 673. Hujuſmodi tamen, pendente guidatico, ſi deliquerint, illud amittunt *prag.* 2. *de guidat.*, imo proferri poteſt ſententia forijudicationis, qua ſublatum cenſetur guidaticum *prag.* 111. *eo. prag.* 20. §. 68. *de off. jud.* Verum legibus Regni proſcriptos, variiſque irretitos criminibus recipere, & favere negatum eſt, Ponte *loc. cit. num.* 57.

Præterea læditur juſtitia, ſi baro jubet, ut nemo ad ſuperius tribunal appellet, non modo quia principis condemnitur auctoritas, ſed &, dum rex omnem jurisdictionem in feudo conceſſit, nequit a ſe ſubditos repellere, ſi querelis ad eum confugiunt, quorum ipſe eſt præcipuus juſtitiæ adminiſtrator, Montan. *de regal.* §. *poteſtas conſtituen. num.* 27. Denique ſi dominus utilis ſua abutitur jurisdictione, ea expoliari poteſt, ſive crimen fuerit privatum, ſive publicum, puta ſi juſtitiam vaſallis denegat, ſi lites non admittit, vel protrahit, ſi iniquas profert ſententias; ſi, non facta inquiſitione, condamnat, ſi injuſte, & levi cauſſa ad torturam procedit, ſi graviorem, quam eſt crimen, pęnam irrogat Stryk. *tom. IV. diſp.* 9. *cap.* 4. *num.* 52. & *ſeq.*, dicam *lib. IV.*

 §. XXXIV.

Digitized by Google

§. XXXIV.

An ſub feudi conceſſione jurisdictio, & jus gladii contineatur.

DEtecta origine, peto quæſtionem. Naturali feudorum omnium indo'es ſecum nihil aliud ducit, niſi fructuum ex prædio infeudato perceptionem, atque utile dominium, ſicut emphyteuſis, & uſusfructus, excepto hominio, & ſervitio, quod ſolius feudi proprium eſt.

Merum imperium ſub barbarorum politia Duces, comites, miſſi dominici dumtaxat exercebant; jurisdictionem, aut notionem minores judices, de quibus ſupra dictum eſt. Nam jurisdictio, & jus gladii ſeparatæ prorſus res erant a feudo, nec adhuc cogitatum, an conceſſo feudo, hæc continerentur; cum per ſe ſubſiſtere poſſint, nec feudo accreſcant; & unus feudale prædium, alter jurisdictionem poſſidere; ſive inveſtitura a ſummo principe, ſive a privato facta eſſet, quod & moribus Longobardorum apprime conſentit 1. *f.* 5. *in fin.*, 11. *f.* 5. §. *ſed quia*, Frid. I. apud Radev. *lib.* 11. *cap.* 8. in conſtitutione relata *in* 11. *f.* 54. *Ad hæc qui allodium ſuum vendiderit, diſtrictam, & jurisdictionom Imperatoris vendere non præſumat: et ſi fiat, non valent*, Alteſer. *de O. F. cap. XI.*, Cujac. IV. *f.* 19., P. Ludewig. *lib.* 11. *feud. opuſc.* 3. *differ.* 10. (*b*). Exemplum refert infeudationis ann. 1238. Miræ. *in diplom. belg. cap.* 97. ubi alta juſtitia, & inferior excipitur; Mor *tract. de jur. venan. par.* 1. *cap.* 7. *num.* 16.

Quamvis ex primæva feudorum origine feudum nihil cum jurisdictione affinitatis haberet, univerſalis tamen invaluit conſuetudo, feudo aliquam adnecti jurisdictionis ſpeciem, in homines ſuos, ad feudi ejusdem ſaltem conſervationem, jura coloniæ, & prædiatoria; quam illa ætas *baſſam* vocavit, Reye *lib.* 11. *de jurib. honor. cap.* 6.. Struv. *S.* 1. *f. cap.* 6. *A.* 10. 4., Bodin. *de Republ. lib.* 111. *cap.* 6., Joan. Longoval. *ad l. imperium par. IV. num.* 204. *D. de jurisd.* recte, inquit, ſub villæ, aut oppidi conceſſione non jurisdictionem, aut merum imperium comprehendi, *ſed eam dumtaxat, quam oppidi illius domini in oppidanos, vel oppidi illius ambactos, clientes, vaſalloſue ratione loci exercere con-*

conſueverunt, quæ & patrimonialis jure noſtro [Galliæ] *vocatur; & num.* 258.

Moribus deinde juridiſctio clientelari prædio adnecti cæpit. Nobiles enim ſua allodia principi, aut Duci offerebant hac lege, ut ea in feudum cum jurisdictione reciperent; vel in ſuis poſſeſſionibus eam emebant, ut Otto Dux Bojoariæ *an.* 311. nobilibus jurisdictionem, accepta pecunia, conceſſit, & tres caſus, ſcilicet *homicidium, ſtuprum violentum, & publicam rapinam excepit*, Ludew. *loc. cit.* Serius tamen criminalis beneficiario permiſſa eſt. Secunda occaſio fuit dum clientela hereditaria evaſit, & perpetua; tunc enim facile jurisdictio in lata feudorum migravit, unde in veteribus monumentis feuda, & jurisdictiones conjunguntur Alteler. *de O. F. cap.* 11. Altera mihi videtur cauſſa illa inveſtituræ formula juribus nimis quidem gravida, quam Principes de prædiis, diſtrictu, & civitatibus celebrare ſolebant, præſertim ſæculo XI., & XII. nempe cum pertinentiis, montibus, herbis, jure venandi, paſcendi, fluminibus, molendinis, animalibus, omnique reditu: ex qua vetus Interpretum ſchola, anſam querendi arripuit, an ſub caſtri inveſtitura jurisdictio, merum, mixtumque contineretur; eoſque non parum Javoleni theſis in *l.* 3. *D. de conſtit. princip.* movit, in qua ſtatuit, principum beneficia latiſſime interpretanda; itaque feudum cum principis ſit beneficium, non immerito inferendum, jurisdictionem quoque comprehendi.

Adſuit nihilominus opinio, quam Menoch. III. *præſ.* 97., Longoval. *ad l. imperium D. de jurisd.*, Quintanad. *de jurisdict.* II. *cap.* 30., alii exhibent; quid ſenſiendum, aperiam. Si ſenior ſimpliciter rem infeudat, puta curtem, manſum, prædium, vel jus, quod in ſuo diſtrictu poſſidet, non videtur propterea juriſdictionem conceſſiſſe, quia jurisdictio eſt alterius ſpeciei cum prædio, nihilque cum feudali ſervitio habet, nec ut acceſſoria cenſetur. Aut conceſſit caſtrum, quod cives incolunt, in quo inveſtiens jurisdictionem exercere non conſuevit, nec & jurisdictio continetur; caſtrum eſt, quod muro cingitur, a quo ſeparata omnino eſt jurisdictio, quæ poteſt eſſe unius, & territorium alterius, Menoch. *loc. cit.* A. Faber in *C. lib.* III. *tit.* 12. *def.* 28., Bodin. de *Republ. lib.* III. *cap.* 6. Vel caſtrum ſuberat jurisdictioni alterius civitatis, & magiſtratus, etiamſi inveſtitura fuerit

rit *cum pertinentiis*, quum princeps jus alteri quæſitum adimeat (*y*).

Præterea conceſſo caſtro *cum jurisdictione* non præſumitur Princeps merum imperium tradidiſſe; quia hæc poteſtatis ſpecies nulli vindicatur, niſi cui ſpecialiter lege, vel SCto, vel conſtitutione principuum tributa eſt, nec mandata jurisdictione transferri, Paul. in *l.* 5. *D. de off. ejusd.* Merum imperium eſt jus, quod ſpecialiter competit Principi, & in generali conceſſione non continetur. Regula enim juris eſt, obligatione generali rerum, quas quis habet, habiturusve ſit, non includi, quæ veroſimile eſt etiam ſpecialiter non obligaturum, *l.* 6. *D. de pignor.* *cap.* 81. *de R. J. in* 6., Longoval. *ad d. l. imperium par. IV. n.* 189. *D. de jurisdict.*, Antun. *de donat. reg. lib. III. cap.* 44. *nu.* 13., etiamſi dubitetur, an ſub ea inveſtitura merum conceſſerit imperium, quia in obſcuris, quod minimum eſt, ſequimur *l.* 9. *D. de R. J.* (*z*)

Aliud

(y) Atque hac formula proventus, qui ex feudo percipi poſſunt, comprehenduntur, videlicet nemora, venationes, aucupia, paſcua, jus colonarium, & quæ ſunt, Andr. Kniche. *de jur. territor. cap. de auctorat. num.* 1107., A. Faber *tit. C. de jurisdict. defin.* 17. Conceſſo autem a Principe caſtro, *cum omni jure* & conceſſionis tempore jurisdictio caſtro annexa erat, hoc eſt exerceri ſolita, translata quidem cenſetur, præſertim ſi inveſtiens generali territorii vocabulo, & diſtrictus uſus fuerit. Nam Conſtantin. in *l.* 2. *C. de bon. vacant.* ſanxit, domo alienata, *integro ſtatu*, cum adjacentibus, mancipiis, pecoribus, fructu, & omni jure translata intelligitur; & Severus ad Fabium Cilonem ſcribens in *l. un.* §. 4. *D. de offic. præf. ur.*, inquit, *cum urbem noſtram fidei tuæ committimus. Quicquid igitur intra urbem admittitur, ad præfectum urbi videtur pertinere*; proinde ex urbis commiſſione merum imperium conceſſit.

(z) Si ex inveſtitura non conſtet, quid actum ſit; ſequimur, quod in ea regione frequentatur *l.* 34. *D. eo. l.* 31. §. 20. *D. de ædil. edit.*, ſi de more non appareat, ſpectandum, quod plerumque

Digitized by Google

Aliud ſenſiendum ſi formula *cum pleniſſima jurisdictione*, quæ non tantum mixtum, ſed & merum complectitur imperium; ut Ulpian. in *l. 7. §. ult. l. 8. D. de off. proconſ.* quia proconſul pleniſſimam exerceat jurisdictionem, infert juris gladii poteſtatem; aut ſi aliquam facinorum coercitionem princeps ſibi reſervaverit, reliqua conceſſa præſumuntur, quia exceptio munit regulam *l. 18. D. de Teſtib.* Neque tamen, conceſſo mero imperio, translata, quæ ſunt in ſymbolum ſupremæ poteſtatis, & maximi gradus dicendum, ut jus condendi leges, nova imponendi vectigalia, aliave quæ volens, nolens Princeps a corona non addicat: recte Ant. Faber *in Cod. lib. 111. tit. 12. defin. 17. Quid ergo ſi Princeps univerſam jurisdictionem, quam in aliquo territorio habebat, nobili cuidam conceſſerit? Suprema jurisdictio excepta cenſebitur, quam ſicut a ſe abdicare Princeps nec ſi velit, poteſt, ita multo minus velle credendum eſt: Vaſallos enim non Socios, & Principes facere cogitat Princeps, qui nobilibus ſubditos, feudum, & omnimodam jurisdictionem concedit. Itaque & ſupremæ appellationis, & aliarum rerum, quæ majores principis judices poſtulant, cognitio excepta intelligitur, eamque jurisdictionem de retrofeudo, ut loquuntur, principis recognoſcere vaſſallus cogendus erit*, Perez *ad tit. C. de bon. vacant. num. 8.*, Alciat. *ad cap. quod ſedem de off. ordin. num. 42.*

Quemadmodum ſub regalium conceſſione, non comprehenduntur, quæ ſunt principi reſervata, ſuamque conſtituunt majeſtatem, Chriſtin. *tom. VI. deciſ. 7. num. 22.*, omnis jurisdictio eſt de regalibus, quam Princeps vel jure feudi, vel allodii, vel officii concedit, Zaſin. *par. V. num. 11.*, Alciat. *loc. cit.* Sixtin. *de reg. lib. 11. cap. 8. num. 42.*, ita conceſſa jurisdictione, mero, mixto-

que

---

que fieri ſolet *l. 114. D. de R. J.* Si ne id quidem, tunc quod minimum eſt, ſectamur *d. l. 9. l. 109. l. 83. §. 3. D. de V. O.* Neque communis Interpretum mihi arridet opinio, quæ aſſerit, ut ſi in caſtro merum imperium prius exercebatur, datum intelligeretur; merum imperium eſt quid ſpeciale, eſt regalia, igitur niſi expreſſe permittatur, a majeſtate principis non diſcedit.

Digitized by Google

que imperio, nonnulla ex regalibus transferuntur, videlicet, bona vacantia, pœnarum lucra, jus vitæ, & necis, conſenſu autem principis, exilium, deportatio, remigatio, quæſtio, aliave tanquam jurisdictionis fructus, Perez *loc. cit. num. 9.*, & jure regni *prag.* 11. *de jurisd. inv. non turb.* Denique hæc jurisdictionis conceſſio eſt realis, non perſonalis, quia cohæret caſtro, & ſucceſſor eam conſequitur, ſicut cetera feudi jura, quæ illud componunt.

In hac infeudatæ jurisdictionis conceſſione plurimum mos, inveſtitura, & mens concedentis valent. In *Sileſia* omnis juriſdictio olim & hodie in civitatibus, oppidis, & villis penes principem reſidet, quam cum inveſtitura non ſolet concedere; quam nonnulli nobiles, pecunia eam emebant, Schifordech. *tract. de jurisdict. in Sileſia quæſt.* 1. In *Scotia* Baro definitur, *qui jus furcarum, & foſſæ habet*, & proinde merum, mixtumque imperium; nam *furca* hoc eſt patibulum, *foſſa* videlicet ad mergendas in aqua fœminas intelligitur, Selden. *de tit. honor. par.* 11. *cap. 6.* In *Gallia* Baronibus civilis, & criminalis permiſſa eſt jurisdictio, quæ patrimonialis, & in commercio ſicut ipſum feudum ibi evaſit, Selden. *loc. cit. cap.* 3. *num.* 21., Oſuald. *ad Donel. lib. XVII. cap. 7.*, Mornac. *ad l.* 8. *C. de Epiſc. audien.* In *Hiſpania*, niſi inveſtitura expreſſe cum jurisdictione, meroque imperio facta ſit, ea non continetur, Antun. *loc. cit. num.* 10. In *Germania* omnes fere beneficiarii, principes præſertim olim, atque hodie mero, mixtoque potiuntur imperio, Arniſ. *de Republ. cap. V. ſect.* 3. *num.* 115. In *regno* demum Neap. nullus reperitur baro, nullus comes quovis beneficio a rege noſtro donatus, qui jus gladii non exerceat.

Quæſitum eſt, an jurisdictio, & jus gladii vel ſeorſim, vel ſimul cum caſtro infeudatum, *cumulative*, ut loqui fas eſt, an *privative* dicatur conceſſum? Aut jurisdictio data eſt in officium, aut ſub lege feudi; in officium cenſetur data *cumulative*; in feudum, *privative*. Differentiæ hæc eſt ratio: dum dominus jurisdictionem in feudum dedit, omni ejusdem cognitione videtur ſe expoliaſſe, nec cum vaſallo in exercitio concurrere poteſt, ſecus jurisdictionis uſus, atque utilitas penes vaſallum fere inanis eſſet. Quin etiam hæc Baroni jurisdictio eſt jure contractus adquiſita, & dominus cum nihil ſibi reſervaſſe, *privative*, non *cumulative* quæſita præſumitur, Roſent. *cap. V.* 5. *n.* 3., Scrad. *par.* 10. *ſect.* 1. *num.*

Digitized by Google

num. 131., Menoch. *lib.* 11. *præſum.* 18. *num.* 5. Hinc vaſallis apud principem prorogare jurisdictionem, ſive civilem, ſive criminalem prohibetur; nec princeps eos a jurisdictione baronis eximere valet, aliter baroni præjudicaretur, Capibl. *de Baron. prag.* 8. *par.* 1. *num.* 160., *&* *ſeqq.* Nunquam tamen vaſallis deneganda appellandi libertas, quæ penes principem reperitur; eamque in infeudatione jurisdictionis a ſe non abdicavit, *tot. tit. D. a quibus appel. non.*, Bodin. *de Republ. lib.* 1. *cap.* 10.

Jurisdictio autem in officium conceſſa, cumulative, non privative data cenſetur; & proinde princeps non modo in ejus cognitione concurrere, ſed & totam revocare poteſt *l.* 58. *D. de judic.*, ſive emta, ſive gratis fuerit permiſſa, quum inſpicere opus ſit potius quomodo conceſſit, & accepit, quæ eſt finalis cauſſa, quam cur conceſſit, puta pro pecunia, Montan. *de regal.* §. *poteſtas conſtituendorum n.* 25., Menoch. *loc. cit. num.* 1., Mynſing. *cent. VI. obſ.* 99., & ex *cap.* 14. *de præbeend. in* 6. eruitur. An vero jurisdictio in feudum, an in officium data præſumatur, docebit *lib. IV.*

Digitized by Google

T I T. XV.

De modis adquirendi feudum.

§. XXXV.

Communis arguitur opinio.

HUc uſque actum eſt de rebus, quæ in feudum dari poſſunt, enucleandum nunc, quibus modis adquiratur. Equidem aliud eſt *conſtituere* feudum, aliud *adquirere*, tunc feudum conſtitui dicimus, cum ad ipſum ſeniorem referamus; acquirere, ſi vaſallum reſpiciamus, qui a ſeniore accipit feudum. Nam conſtituere idem eſt, ac jus in re noſtra in alterum transferre, ut ſervitus, hypotheca; & emphyteuſeos conſtituta dicitur *l.* 3. *D. de uſufr.*, ita & feudum conſtituitur, ſi dominus in re ſua, promiſſa fidelitate, concedit. Unde conſtituere, & acquirere ſunt correlativa; non raro idem valent 1. *f.* 25., 1. *f.* 2. *in fin.*, quia ſtatim ac dominus conſtituit, eo ipſo vaſallus adquirit. Verum quot modis feudum adquiratur? contentio eſt, quæ non in feudo antiquo vertitur, ſed novo, quod proprie dicitur acquiri.

Hotoman. *diſput. feud. cap. XVII.* ſex recenſet, donationem, emptionem, permutationem, ſucceſſionem, præſcriptionem, & inductionem in poſſeſſionem. Scrade. *par. V. cap.* 1. *num.* 2. ſex & admittit, inveſtituram, præſcriptionem, apprehenſionem poſſeſſionis tanquam feudalis, juſſu domini factam, poſſeſſionem annalem ſcientia domini, recognitionem, & judicis ſententiam. Roſent. *cap.* VI. 1. *&* *ſeqq.* quinque cognoſcit, inveſtituram, ſententiam judicis, jus accreſcendi, præſcriptionem, & recognitionem. Zaſin. *par.* VI. *num.* 1. *&* 21., *&* *par.* VII. *n.* 1., Sonsbec. *par.* IX. *num.* 1. Giphan. *jur. feud. diſp.* IV. *n.* 2., Duaren. *cap.* VII. VIII., *&* IX., Cujac. *lib.* II. *f.* 2. *in fin.*, Struv. *S. J. f. cap.* VII. *A.* II. tres, inveſtituram, præſcriptionem, & ſucceſſionem.

Legibus Longobar. tres ſtatuti ſunt, *inveſtitura*, *præſcriptio*, & *ſucceſſio*. Non arridet; nam verus, & naturalis adquirendi modus eſt ſola inveſtitura, quæ ab invecta feudorum origine orta eſt, eaque non modo res, & jura clientelæ nexui obnoxia,

xia, ſed & allodia in generali barbarorum ætate adquirebantur, Heinec. *elem. jur. Germ. lib.* II. §. 24. *not.*, Cujac. II. *f.* 2., & inquit feudiſta *in* II. *f.* 8. *rei autem per beneficium recte inveſtitæ vaſallus hanc habet poteſtatem, ut tanquam dominus poſſit a quolibet poſſidente ſibi quaſi vindicare.* Nam *præſcriptio* proprie non eſt modus adquirendi, ſed putativus, ſive præſumtionis, quæ pro inveſtitura cenſetur. Nec *ſucceſſio*; cum hæc præſupponat feudum jam adquiſitum; & qui in feudo ſuccedit, non dicitur aliquid de novo adquirere, ſed adquiſiti jam feudi dominium in ipſum continuari. Omnes in inveſtitura comprehenſi, ſunt feudales poſſeſſores; aliqui *re*, dum actu poſſident, aliqui *ſpe*, dum in locum defuncti, aperto ſibi feudo, ingrediuntur, ſed acquirere ſtricte nihil aliud eſt, niſi legitime habere jura alicujus rei, in qua ante nullum habebat, quod de feudali ſucceſſore dici non poteſt.

Nec *ſententia judicis*, quia dum lis inter vaſallum & ſeniorem, vel extraneum de feudo vertitur, an illud ſit domini, an vaſalli; ſi judex pro vaſallo pronunciat, ipſe de novo nihil adquirit, ſed jus ſuum judicis ſententia clarum evadit, quod antea erat ſopitum, ſi contra vaſallum, aufert ei illud jus, quod prius uſurpaverat, atque hac judicis ſententia vaſſallus nihil amittit, quia nihil habebat; judicis ſententia non facit rem noſtram, ſed rem noſtram eſſe declarat *l.* 8. §. 4. *D. ſi ſervit. vind.*, *l.* 9. *D. de R.V.* Decipiuntur quibus *recognitio* placet, cum ea feudi jam adquiſiti ſit obedientiæ ſignum, & cenſus devotionis ſeniori a vaſallo debitus, ut *lib.* III. dicam. Diſplicet & donatio, emptio, permutatio, quæ non diverſum inter ſe adquirendi modum conſtituunt, ſed ſub inveſtitura continentur, quæ ſine contractu, quiſquis ille ſit, obligationem, & actionem producere ex ſe non valet, Gipha. *jur. feud. cap.* IV. *n.* 5., Georg. David. *qq. feud.* 36. Nec *jus accreſcendi*, quod clientelis ignotum eſt: nam ſi feudum eſt antiquum non jus hoc, non conjunctionem, ſed ſanguinem, naturam, atque ſucceſſorium edictum adorat; eo magis a feudo novo repellendum. Exceptiones vide apud Bellon. *de jur. accreſc. to.* I. *cap.* VI. *q.* 37., Scrad. *p.* VII. *cap.* I., et alibi dicam. Dicendum itaque verum adquirendi modum eſſe *inveſtituram* improprie *præſcriptionem*, & *ſucceſſionem* (*a*).

Ddd 2 §. XXXVI.

(a) Regula juris feudalis *feudum ſola inveſtitura conſtitui.* II. *f.* 2.

§. XXXVI.

De Inveſtituræ definitione & diviſione.

PRimus, & naturalis adquirendi feuda modus dicitur *inveſtitura*, quæ generaliter ſic depingi poteſt, *actus legitimus, quo dominus in alterum rei cujuſdam dominium utile transferebat, tradito rei ſymbolo, velut haſta, chirotheca, veſte, baculo, & ſtipulatione ſervitiorum militarium, aliarumque præſtationum, veluti cenſus, canonis, operarum, laudimii*; Heinec. *elem. jur. Germ. lib.* II. §. 17. Diſtinguere opus eſt, inveſtituram realem, ab abuſiva, ſive verbali; realis eſt *actus, quo Dominus vaſallum corporaliter in poſſeſſionem rei inducit, eamque in clientelam concedit*. Abuſiva eſt *actus ſolemnis, quo Dominus ſymbolo aliquo, coram paribus curiæ, vel extraneis teſtibus, feudum alicui fidem promittenti, quaſi cedit, & in vaſallum recipit*, ideò recte Alteſer. *de O. F. cap.* 7. *ceſſionem feudi* appellat. Atque ſic propemodum ſedet omnibus, Cujac. *ad* II. *f.* 3., Wiſſenba. *comp. jur. feud. cap.* 4., Ciro. *in para. decr. de feud.*, Giphan. *loc. cit. num.* 19., & 26., Gudelin. *de jur. feud. par.* II. & 9. Struv. *S. J. F. cap. VIII. A.* 5.

Inveſtitura realis eſt eadem ac poſſeſſio, ſeu corporalis poſſeſſionis apprehenſio II. *f.* 2., nam *inveſtire* eſt aliquem in feudum, munus, & dignitatem noviter adquiſitam immittere, quæ immiſſio vocatur *inveſtitura*, quod & *ſaiſire* dicitur hoc eſt collocare in poſſeſſionem, & *deveſtire* hoc eſt poſſeſſione ſe expoliare, quod *diſſaiſire* idem eſt, Ant. Matth. *tom.* II. *analect. p.* 270., *lib.* IV. *tit. de V. S.* dicam. Hæc feudum adquirendo ſatis eſt, nec abuſiva indigemus, quum nihil tam naturale ſit, quam dominia re-

---

f. 2. II. *f.* 18., I. *f.* 3. II. *f.* 8. §. 2. II. *f.* 7. II. *f.* 26., cum in ea omnia feudi ſolemnia celebrentur, fides mutua, obligatio tradendi poſſeſſionem, utilis dominii adquiſitio. Nec II. *f.* I. §. I. obſtat *feudum neminem poſſe adquirere, niſi inveſtitura aut ſucceſſione*, quia feudalis ſucceſſio virtute primæ inveſtituræ vocatis defertur.

Digitized by Google

rerum traditionibus adipiſci *l.* 20. *C. de pact.* Inveſtitura abuſiva imaginaria traditionis ceremonia celebratur, videlicet annulo, haſta, &c. *& inveſtio per traditionem annuli, enſis, baculi*, vel alterius rei II. *f.* 3., Sonsbec. *par.* IX. *num.* 29. Verum antequam utraque inchoetur inveſtitura, intervenit contractus feudalis, quo vaſallus domino utile rei dominium concedenti ad fidei præſtationem ſe obligat, & quidem nominatus, ſtricti juris, & conſenſualis, ut *in proleg. cap.* I. §. 2. probatum eſt.

Abuſivæ inveſtituræ ſolemnitas (1) eſt, ut fiat coram paribus Curiæ, ideſt convaſallis ſaltem duobus II. *f.* 2. (*b*), ſecus feudum non conſtituitur, licet mille adfuiſſent extranei II. *f.* 33. §. *nec ducatur*, II. *f.* 32., ratio eſt *in* II. *f.* 58. §. *idcirco, ne quid excogitetur falſitatis in perniciem Domini, aliis teſtibus inductis, corruptiſque forte pecunia, vel odio, vel gratia, quæ non ſunt ſuſpicanda in paribus*; vaſalli enim, ob religionis nexum, quem ſeniori præſtiterunt, teſtes magis idonei, nec effectibus moti cenſentur, quod Roſent. *cap. VI.* 6. *num.* 3. perperam negavit. Nec diſtinguam, an laicus ſit, an clericus, qui inveſtit II. *f.* 32. Renititur tamen I. *f.* 26. *in clericorum feudo pariter accipiuntur pares, & extranei: hoc ideo, quia cum clerici quosdam de feudo inveſtiunt, ſæpe abſconſe, & ſine præſentia ſuorum confratum hoc facere ſtudent*; communis ſolutio eſt, exceptionem potius, quam regulæ deſtructionem conſtitui. Nonnullis placet, referre an clericus de rebus Eccleſiæ inveſtiat, & tunc extranei quoque teſtes admittuntur; an in rebus propriis clientelam creat, & neceſſario requiruntur pares.

Aptior omnibus eſt reſponſio Giphanii *jur. feud. diſp.* IV. *n.*39. nempe in inveſtitura, quam clericus agit, neceſſarii ſint pares Curiæ, conjunctis etiam extraneis, ut oſtendit vox *pariter*, quæ copulat, non excipit; idque propter Eccleſiæ favorem, ne Prælati in bonorum Eccleſiæ infeudatione quid fraudis committerent, ma-

---

(b) Et Alemannica lex, apud Boehm. *de inveſt. feud.* §. 38. *Inveſtituram fieri debere coram paribus domini, quippe per quos etiam illa eſt probanda. Unde ſi dominus vaſallum inveſtit abſentibus paribus Curiæ, nocet vaſallo; inficiente enim domino, per pares ſuos probanda eſt inveſtitura.*

Digitized by Google

magiſque de cauſſa alienationis conſtaret. Nam facile convaſalli, hoc eſt qui feudum ab Eccleſia tenent, dolum celarent; etiamſi clericus de bonis ſuis inveſtiat, neceſſaria eſt confratrum cognitio, ne forſan de bonis Eccleſiæ quid feudale conſtituet, & putavit Struv. *S. J. F. cap.* VIII. *A.* 5.

Excipiendum: ſi ſenior pares non habeat, tunc extraneos teſtes adhibebit, modo lex admittet, II. *f.* 32. II. *f.* 33. II. *f.* 58., dicam *lib.* IV., vel habeat, ſed non idoneos, ut pupilli, cum non intelligant id, de quo agitur. Quid ſi abſint, an expectandi? a veteribus dubitatum eſt; nihilo minus ex jure Longob. eruitur, expectandos, niſi ſint in loco nimis remoto, vel aliter detenti, quominus compareant II. *f.* 33. *cap.* 35. *de elect.* Scrad. *par.* IV. *cap.* 2. *num.* 6., Struv. *S. J. F. cap.* VIII. *A.* 5 Aut ſi pares habuerit, ſed tempore inveſtituræ tales eſſe defierint II. *f.* 19., quia teſtium conditio tunc exiſtimanda, cum dominus inveſtit. Attamen loci conſuetudo inſpicienda.

(2) Solemnitas eſt ſcriptura, ſeu *breve teſtatum*, non tamen neceſſaria, ſed ad inveſtituræ dumtaxat, & feudalis qualitatis probationem inventa; omnes enim juris Longobardici textus, qui de brevi teſtato loquuntur, de probatione intelligendi ſunt, I. *f.* 4., II. *f.* 58., II. *f.* 2. §. *ſi enim*, Hannet. *lib.* IV. *cap.* 4., Piſtor *lib.* II. *qq.* 30. *num.* 3. Duaren. *cap.* 21. *num.* 5., Gudelin. *de jure feud. par.* II. *cap.* 5. *num.* 9., ſicut jure Rom. nullus contractus, vel conventio indiget ſcriptura, ut ſubſiſtat, ſed ut probet *l.* 4. *D. de pign.*, *l.* 17. *C., de fid. inſtrum.*, hoc vero breve teſtatum ſubſcriptione parium muniendum eſt, ſecus ruit II. *f.* 58., Chriſtin. *tom.* VI. *deciſ.* 15. *num.* 13., idque tam Dominus, quam vaſallus diligenter ſervare debent, dicam *lib.* IV. Hujuſmodi ſolemnitates ſi deficiant, nec naturalis, nec civilis oritur obligatio.

§. XXXVII.

Digitized by Google

§. XXXVII.

De effectibus abuſivæ inveſtituræ.

PEracta ſolemniter inveſtitura, ſui oriuntur effectus; verum certatum eſt, an ea utile transferat dominium, feudumque ſatis conſtituet? Hotom. *diſp. feud. cap.* 23. *in fin.*, Scrad. *par. v. cap.* 2. *num.* 15., Andr. *in* II. *f.* 2. *num.* 2., Roſent. *cap.* VI. 6. *num.* 7., Struv. *S. J. F. cap.* VIII. *A.* 9., ceterique fere omnes negant; male: nam ritus, puta vexillum, enſis, haſta, aliave rei ſigna, quæ in hac adhibentur inveſtitura, ſuſtinent vicem traditionis, igitur civili huic traditioni par effectus, quod ad dominii translationem attinet, attribuendus, ſicut ei, quæ ſimplex eſt, & naturalis. Nam principium generale juris Germanici eſt, etiam abſque traditione naturaliter rerum dominia transferri, qua jure naturæ haud opus eſt, Boehmer. *de inveſt. feudal.* §. 50. Inauditum in jure non eſt, dominia rerum juris civilis auctoritate, etiam abſque adprehenſione adquiri poſſe *l.* 23. *D. de adquir. poſſeſſ.*

Interpretes cum dominium a poſſeſſione non diſtinxiſſent, ideo decepti ſunt: ſtatim enim ac ſenioris appareat voluntas feudum Titio concedendi, & Titii voluntas acceptandi, feudum jam actum eſt, etſi poſſeſſio adhuc non adquiſita: Quemadmodum aditione hereditatis omnia jura ad heredem tranſeunt, poſſeſſio, niſi naturaliter apprehenſa, non pertinet *d. l.* 23., recte; quia poſſeſſio eſt facti, eamque animo retinemus, ſed facto adipiſci debemus *l.* 30. §. 5. *D. de adquir. poſſ.* In abuſiva inveſtitura adeſt vaſalli, & ſenioris voluntas, adſunt ſigna, quæ rei qualitatem exprimunt, igitur his ſignis rei ſignatæ traditio intelligitur, quod & moribus Longobardorum ſatis convenit, II. *f.* 33., *cap. extraord. in* II. *f.* 88. *Quicumque igitur beneficium per inveſtituram acquiſierit, ſine poſſeſſionis traditione, pares ad inveſtituram habeat, ut pro ipſo veritas diſcernatur, cum controverſia inde fuerit.* Chriſtin. *tom.* I. *deciſ.* 131. *num.* I., *&* *deciſ.* 370. *num.* I., Stryk. *tom. VIII. diſp. XI. cap.* 3., Gudelin. *de jur. feud. par.* II. *cap.* 5. *num.* 10., Boehm. *de inveſt. feudal. cap.* 2. §. 46.

Secundus effectus eſt, ut Dominum ad rei feudalis traditionem obliget, II. *f.* 7. *in fin.* II. *f.* 26. §. *ſi facta*, ubi Andr. *n.* I.

Gi-

Digitized by Google

Giphan. *jur. feud. diſp.* I V. *num.* 54., Franc. Florens *tit. decr. de elect.*, quia vaſallus legitime inveſtitus feudo, frui nequiret, niſi in rem beneficiariam immittatur. Cum traditio ſit inveſtituræ neceſſarium conſequens, inveſtitura ceſſio feudi ſolemnis; ne actus fruſtra eſſet, qui ſi renuit, propria auctoritate fas eſt vaſallo feudum ingredi, ut *lib.* III. dicam. Quæ fiduciaria poſſeſſio debet eſſe vacua *d.* II. *f.* 7., quum non omnis traditio Dominum faciat, ſed, quæ ab omni detentione libera eſt *l.* 2. §. 1. *D. de act. emp.*, porro alia conſtituit poſſeſſorem & non Dominum, ut traditio pignoris, vel emphyteuſis *l.* 35. §. 1. *D. de pignor. act. l.* 12. *C. de fund. patrim.*, alia nec Dominum, nec poſſeſſorem, ſed detentorem, puta ex cauſſa locati, conducti, depoſiti, commodati *l.* 39. *D. locat.*, *l.* 8. *D. commod.*, *l.* 9. *D. de R. V.* Dominus enim dum ita vaſallum inveſtivit, jus apprehendendi videtur dediſſe; idcirco vaſallus interdictum adipiſcendæ poſſeſſionis intendare poterit, vel officium judicis implorare, ut in feudalem immittatur poſſeſſionem, Piſtor *lib.* II. *qq.* 25. *num.* 26. Zaſi. *par. VI. num.* 4.

Si vacuam itaque Dominus poſſeſſionem vaſallo tradere tenetur: inter Placentinos olim & Mediolanenſes diſputatum, an inveſtitura de feudo vaſalli adhuc viventis fieri poſſet. Placentinis placuit, non valere, niſi conſenſiat ille, qui feudum habet II. *f.* 27., Mediolanenſes autem, & Cremonenſes ajebant, inveſtituram valere, etiam abſque conſenſu ipſius poſſidentis, dummodo ea non noceat ipſi poſſeſſori, donec vivit, nec poſt mortem ſucceſſores relinquat *d.* II. *f.* 27. Alvero conciliat; ſi pure celebretur inveſtitura, non valet, niſi conſenſiat, qui poſſidet; ſi ſub conditione, vel die, etiam ſine conſenſu poſſidentis valet, ut Mediolanenſibus viſum eſt. Sed inveſtitura tunc vim habebit, cum feudum Domino aperiatur; nec ea aliquid odii, ſuſpicionis, aut alienæ mortis ſpem continet, quia agitur de re ipſius Domini concedentis, & confertur in tempus, quo utile dominium cum directo conſolidatur; conferre enim actum, in tempus quo licet, quamvis ab initio factum non tenet, tamen idem eſt *l.* 62. *D. de hered. inſt.* (c)

Et

(c) Præterea liberum cuique eſt de re ſua, quam alteri ad vitam conceſſit, in caſum mortis ejus, cui dedit, diſponere, ut

Et hic dirimenda elegans quæſtio , nempe ſi duo de eodem prædio fuerint inveſtiti , ſed poſteriori res tradita , uter in obtinendo feudo potior ſit? Interpretes, quibus ſedet, abuſiva inveſtitura nec dominium , nec poſſeſſionem transferri , poſteriorem præferunt ; verum , cum ſupra probatum ſit , ſymbolica traditione utile dominium adquiri , nemini dubium , quin prior inveſtitus feudum obtenturus , nec poſterior inveſtitura , dominium jam priori adquiſitum auferre valet. Quemadmodum in jure ſacro inveſtitura de Eccleſiaſticis prædiis facta gignit jus in re , quo inveſtitus contra ordinarium beneficii collatorem agere poteſt , ut poſſeſſionem tradat , etſi de eo alter ſecundus fuerit inveſtitus , quia ſemper primus præfertur , cui nihil , niſi ſola deeſt poſſeſſio *cap. XII. de reſcript. in VI.* , *cap. XVII. de præbend. in VI.* , *cap.* 5. *de donat.* II. *f.* 15. §. *ſin autem* , Jan. a Coſta *ad cap. IX. lib.* III. *decr. tit.* 38. , Van-Eſpen *par.* II *tit.* 21. *cap.* 2. *num.* 4. *J. E.* , ita & in re feudali ad beneficiorum ſimilitudinem comparata , *proleg. cap. X.* §. 54. Neque Impp. *in l.* 15. *C. de R. V.* obnituntur , dum ſtatuunt ; ſi duobus eadem res ſeparatim diverſis contractibus , vendita ſit , eum potiorem eſſe , cui ante tradita eſt , licet poſterior emerit . Loquuntur eo caſu , quo dominium per traditionem adquiritur , & proinde potius noſtræ theſi favent ; quum nuda inveſtitura habeatur pro traditione , vel quaſi, ideo vaſallus primo inveſtitus debet feudum obtinere , etiamſi ſecundus inveſtituram cum traditione acceperit ; & ſicut alibi operatur traditio, id in feudis operatur inveſtitura I. *f.* 25. Sichard. *ad d. l.* 15. *num.* 10., Gudelin. *de jure feud. par.* II. *cap.* 9. *num.* 7.

Ece Poſt-

---

ut in ſubſtitutionibus , fideicommiſſis , legatis videre eſt ; hinc ſi alicui uſumfructum mei prædii conſtitui , poſſum diſponere , ut poſt mortem ſuam ad alium perveniat *l.* 25 *D. de uſu & uſufr.* Neque hæc inveſtitura de captando mortis alienæ voto concepta eſt , ſed de caducitate ſucceſſionis H. Piſtor *lib.* II. 99. 25.. Gothofr. *ad l.* 61. *D. de V. O.* Wiſſenbac. *ad l. ult. C. de pact. in fin.* Quod ſi vaſallus cum ſucceſſoribus, hoc eſt deſcendendibus maſculis moriatur, deficiente conditione , inveſtitura evaneſcit *arg. l.* 8. *D. de peric. & com. rei vend.*

Digitized by Google

Poſtquam abuſiva inveſtitura a Domino acta eſt, vaſallus feudi poſſeſſionem adipiſci debet. Regula juris eſt, ſi quis de pluribus prædiis inter ſe ſeparatis inveſtiatur, unum ex his apprehendere ſatis non eſt, ſed opus eſt omnia ingredi; quia non mente tantum, ſed corpore ſimul poſſeſſionem adquirimus *l.* 3. §. 1. *l.* 8. *D. de adq. poſſ.*, *l.* 153. *D. de R. J.* corpore noſtro, alieno, ſive pedibus, ſive manibus, ſive oculis, quaſi longis manibus *l.* 1. §. *pen.*, *l.* 18. §. 3. *D. eo.*, Cujac. *in* 11. *f.* 3., Scrad. *par. V. cap.* 2. *num.* 25., Zaſi. *par.* VI. *num.* 20. At ſi inveſtitura facta eſt de feudo, quod plures continet fundos tamquam totius partes, tunc una apprehenſa, ceterarum intelligitur adquiſita poſſeſſio, modo hac mente fiat, ut totum feudum uſque ad terminum velit poſſidere, nec omnes glebas circumambulare neceſſe eſt *l.* 3. §. 1. *D. de adq. poſſ.* Hinc male Interpp. putant poſſeſſionem feudi a patre in filium, vel agnatum ipſo jure transferri; porro quamvis feudum pro ſe, & filio fuiſſet conceſſum; tamen hac conceſſione jus, non poſſeſſio continetur, ideo, patre defuncto, filius inveſtituram petit; niſi moribus aliud obtineat, ut in Gallia, Belgica, Hiſpania, Giphan. *ad d. l.* 26. *D. de adq. poſſ. num.* 8. Denique in adquirenda poſſeſſione, quod jure civili ſancitum eſt, in re feudali ſervatur.

Videndum nunc, quinam poſſint inveſtire. Regula juris eſt; quilibet qui de re ſua, ſive princeps ſit, ſive privatus, ſive nobilis, ſive ignobilis diſponendi facultatem habeat, inveſtire valeat, ut *lib.* 1. *tit.* V. §. 14. Et viciſſim: quicumque feudorum capax eſt, & fidelitatem promittere valet, inveſtiri non prohibetur, ut Longobardis, & Saxonibus arridet, Stryk. *tom.* VIII. *diſſ.* XI. *cap.* XI. §. 4. Alteſer. *de orig. feud. cap.* 10. Nec refert, per ſe, an per procuratorem inveſtituram accipiat, vel concedat, 11. *f.* 3. *Sed utrum ipſe, vel alius pro te inveſtituram faciat, vel ſuſcipiat, nihil intereſſe putamus, &* 11. *f.* 58. §. *item inveſtitura*, exempla affert Hotom. *diſp. feud. cap.* 13. Chriſtin. *tom.* 1. *deciſ.* 118., P. Ludewig. *lib.* 11. *feud. opuſc.* 3. *diſ.* 18. qui tamen inquit, jure Luſatico vaſalli præſentia opus eſſe, dicam *lib. III.*

§. XXXVIII.

Digitized by Google

§. XXXVIII.

De ſymbolis inveſtituræ .

ACtum eſt , abuſivam inveſtituram ſymbolis quibusdam traditionem oſtendentibus celebrari ; quod jure Romano in dominii tranſlationu frequenter obtinuit , Sam. Stryk. *tom. VIII. diſp. XI. cap.* 2. Collapſo R. Imperio omnis propemodum rerum immobilium , & pratioſarum alienatio , & traditio non nudis verbis , ſed ſignis fiebat , quæ cum re donata ſive feudali , ſive allodiali affinitatem habebant (*d*). Hinc fundum tradituri, gleba ex eo decerpta dabatur ei , cui rem tradere vellent. Et ne ſolum dumtaxat traditum intelligeretur, ramuſculus addebatur , ut ſuperficies quoque ſoli , nempe ſegetes , vites , plantæ , arbores continerentur.

Hujuſmodi ſigna erant annulus, baculus, chirotheca , pileus , gladius , zona , virga , corona , aliave , Bigno. ad *Marculf. lib.* 1. *cap.* 13. , Dufreſ. *in Glo. V. inveſtitura* , Heinec. elem. jur. Germ. *lib.* 11. §. 74., Hotom. *diſp. feud. cap.* 22. *&* 23., *cap.* 2. *de conſuet.*, Boehmer. *de inveſt. feud.* §. 52. Et ne traditionis memoria periret , ea ſigna in templis , atque archivis ſervare ſolebant , Sirmund. ad *Goff. Vindo. lib.* 1. *ep.* 6. Ratio erat, ne dominia temere, ſed conſulto , & maturius transferrentur , & de ſeria contrahentium voluntate conſtaret (*e*).

Eee 2 In

(d) Nec tantum hæc ſimilitudo in allodiis adhibebatur , ſed etiam in feudis , exemplum eſt in Chroni. Oldeburg. *cap. V.*, & Henr. Wolter in chron. Bremen. de Henr. IV. loquens , qui creavit in Saxonia Comites, *& ex tali officio receperunt clypeos ; nam Comes de Wernigerode pro ſigno recepit piſces in clypeo : Comes alius cervum cum cornibus in ſignum ſui officii . Comes de Anholt , qui & de genealogia ex una parte Ducum erat Saxoniæ, & de Marchionibus Brandenburgenſibus diviſo clypeo factus eſt Venator avium in ſilvis, & compitis , pro coquina regis , & de ceteris ſimiliter &c.*

(e) Hæc tamen ſymbolorum copia tunc in deſuetudinem abiit, cum

Digitized by Google

In feudis autem hæc ſymbolorum copia magnopere adhibebatur, tanquam imaginariæ traditiones, atque poſſeſſionis arrhæ, & merito; quia maxima feudorum pars in juribus conſiſtit, ut ſunt honores, imperia, dignitates, jurisdictiones, quæ cum incorporalia ſint, nonniſi commodius ſigno aliquo corporeo tradi & capi poſſunt; neque in his proprie poſſeſſio, ſed quaſi poſſeſſio cadit. Et licet in fundis, civitatibus, atque oppidis feuda conſtituantur, aptius viſum non eſt Dominum ducere vaſallum in rem præſentem, ſed rei abſentis traditionem ſymbolo repræſentari. Adeſt & alia ratio, ni fallor, quod cum vaſallatica fidelitas, tactis SS. Evangeliis præſtaretur, alia fidei evidentiori præſtandæ ſignificatione ſymbola accederent Boehm. *loc. cit.* §. 37. Hotom. *diſp. feud.* 26., Gudel. *de jure feud. par.* 11. *cap.* 6. *n.* 1. Unde Comitatus, Ducatus, Marchionatus, qui ſunt feuda majora *vexillo* conferebantur, in quo inſignia regionum, quarum inveſtitura fiebant, depingendi erat conſuetudo, Struv. *S. J. F. cap.* 111. *A.* 725. Vexillum ductum cohortis, vel exercitus ſignificat. Regna *enſe*, meri, mixtique imperii teſſera dabantur, Hoeping. *tract. de jur. inſig. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 214., Gunther *lib.* 1. cecinit.

Ergo ubi vexillo partem, quam diximus, ille;
Hoc autem gladio regnum ſuſcepit ab ipſo:
Hun etiam longo ſervatum tempore morem.
Curia noſtra tenet.

Hæc tamen conſuetudo incoſtans erat, ſicut temporis ratio, & arbitrium Domini ſuadebat. Demetrius Croatiæ, & Dalmatiæ Dux vexillo, enſe, ſceptro, & corona a Pontificis legato inveſtitus eſt, Hoeping. *loc. cit*, Henricus major natu Bajoariæ Ducatum ſeptem vexillis reſignavit; minor natu ei Marchiam Orientalem reddidit, Otto Friſig. *lib.* 11. *cap. ult. de G. F.*, non raro in ducali inveſtitura ſceptro utebantur, Sigeber. *in Chron. ad an.* 1180. Minorum vero feudorum ſigna erant, nunc haſta, nunc annulus, nunc fuſtis 11. *f.* 2. Hæc a vaſallo cuſtodiri ſolebant, ut inter eum, & ſeniorem, lite orta, ad probandum oſtendere poſſet 11. *f.* 27. §. 2., Alteſer. *de orig. feud. cap.* 7., Mabilon.

---

cum in Germania loco pactorum conſenſualium, libelli, ſcriptura, teſtamenta, aliæque cautiones in curias fuerint introductæ Weſtphalen apud Boehm. *loc. cit.*

bilon. *de re diplom. lib.* VI. *Corol. IV.* 211. Stryk. *loc. cit. cap.* IV. §. 20., quæ Imp. *in d.* §. 2. *donum* appellat. Demum hac in re loci conſuetudo inſpicienda. Jocoſum exemplum dat Æn. Silva *de Statu Europ. ſub Frid. III. cap.* 14. (*f*)

Feuda quoque Eccleſiaſtica *annulo*, & *baculo* concedi ſolebant; nam cum Principum liberalitas Eccleſiis feuda, & regalia donaſſet, eorum inveſtituram reſervavit, hoc eſt conſenſum a Rege præſtitum electioni alicujus Epiſcopi, vel Abbatis, & conceſſionem bonorum Eccleſiaſticorum ſolemni ritu factam. Vacante porro Eccleſia electus hujuſmodi bonorum poſſeſſionem accipere non poterat, niſi a principe annulo, & paſtorali baculo eſſet inveſtitus, & jusjurandum fidelitatis exhibuiſſet. Id RR. Pontificibus diſplicuit. Vere quidem a majoribus noſtris traditum eſt, ea quæ, Patribus diſputando dicta ſunt, plerumque falſa eſſe. Non ita viſum eſt Ivoni Carnot. *ep.* 60. ad Hugonem Archiep. Lugdun. Sedis Apoſt., qui fatetur nullum fere vitium in iis expiſcari nos poſſe, *proleg. cap.* IX. §. 50. (*g*) Neque in Epiſcopalibus, & Abbatiis tantum ſervabatur, ſed & in minoribus beneficiis, dignitatibus, & adminiſtrationibus (*h*).

Non

(f) Refert Æn. Silv. *de Statu Europ. ſub Frid. III. cap.* 16. de Huniade celeberrimo Hungariæ Duce, qui a Ladislao Rege de Principatu inveſtitus eſt, *ſuggeſto in magno foro apud Carmelitas erecto, ſede ſedens aurea, regali paludamento, de diademate ornatus Comitatum ei Biſtricem commiſit.*

(g) Et recte; quia ea Imperatorum inveſtitura nihil cum ſacro Prælatorum munere habebat, ſed ad prædia infeudata, quibus Clerici ſe alere poſſent, reſpiceret. Satis iis ſcitum erat, poteſtatem de rebus divinis, ſacriſque ordinationibus nonniſi a Clerico conſecratore deſcendere. Nec baculi porrectio id reſpexit, ſed tantum feudi inaugurationem, ſicut omnes fundorum traditiones per feſtucam, ceſpitem, ramos arborum, & ſimiles fiebant, D. Ludewig. *lib.* III. *jur. Eccl. opuſc.* IV. *cap.* I. §. 6., v. Marca *de concord.* VIII. *cap.* 19. §. 7., late Meibom. *diſſert. de jure inveſtituræ Epiſcop. Imperatoribus per vim ademto.*

(*h*) Etenim inveſtitura juris qualiſcumque collationem ſignificat, *ideo apud auctores veteres officiis omnibus tam civilibus, quam eccleſiaſticis aptata* (verba videlicet veſtire, & inveſtire) re-

Non prætereundum : primo facienda eſt inveſtitura verbalis anuulo, haſta, & ſimilibus, deinde vaſallus hominium præſtet ; ultimo inveſtitura realis, ſeu poſſeſſionis traditio, dum dominus vaſallum vel per ſe, vel per procuratorem in feudum inducit II. *f.* 4. II. *f.* 7. *in fin.*, ratio cur abuſiva inveſtitura debeat præcedere, hæc eſſe mihi videtur, quia inveſtituræ beneficium cauſſa eſt, cur inveſtitus ad fidelitatem teneatur. Inveſtitura eſt initium obligationum, quæ mutuo inter Dominum, & vaſallum naſcuntur. Fatendum communi conſenſu, hunc ordinem poſſe interverti, ut videlicet prius juretur, deinde inveſtiatur, quin inveſtitura lædatur *lib.* III. dicam.

§. XXXIX.

---

reperiunrar, inquit Grot. *de imp. ſum. poteſt. circa Sacr. cap. x.*, ut Cancellariæ dignitas ſigillo confertur Innoc. III. *lib.* I. *ap.* 373., præbenda vel oſculo altaris, vel campanæ pulſation, vel januæ tactu *cap.* IV. *de conc. præb. cap.* VII. *eo. cap.* III. *de bis qu. fin. a prel.*, Vindoc. *lib.* I. *ep.* 6.

Digitized by Google

§. XXXIX.

De Inveſtitura feudorum regni Neapol.

SYmbolica juris Longobardici clientelaris adquiſitio moribus, & jure ſcripto regni noſtri recepta non eſt. Sane a primis Normannicæ gentis monarchiæ initiis, nulla in feudorum conſtitutione inveſtituræ abuſivæ ſolemnitas adhibita eſt, ſed dumtaxat regis noſtri privilegium, hoc eſt breve teſtatum, quo Civitates, caſtra, & territoria ſub lege feudi cum reditibus, & jurisdictione concedit (*i*). Nam Frid. II. *in Conſt. dignum lib.* III. 4. Statuit neminem Civitates, caſalia, & villas, vel aliquid regii domanii retinere poſſe, *niſi habeat privilegium divorum Regum Rogerii, & Gulielmi I. aut II. prædeceſſorum noſtrorum: ante oraculum noſtræ celſitudinis ſpeciale a nobis ex certa ſcientia impetraram, vel indultum a prædeceſſoribus noſtris divis parentibus noſtris, & ex certa ſcientia noſtra confirmatum.* Neque ante Carolum I. in archivii invenitur formula *per annulum noſtrum inveſtimus*, qua primum ipſe uſus eſt, in cujus locum vaſallorum *aſſecuratio* ſucceſſit (*k*). Etenim baro ſtatim ac

(i) Comites non raro Prælatos, & ſuos Barones ſymbolis quibusdam inveſtiebant; Thomaſius de Sancto Severino Comes Marſic. an. 1295. apud Ugel. *tom.* VII. *p.* 507. monaſterii Ord. S. Bened. abbatiſſiam inveſtit, *inveſtientes dictam dominam abbatiſſam pro parte ipſius monaſterii per noſtrum annulum de eis*, (ſcil. bonis, & reditibus) *ipſamque in corporalem poſſeſſionem exinde inducendo*. De Manfredo narrat Fazel. Rer. Sic. lib. II. c. I. *multis ibi per eum decoratis honore militiæ, & nonnullis per inveſtituram vexilli ad comitatus excellentiam ſublevatis.*

(k) Aſſecuratio apud nos vetuſtior eſt: Robertus Comes anno 1118. plura Giſono Epiſcopo Bovinenſi Caſtra largitur apud Ugel. *tom.* VIII. *p.* 756., *quæ quidem Caſalia prædicta Bibinenſis Eccleſia in capite teneat, & immediate libera, & exempta ad omni reali ſervitio, ac etiam perſonali, a quorum Caſalium hominibus, Epiſcopus prout eſt moris ipſius Eccleſiæ nomine aſſecurationes debitas recipiat, juramenta, homagia, ſalva fidelitate Domini*

Digitized by Google

ac privilegium feudalis conceſſionis reditibus, & juribus ſatis gravidum a Rege obtinuit, ligium fidelitatis jusjurandum, de quo *in* II. *f.* 7., eidem præſtat, poſtea vel Regis mandato, vel propria auctoritate, feudi poſſeſſionem ingreditur, quæ realis inveſtitura vocatur; cui Rex, apprehenſa poſſeſſione, litteras aſſecurationis concedit, Andr. *in* II. *f.* 26. §. *ſi minori*, I. *f.* 25. §. 3., Lipar. *ad Andr. in* I. *f.* 22. *num.* 2., & paſſim Montan. *in* II. *f.* 55. §. *præterea ſi quis infeudatus num.* 39. Deinde obtenta aſſecurationis littera, Baro non modo jusjurandum fidelitatis ab iis exigit, qui aliquid feudale in ſuo beneficio poſſident, ſed etiam ab iis, qui tantum in feudo degunt, & ſub ejus jurisdictione, cui jurant, reperiuntur II. *f.* 5., Capyc. *in* II. *f.* 55. *p.* 55., dixi *in proleg. cap. v.* §. XI.

Defuncto Barone; ejus ſucceſſor non indiget vetere inveſtitura, ut jure Longobard. receptum eſt, ſed ejus loco datur littera, ſeu diploma aſſecurationis, modo prius hominium præſtiterit, Andr. *in* II. *f.* 4. nec ante hoc clientelare jusjurandum, a vaſallis Sacramentum fidelitatis recipere poteſt Conſt. *Comite, vel Barone lib.* III. 34., dicam *lib.* III.

At ſi Baro velit feudum vendere, aut donare, aut generaliter alienare, ut in emptorem utile feudi dominium tranſeat, Regis conſenſus requiritur, qui in emptore vim privilegii, & inveſtituræ obtinet, quia venditio, & emtio facta cum regis conſenſu, videtur eſſe donatio Andr. *in* II. *f.* 26. §. *ſi minori num.* 2., Rovit. *ad prag.* 33. *de feud.*, emptor hoc aſſenſu inveſtitus, juramentum fidelitatis præſtare tenetur, & litteras deinde aſſecurationis obtinebit, hinc apud nos hodie aſſenſus habet vim inveſtituræ, Roſa *conſul.* 14. *num.* 45.

§. XXXVII.

---

mini noſtri Regis Willelmi heredum ſuorum, & ejus alterius cujuslibet ſucceſſoris. Hæc aſſecuratio nata, ni decipiam, a moribus Longobardorum, qui Comites, & Principes Civitatibus conſenſu populi ſæpe præficiebant, ut in ſerie Comitum Capuæ, & alibi legitur, & Erchemp. *in Hiſt.* §. 14., & 19., & 39.

Digitized by Google

§. XL.

De clauſulis, & interpretatione inveſtituræ.

CLientelaris juris præſidium eſt inveſtitura, quæ omnibus, excepta ſubſtantia, feudorum legibus derogare valet. Proinde enucleandus hic erit tenor, & conſuetæ ejusdem formulæ, quarum aliquæ ad adquiſitionem pertinent, aliæ majorem, vel minorem reſpiciunt facultatem, qua vaſallus in feudo uti frui poteſt; de primis hic, de ſecundis *lib.* III. agam.

Princeps, vel quisquis valet infeudare, caſtrum vel territorium jure feudi concedat *cum integro ſtatu ſuo*, tranſlata intelligitur feudi poſſeſſio, uti eſt, nempe cum fructibus, inſtrumentis, colonis, mancipiis, aliiſque, quæ ad feudi conſervationem, & utilitatem ſpectant, ſicut & aratra, ligones, boves, vaſa, torcularia, corbes, falces meſſariæ, cupæ, dolia, viridaria; ſaltus, & ſimilia, quæ JCti ſub his tribus verbis exprimunt, *quærendi*, *cogendi*, *conſervandi arg. l.* 8. *D. de inſtrum. vel inſtr.*, eaque Papin. *in l.* 2. §. 1., Scævol. *in l.* 20. §. 1. *D. eo. dotes prædiorum* vocant (*l*). Sicut, vendita arce, machinæ, & tormenta debentur, quum ſint quaſi pars arcis *arg. l.* 13. §. *fin. D. de Act. emp.*, Cujac. II. *f.* 2., Paris de Put. *de redin. feud. cap.* 214, & 219., dixi §. 22. *tit. XI.* Ut & legato uſufructu fundi, an ſalictum, harundinetum, ſilva palaris, leporaria, piſcinæ, apiaria, quæ Varro *mellaria* vocat, veniant? ſuccurrit, cum hæc ad fructuarium quoque pertineant *l.* 9. §. 7., *l.* 10. *D. de uſufr.* Noodt *lib.* I. *de uſufruct. cap.* 7.

Ejusdem vis eſt clauſula *cum pertinentiis ſuis*, & tunc veniunt oppida, villæ, præfecturæ, niſi exemptio probetur, qui in territorio ſita, ſub jurisdictione utilis Domini eſſe præſumantur; ſervi adſcriptitii, & quidquid lege, vel conſuetudine, vel deſtinatione concedentis ad prædium feudale refertur, ut ex legibus *in-*

Fff *tit.*

(l) Et Symmach. *lib.* VI. *ep.* LI. dixit *vacuatos dotibus agros*. Sidon. Apol. *lib.* II. *ep.* 14. *frugum*, *manſionumque date remoretur*, & Senec. *ep.* 52.

Digitized by Google

tit. D. inſt. vel inſtr. conſtat; ſicut & juspatronato *cap. VII. de jurepatr.* (m)

Vox etiam *pertinentiis* comprehendit bona mobilia caſtri, nempe baliſtas, bombardas, carceres, animalia, jus paſcendi, ligna incidendi, venandi, flumina; non vero, quæ concedens titulo particulari poſſidet, nec unquam infeudare conſuevit, quia deſtinatione ſenioris non adjacent feudo, nec quæ prius aliis vel jure feudi, vel allodii dedit, ne alienum jus lædatur. Veniunt & feuda plana, ſubſeuda, molendina, bona redditia, & ſimilia. Ex his aliæ ſunt ſine quibus vix poteſt eſſe feudum, & *proximas* appello; aliæ, ſine quibus feudum eſſe poteſt, ſed non locuples, & *remotas* dico, Gail. 11. *obſer. 62. & 63.*, Afflict. *deciſ.* 434. *num.* 2. & 3. P. de Greg. *de conceſſ. feud. par.* 11. *q.* 7., Sam. Stryk. *tom. VI. diſp.* 3. *cap.* 1. *num.* 44. Omnium pertinentiarum conditio generaliter conſtituitur, ſi utilitas, neceſſitas, commoditas, & arbitrium ſeu deſtinatio patrisfam. perpendatur: cum pertinentiæ non a natura, ſed a voluntate hominis naſcantur.

Clauſula *cum regalibus* nunquam regalia majora comprehendit, ſine quibus corona Principis aut minueretur, aut parem ſibi in Regno conſtitueret, etſi inveſtitura fuerit *cum omni jure quod Princeps ibi habet*, nec refert, an Comes mero fruatur imperio, an mixto dumtaxat, minora, non majora intelligunutur translata Andr. Knichen *cap.* 1. *de Auctocrat. num.* 1100, Alciat. *lib. VII. reſp.* 10. *num.* 7., Erhard. *tract. de oper. ruſtic.*, Sonsbec. *par.* VIII. *num.* 19. Secus ſi ſpecifica in donatione regaliæ majoris mentio occurrat, ut impoſitio vectigalium, jus cudendæ monetæ, Perez *ad tit. C. de anno.*, & *trib. num.* 8.

Cum *bonis vacantibus* tribuit jus Baroni ſuccedendi iis, qui ſine hærede vel ſuo, vel extraneo in feudo decedunt, Montan. *de regal.* §. *bona vacantia num.* 3., Franch. *deciſ.* 125. Si hæc clauſula deeſt, ſuccedit Rex, non Baro, quia in generali feudorum

(m) Et feudum, cui hoc jus adnexum pluris venditur, non quia juspatron. pretio æſtimetur, ſed quia, ut loquitur de Luca *de jurepatr. diſcurſ.* 19. *n.* 17. feudum *qualificat*. Nemini dubium eſt, loci in feudum conceſſi ſitu, amænitate, maris vicinitate pretium augeri, ut deſcribit Varr. *lib.* 1. *de R. R. cap.* 2. & *ſeqq.* Pallad. *de R. R. lib.* 1. *tit.* 7. & *tit.* 5. Columel. *lib.* 1. *cap.* 2.

Digitized by Google

rum conceſſione non veniunt regalia, Sixtin. *de Reg. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 81., nec conceſſa jurisdictione continentur bona vacantia, quorum jus non eſt fructus jurisdictionis, ſed regiæ dignitatis, Perez *ad tit. C. de bon. vacan.*

Cum *jurisdictione*, & *mero imperio* Comes nequit portulaniam exercere, niſi ſpecialiter conceſſa ſit. Portulania duplex eſt maris, & terræ; maris, dum in in portubus, vel mare, vel pontibus exigitur vectigal hoc eſt *portorium* ex mercibus, quæ extrahuntur, aut immittuntur. Apud nos in unaquaque provincia adeſt magiſter portulanus, qui portus tuetur, & jura regiæ dohanæ non incorporata exigit, cujus jurisdictio nunc major, non minor eſt, ſicut loci ſuadet conſuetudo Carol. I. *in cap. ut illorum fraudibus*. Hæc Baro etſi merum imperium habuerit, nequit exercere, quia pro publica regni utilitate inſtituta ſunt, nec licentiam merces illicitas immittendi, vel extrahendi concedere, Roſa *in præl. feud. lect. V.* Portulania terræ verſatur circa vias, & loca publica, ne quid in iis, quod publico uſui noceat, conſtruatur, ut ſupra dictum eſt. Denique plures feudorum inveſtituris adnecti poſſunt clauſulæ, quas ſupra non paucas recenſui.

Nunc de interpretatione; quæ eſt *artificioſa hominis, & legis explanatio*, quæque vel extenſiva, reſtrictiva, vel declarativa, præter eam, quæ ab hiſtoriis, & vocabulorum uſu deſumitur. *Extenſiva*, dum de expreſſo ad non expreſſum, ſuadente ratione, & utilitate, progredimur; finge. Princeps, vel quisquis *inveſtit Cajum de fundo Sabiniano jure feudi*, licet de jurisdictione nihil dictum ſit, tamen colonaria notio ad jura feudi ſaltem tuenda comprehenditur: regula enim juris eſt, omnia videri conceſſa, ſine quibus id quod conceſſum eſt, inutile redditur *l.* 2. *D. de jurisd. cap.* 1. *de off. jud. deleg.* Sicut & veniunt fructus pendentes, & inſtrumenta ad feudi utilitatem deſtinata. Simpliciter feudo conceſſo, etſi de militari ſervitio nihil actum ſit, tamen continetur, quia ſervitium eſt de natura feudi, & quiſque contrahens, ſecundum naturam actus contrahere, non ab ea recedere intelligitur *l.* 12. §. 4. *D. ae uſu, & hab.*, *l.* 15. §. 4. *D. loca*, *l.* 38. *D. de adq. hered.* Piſtor *lib.* 11. *qq.* 41. *num.* 23.

Interpretatio *reſtrictiva* eſt, ut ſi verba inveſtituræ latius patent, quam mens inveſtientis. Princeps concedit caſtrum *cum regalibus* non intelligitur majora conceſſiſſe, quæ veroſimile eſt non donaturum *l.* 6. *D. de pignor. cap.* 82. *de R. J. in* 6. Con-

Digitized by Google

ceſſa jurisdictione non venit jus gladii, ſed *ſolaria* notio. Prodeſt hæc interpretatio, quoties eveneret abſurdum, ſi mens concedentis non reſtringeretur, ut princeps concedit caſtrum *cum jurisdictione*, & illud prius civitati ſubjectum erat, non præſumitur admiſiſſe jurisdictionem civitati, & caſtro contuliſſe, niſi probetur; aut ſi ſuà liberalitas ipſum lædat *l.* 2. §. 16. & 10 *D. ne quid in loc. publ.*, puta ſi ex inveſtitura adeo ſuum allodium diminuetur, ut vix vitam agere poſſit.

Interpretatio declarativa eſt dubiæ vocis, vel orationis explanatio. Dubium occurrit in inveſtitura, dum vaſallo præter feudi naturam onus imponitur, quo ejus conditio diminuitur; interpretamur, ut, quantum fieri poteſt, jus vaſalli & libertas non minuetur, quum in dubio quiſque ad id, quod minus eſt, cenſetur ſe obligaſſe; & domino imputandum, ſi clarius legem contractui non dixerit *l.* 172. *D. de R. J.*, *l.* 39. *D. de Pact.*, *l.*26. *D. de R. D.*, Forner. *ſelect. lib.* 11. *cap.* 18., exemplum eſt *in* 11. *f.* 2. §. *præterea*. Vel dubium eſt, quo ſenioris jus minuitur, & vaſalli augetur, tunc & natura feudi, & loci conſuetudo inſpicienda: nempe, vaſallus, inquit, ſe inveſtitum, ut etiam ejus filia ſuccederet, negat dominus; probare tenetur vaſſallus, quia eſt contra feudi naturam, ut femina ſuccedat 11. *f.* 2. §. *ult.*, Struv. *S. J. F. cap. VIII. A.* 8. *num.* 5., tribuendumque vaſallo, ſi clarius ſibi non providerit *l.* 60. *D. de contrab. emp.*, *l.* 99. *D. de V. O.*

Denique in omni inveſtiturarum interpretatione primum verba, deinde pacta; tenor formulæ, & loci conſuetudo perpendenda 11. *f.* 18., Giphan. *jur. feud. diſp.* IV. *num.* 16., Sonsbec. *par IX. num.* 97., idcirca a feudiſtis merito inveſtitura appellatur *radix*, *fundamentum*, *baſis*, *ratio marmorea*, & *ſcopus*, quo cuncta feudalis dirigitur juriſprudentia. Quod ſi in pactis & verbis obſcuritas appareat, illud ſectandum, quód minus naturæ feudi deroget Piſtor. *lib.* 11. *q.* 1. *num.* 4., Vultej. *lib.* 1. *de feud. cap.* 7. *num.* 86.

§. XLI.

Digitized by Google

§. XLI.

De præſcriptione.

SEcundus modus feudum adquirendi eſt *præſcriptio*, quæ præſumptæ innititur inveſtituræ II. *f.* 26. *Si quis per triginta annos rem aliquam, ut feudum poſſedit, & ſervitium Domino exhibuerit, quamvis de ea re non ſit inveſtitus, præſcriptione tamen triginta annorum ſe tueri poteſt*, II. *f.* 33. Cujac. I. *f.* 31., Hottom. *diſp. feud.* 20. Nomine præſcriptionis hic non quælibet temporis exceptio intelligitur, ſed illa, quæ XXX. ann. conſtat, quam primo Theodoſius junior in R. Imperio invenit, ut Janus a Coſta *ad cap. V. de præſcript.*, Juret. *ad Symmach. lib. V. ep. 66.*, Sirmund. & Savar. *ad Sidon. lib. VIII. ep. 6.* contra Cujac. qui ſeniorem auctorem fecit, recte probant, eamque omnes Germaniæ populi, Saxones, Gothi, Burgundiones, Franci, aliique in contractibus, judiciis, rebus publicis, & privatis retinuerunt, *lib. V. tit.* 5. *LL. Wiſigoth. l. 6.*, & *lib. X. tit. 2. l. 4.*, Lex Burgund *tit.* 79. 2. & 3., edictum Theodorici Gothor. regis *cap.* 12., *Cap.* Ludovici Imp. 103., Ever. Otto *in præf. theſ. tom. V.*, Clotharii apud Baſnag. *annal. polit. eccl. tom.* III. *p.* 826. *num.* 561.

Eandem temporis exceptionem Longobardi juris feudalis in Italia primi conditores, uti adquirendi modum adprobarunt *lib.* II. *LL. Longob. tit.* 35. *l.* 4. 5. 6. & II., *in l.* 5. Grimaldus ſanxit; *ſi quis per triginta annos bona fide poſſederit caſas, familias, & terras, & cognitum fuerit, quod ejus poſſeſſio fuerit poſt triginta annorum curricula, ad pugnam non perveniat.*

Itaque ſi quis ſpatio 30. an. rem alicujus allodialem uti feudum poſſederit, ſuoque ſeniori ſervitium exhibuerit, licet ea de re inveſtitus non ſit, hac tamen temporis diuturnitate ſe tueri valet, veruſque erit vaſallus, proinde ac ſi realis vel abuſiva adfuiſſet inveſtitura, Sonsbec. *par. IX. num.* 42., Zaſi. *par VI. num.* 21., Giphan. *jur. feud. cap. XI. num.* 5., & *diſp. VI. num.* 2. Nec vaſallus hoc juris præſidio munitus tenetur Domino titulum, vel inveſtituram oſtendere, ſecus conſtitutio *d.* §. *ſi quis per triginta* nullum produceret effectum, ſi poſt tanti temporis poſſeſſionem vaſallus titulum edere cogeretur; nec in *d.* §. 5. tituli mentio occurrit; proinde titulus præſumitur, donec

donec ut vitioſus ab actore removeatur Andr. & Alver. *ad d.* §. Piſtor *lib.* 2. *qq.* 46.

Reluctatur feudiſta *in* 11. *f.* 33. *Inde etiam dicitur, quod ſi alius probaverit ſe aliquid nomine beneficii aliquo tempore tenuiſſe Domino præſente, & non contradicente, & ſervitium ejus, quaſi a vaſallo recipiente: licet non probet inveſtitura, verumtamen obtinebit præſtito juramento: niſi aliud contra inducatur.* Dubium ex verbis *aliquo tempore* oritur, quæ pro 30. *ann.* Hotom. intelligit; potius dicam *pro anno* accipi 1. *f.* 26. *in fin.*; igitur non 30. *an.* ſed *anno* ad feudum adquirendum opus eſt; Diſtinguendum; alia eſt feudi adquiſitio, alia adquiſitionis præſumtio. Feudum 30. *ann.* adquiritur; verum ſi vaſallus, ſciente Domino, & non contradicente, anno poſſiderit, Domini conſenſus hoc intervallo non interruptus præſtat vaſallo præſumptionem, qui, etſi inveſtituram non oſtendat, jusjurandi religione obtinebit, niſi ejus poſſeſſio contraria non elidatur præſumptione. Non enim ſolius anni tempus, ſed ſcientia Domini, & juramentum vaſalli huc concurrunt; quod in præſcriptione 30. *an.* aliter ſervatur, Alvero. *ad* 11. *f.* 33. *num.* 3. Camer. *in* 11. *f.* 55. *p.* 8., Afflict. *deciſ.* 324., & 398. Ciphan. *jur. feud. diſp. VI. num.* 3.

In bonis autem Eccleſiæ olim lex Theodoſii ſervata eſt, 30. videlicet ann. vel jure dominii, vel uſusfructus adquirentur. Deinde 40. ann. diuturnitas obtinuit, quam & D. Greg. *in can. volumus XVI. q.* 4. in omnibus ſive Romanæ Eccleſiæ, ſive ceterarum admiſit. Denique diſtingui cepit Romanæ Eccleſiæ patrimonium ab aliarum Eccleſiarum bonis, nempe bona prioris non niſi centum ann. adquiri; poſterioris 40. annis, Innoc. III. *in cap.* 13. *de præſcript.*, Joan. VIII. *in can. nemo XVI. q.* 3., Bonifac. VIII. *in cap.* 2. *de præſcrib. in VI.* Verum an diſtingui opus fuerit? dicam *ad* 11. *f.* 26. §. *ſi quis per triginta*; conſ. Raguel., & Giphan, *ad l.* 23. *C. de S. Eccl.*, Wiſenbac. *de error. Irner. pr.*

§. XLII.

§. XLII.

De præſcriptione feudorum regni Neapolit.

IMp. Frider. de feudorum præſcriptione duas condidit ſanctiones, prima eſt in Conſt. *conſuetudinem pravam lib.* III. 38., quæ vetuſtum in regno morem correxit, *quo feuda quamvis magna temporum longinquitate poſſeſſa præſcribi non poterant*, & ſtatuit, *eum qui in poſterum triginta annis feudum integrum, vel quotam partem feudi, de quo certum, & deſignatum ſervitium noſtræ curiæ, vel cuilibet alii debeatur, continue, & ſine interruptione civilis, vel naturalis temporis, vel minoris ætatis adverſarii, præſente etiam in regno adverſario ſuo, poſſederit in perpetuum fore ſecurum: actionem ei contra petentem quemlibet indulgemus. Quod etiam ad illos porrigimus, qui uſque ad hæc tempora triginta annis præteritis tenuerunt, in quibus, etſi non plane juſtitiam potuerunt conſequi, conquerentes in hoc ſaltem de evidenti deſidia excuſari non poſſint, quod interruptionem præſcriptionis apud eos, qui a nobis adminiſtrationem habebant, per conventionem legitimam, aut conteſtationem litis, prout veteribus legibus eſt inductum, inducere potuerunt*. Eandem XXX. an. præſcriptionem jure ſiculo Rex Matrin. *in ap.*57., ad feudum adquirendum conſtituit.

Præclara hujus legis ratio ab eodem Imp. exhibetur, *quia his præſcriptionibus nullum poteſt Reipublicæ præjudicium irrogari, cum apud quemcumque reſideat ſervitium deſignatum, & debitum, quod non tam perſonæ, quam rei ipſi, aſcriptum eſſe dignoſcitur, minime amitti poterit, vel in aliquo morari*. Caſus legis eſt: Princeps inveſtit Sabinum de feudo, deinde Sabini feudum XXX. ann. etiam ſub lege feudali, eodem ſervitio, hominio, & ſimilibus, Titium poſſediſſe apparet; Sabinus agit contra Titium; Titius tamen hac tricennali ſe defendit præſcriptione; recte, quia Sabinus de negligentia, ut inquit Imp., accuſatur, de qua immerito conqueritur.

Hæc autem Titii exceptio, ut vim habeat, requiritur (1) ut nec naturaliter, nec civiliter fuerit interrupta poſſeſſio; naturaliter, ſi quis de feudi poſſeſſione vi dejicitur; civiliter, ſi contro-

verſia

Digitized by Google

verſia poſſeſſori movetur *l. 5. D. de uſucap.*, *l. 12. C. de præſcrip. long. temp.* (2) contra tertium præſcribens regiæ Curiæ præſtet ſervitium, quod naturaliter omni cohæret clientelæ (3), ut adverſarius, contra quem præſcribitur, ſemper adfuerit in regno; quod jus Romanum non exigit *l. fin. C. de præſcript. long. temp.* In jure dicitur *præſens*, qui in eadem provincia moratur, ſed jure noſtro regnum pro una provincia exiſtimatur, Andr., & P. Piccol. *ad d. Conſt.*, Montan. *in præl. feud, num.* 34., & *in* 11. *f.* 155. §. *præterea ducatus n.* 150., Cum. *in cap. ſi aliquem v. antiquis num.* 430.

Imperator de titulo, & bona non meminit, ſed jus Roma. Sectari videtur, quod XXX. ann. præſcriptione poſſeſſorem ſecurum reddit, non modo contra Dominum, ſed etiam rem, cujus ſi poſſeſſionem amiſit, vindicare poteſt, ſi bona fide poſſedit; ſi autem mala fide, exceptione quidem tutus eſt, ſed ſi res ad Dominum vel juſte, vel violentia redierit, adverſus eum vindicationem non habet *l.* 8. *C. de præſcrip.* 30. *vel* 40. *ann.* Etenim ex aſſidua ſervitii præſtatione Domino facta, XXX. ann. tranſactis, inveſtituræ titulus præſumitur, huic temporis curriculo innitur; ſecus lex regni inepta eſſet. Et quamvis Sabinus inveſtituram exhibeat, Titius autem nullam, ſed præſumptivam; & veritas præferenda præſumtioni; nihilominus Titius recte excipiet jus Sabini ex vera inveſtitura quæſitum præſcriptione hac eſſe exſtinctum, ex Sabini *deſidia*, quæ præſcriptiones induxit, & ipſa patientia eſt loco inveſtituræ Chriſtoph. Huber. *diſſert. de feud. Franc.* §. 1.

Ad alia tranſiit Imp. *in d. Conſt. Ceterum ſi ſuper aliquo prædio, vel prædiis ad feudum ſeu partem feudi certam pertinentibus, quæ velut libera a ſervitiis, qualitercumque aliter qui præſcribat, de quibus nullum eſt certum ſervitium prætaxatum præſcriptionem quanticumque temporis in nullo prodeſſe ſibi cenſemus, cum his de feudo ſubtractis, de neceſſitate per conſequens ipſum ſervitium minoretur.*

Tria hic enucleatur, feudum, quota, & res particularis feudi. Quota feudi eſt ejuſdem pars integralis, quæ feudi univerſitatem & baroniæ includit; nam ſub baronia poſſunt plura feuda eſſe. Hinc hæc quota eſt feudum, quod ex ſe eſt, licet ſub baronia contentum; feudum, & quota eodem XXX. an. ſpatio præſcribuntur, Res particularis feudi eſt, puta domus, prædium,

Digitized by Google

dium, jus aliquod; & hæc præſcribi non poteſt; ſive uti allodialis, de qua proprie *d.* §. *cæterum* loquitur, ſive uti feudalis, ſed a ſervitio libera præſcribatur, niſi immemoriali, Montan. *loc. cit. num* 155., Paris de Put. *de V. S. v. quota*, *&* *in cap.* 170. *num.* 3., *&* *cap.* 286. *num.* 16. *de Redin. feud.*

Ratio cur hæc non valeat 30. an., ſed immemoriali præſcribi, Conſt. *quadragenalem lib.* III. 39., eſt, quia regis ſervitium ſibi ex feudo vaſalli præſtandum diminueretur; & eſſet præſcriptio contra Regem, cum directum dominium, & feudale ſervitium ſibi debitum præſcribatur; ſed contra Regem centenaria tantum currit, ut infra. Animadvertendum: Si Rex ex illa re particulari feudale ſervitium XXX. an. receperit; tunc ceſſat *d.* §. *ceterum*, quia Regi nullum infertur damnum; ſi a Barone totius feudi quid minus percipit, a poſſeſſore tamen illius rei particularis recte rependitur, qui propter eandem Regi præſtat ſervitium; nec refert, an res illa parva ſit, cum feudum non a rei magnitudiue, ſed a voluntate Principis, fide, & ſervitio naſcatur.

Actum eſt, de illa beneficiorum præſcriptione, quæ a Rege cognoſcuntur. Inquirendnm, an in Baronum feudis etiam excipiatur. Regula juris eſt, bonis ſuis jus clientelæ neminem dare poſſe, niſi Regis accedat conſenſus. Ego prætermiſſa opinione, quid ſenſiendum, aperiam. Si quis alode Baronis 30. annis poſſederit, eique uti Domino feudalia præſtiterit ſervitia, conſtitutum jam eſt feudum, in quo hoc temporis lapſu ſolemnitas puta Regis conſenſus interveniſſe præſumitur. Vel eodem temporis ſpatio domanium Baroniæ, ſed ſterile ſub feudali pacto tenuerit; quum Baro hanc domanii ſpeciem ſub annuo reditu alteri concedere poſſit. Vel ſunt bona excadentialia, ut feudum planum, & de tabula, bona redititia; & hæc ſi vere Baronis inveſtitura alteri conceduntur, præſumtæ non denegandum. Demum ſi domanium utile fuerit, non niſi 100. an. ſub lege feudi adquiri poſſe puto, cum ſit res particularis.

Denique Frid. in Conſt. *quadragenalem lib.* IIII. *tit.* 39. abrogata lege Luitprandi *in lib.* II. *LL. Longob. tit.* 35. *l.* 8., qui LX. ann. res fiſci, & publicas adquiri poſſe ſanxit, centenariam admittit, puta ſi Titius centum annis caſtrum, vel prædium jure feudi poſſederit, de quo inveſtituram non oſtendit, contra fiſcum tutus erit; dixi *lib.* II. *tit.* IX. §. 15. Hujuſmodi

 autem

Digitized by Google

autem feudum præſcriptione quæſitum, illæſa ſuſiſtantia, eam aſſumit naturam, quam loci conſuetudo ſibi largitur, Alver. *ad d. §. ſi quis num. 6.*, Pariſ. *de redin. cap.* 133. *num.* 3., Bruckn. *diſſer. de feud. infor. cap.* 2. §. 1.

T I T. XVI.

De ſucceſſione feudorum.

§. XLIII.

De ſucceſſione ex teſtamento.

Tertius modus feudum adquirendi, eſt *ſucceſſio*. Vetuſta clientelarum conditio precaria prorſus erat, deinde hereditaria meritis vaſallorum, liberalitate Principum, atque uſurpatione evaſit, *lib.* 1. *tit.* 2. §.; & ut modus adquirendi exiſtimatur 11. *f.* 1. §. *ult. feudum neminem poſſe adquirere, niſi inveſtitura, aut ſucceſſione*, 11. *f.* 11., & 33. Inveſtitura feudum novum, ſucceſſione vetus adipiſcimur, de prima actum eſt, nunc de altera.

Juris feudalis regula eſt: *Vaſallo facultas diponendi de feudo ne eſto*, 1. *f.* 8. *nulla ordinatione defuncti in feudo manente, vel valente*, 11. *f.* 55. *pr.*, nec de eo teſtari, heredem inſtuere, legare, fideicommittere, donare, vel cauſſa mortis, vel inter vivos poteſt, etiamſi ſenioris accedat conſenſus, qui filiis, vel agnatis vaſalli nocere non valet 11. *f.* 39., ne pro anima quidem diſponere 11. *f.* 9. §. *donare*, nec Eccleſiis, Monaſteriis, lociſque piis relinquere. Ratio regulæ eſt damnum Domini, præjudicium agnatorum, & exigua vaſalli de feudo poteſtas. Patronus in feudo perpetuam ſibi vindicat auctoritatem, & ne, ſe invito, cliens obtrudatur, Hotom. 11. *in f.* 8., & ſucceſſor jus non a defuncto, ſed a ſeniore cognoſcit. Theſis quidem eſt, de iis licet teſtari, quæ ad heredem non aliunde, verum ex teſtatoris volunte. & beneficio deſcendunt *l.* 6. §. 1. *D. de leg.* 111. Agnatos non voluntas teſtatoris, ſed lex feudalis, tenor inveſti-

turæ,

turæ, & principis liberalitas ad feuda vocat, Hotom. *ad* I. *f.* 8. Sonsbec. *par.* 12. *num.* 85., Ludewig. II. *feud. opuſc.* III. *diff.* 19. *tom.* I. Criſtin. *tom. VI. dec. belg.* 27. 5.

Præterea lege Lotharii, & Friderici omnis feudi alienatio vetita eſt II. *f.* 54., *&* 55., ultima defuncti diſpoſitio eſt alienatio, igitur prohibita, *l.* I. §. I. *D. ſi quid in fraud. patr.* Unde patet feudum eſſe rem ab hominum commercio exemptam, rebuſque ſacris, religioſis & Sanctis comparandam, Perez *ad lib.* VI. *C. tit.* 22. *num.* 25.

Laudata juris regula (1) fallit, ſi aliter moribus receptum ſit, ut vaſallus, invito Domino & agnatis de feudo poſſit teſtari, quod in feudis Eccleſiaſticis verum non eſt, quum hæc non Prælati, ſed Eccleſiæ bona cenſeantur, Zaſi. *par.* VIII. *n.* 72. (2) Si feudum eſt novum tunc pater uni filiorum aſſignare, vel, uti lubet, diſponere poteſt, ut contrario ſenſu *in* II. *f.* 39. probatur, ubi And. *num.* 10., & Alver. *num.* 8., Piſtor *lib.* II. *qq.* 4. *num.* 23., modo accedat Domini conſenſus (*n*), ſive feudum fuerit ex pacto & provid., ſive hereditarium, cum clauſula *pro ſe, & filiis*. Nam in jure feudali nulla mentio occurrit filiorum, dum de revocatione feudi a defuncto alienati agitur, ſed agnatorum II. *f.* 59., II. *f.* 9. §. *porro*, II. *f.* 3. §. *ſed etiam*, II. *f.* 26. §. *Titius*. Neque jus filiis quæſitum impedit, quominus eorum pater diſponat, quum etiam jure civili in allodio iis jus competat, &, vivo patre, quaſi Domini videntur, & tamen pater poteſt alienare. Hoc enim jus oritur ex contractu patris, & Domini, ut nempe, non vivo patre, ſed poſt mortem ad filios perveniat, quare eſt jus in ſpe, ut in Flandria, Hollandia, Barbantia, & aliis Belgii locis ſervatur, Chriſtin. *tom. VI. dec. belg.* 37. 13. Demum filius tenetur ſervare factum defuncti, V. Cl. Hart. Piſtor *loc. cit.*, dicam *lib.* III.

(3) Si feudum eſt *mere* hereditarium, etiamſi nec Domini, nec agnatorum interveniat conſenſus II. *f.* 48. *Si quis ea lege*

 alicui

(n) Ut Carolus V. Imp. Renato, & Philiberto Arauſionenſis Ducatus Principibus ob ſingularia eorum merita de eo teſtandi facultatem dedit, Ludewig. *loc. cit.* Aliud exemplum præbet A. Matthæ. *veter. ævi Annal. tom.* II. *p.* 356. 20.

Digitized by Google

alicui feudum dederit, ut ipſe, & ſui heredes, & cui ipſe dederit, habeant: reſpondeo, iſte, qui ſic accepit, poterit id vendere, vel donare: vel aliter ſi ſibi placuerit, etiam ſine voluntate Domini alienare; quia hæc feudi ſpecies rei hereditariæ naturam aſſumit, & jure hereditario ſucceditur, Piſtor *lib.* II. *qq.* I. *num.* 34., dixi *in proleg. cap.* VIII. §. 41., & 42., Struv. *S. J. F. cap.* IV. *A.* 12. Aut ſi Dominus in inveſtitura vaſſo teſtandi facultatem dedit, quæ ad heredes ejus etiam tranſit, Roſent. *cap.* VII. *6. num.* 4., quia tunc voluntate Domini feudum in commercium cadit. [4] Si agnati conſenſiant II. *f.* 39., qui conſenſus ipſis, non eorum filiis natis, vel naſcituris nocet, dicam *lib.* III.

(5) De fructibus feudi, vel inter vivos, aut cauſſa mortis diſponit, imo gravare heredem poterit, ut vinum, oleum, aliudque quotannis alteri præſtet, modo fuerit hereditarium, non autem ex pacto, & provid. Scad. *par.* VII. *cap.* 2. *num.* 25. diſſen. Roſent. *cap.* VII. 8. 6.

Quæſitum eſt, an feudo legato, debeatur æſtimatio? Hinc dicitur res aliena, quia teſtator de ea commercium non habet, vel lege, vel pacto, tale eſt feudum, quod ſi legatur, ne æſtimatio quidem debetur, & prædiis, quæ erant in patrimonio Ceſaris comparatur, quibus legatis æſtimatio, non præſtatur *l.* 39. §. 7. *D. de leg.* I., ex juris regula, legatum, cujus commercium non eſt, nec ipſum, nec æſtimatio debetur. Vaſallus in feudo jus habet, donec vivit, eo defuncto, jus ſuum perit, niſi aliter ex voluntate teſtatoris appareat *arg.* I. *f.* 8. II. *f.* 9. §. *donare* ubi Andr., Curt. *par.* IV. *num.* 126., Clar. §. *feudum q.* 40., Struv. *S. J. F. cap.* IX. *A.* 12. 9., P. Greg. *ſynt. lib. XLII. cap.* 32. *n.* 32., Chriſtin. *tom. VI. deciſ. Belg.* 28. *num.* 2. Illius rei commercium dicitur non eſſe, quæ in obligationem deduci, alienari, atque obligari non poteſt *l.* 6., *l.* 34. *D. de contrah. empt.*

§. XLIV.

§. XLIV.

De legitima, atque exheredatione.

SUpra dictum eſt patri jus eſſe feudum uni liberorum aſſignagnare, nunc inſpiciendum, an alii filii querela inofficioſi teſtamenti legitimam in feudo petere poſſint, & quando feudum vicem legitimæ occupet? Jure feudali de legitima nihil ſtatutum eſt, jus Rom. ſectamur. Si pater itaque uni filiorum feudum dederit, ceteros filios legitima defraudaverit, iis actio inofficioſi teſtamenti competit, ſive ſit feudum individuum, ut Marchia, Comitatus, Baronia, ſive dividuum, ut plerumque manſus, prædium, vel jus aliquod. Nam pater poteſt feudum hereditarium filio ſecundo nato donare, præterito primogenito, quoties Domini conſenſus interveniat, Urſin. *de ſucceſſ. feud. par.* 1. *q.* 3 *art.* 6. *num.* 10. 11. *&* 12., Camer. *in* 11. *f.* 55. *p.* 24., Andr. *in* 11. *f.* 26. §. *omnes*, *ubi Lipar.*

Hic autem primogenitus, quem pater conſenſu Domini poſthabuit, merito petit legitimam, quia licet pater in feudo hereditario valeat filio nocere, tamen cum hæc feudi ſpecies inſtar hereditatis exiſtimetur, ſicut in rebus hereditariis pater filiis tenetur relinquere legitimam, ita & in feudo hereditario; nec conſenſus Domini impedit, quominus petatur, quia ille obicem tollit, ut poſſit vaſallus alienare. Vaſallus autem feudum transfert; ſicut res emphyteutica ſine Domini directi conſenſu non alienatur, & tamen in ea filiis legitima debetur. Nec feudum ex individuo evadit dividuum; nam apud ſecundogenitum ſemper individuum remanet; nec legitima ex corpore feudi deducitur, ſed æſtimatio in pecunia præſtatur. Quod ſi alia bona pater reliquerit, tunc non in feudo, ſed in hiſce bonis legitima competit; Denique in feudo hereditario id patri conceſſum eſt, non tamen in non hereditariis; & modo adſit conſenſus Domini Camera *loc. cit.*, Piſtor *lib.* 11. *qq.* 38. *num.* 10.

Primogenito competit igitur legitima, quia ipſi competit jus ſuccedendi; fœmina autem cum hoc jure ſpolietur; nequit legitimam petere; ut ſi pater filium, & filiam reliquit, filius ſuccedit, filia repellitur. Cum regula juris ſit, eum, qui ab inteſtato non ſuccedit, nec legitimam petere poſſe *l.* 6. §. 1. *D. de*

inoff.

Digitized by Google

inoff. teſtam., ſed fœmina a feudorum ſucceſſione excluſa eſt, ideo nec in corpore feudi, nec in æſtimatione legitimam petit; ſive fuerit feudum novum, ſive antiquum ex pacto, & providentia, aut hereditarium, quia licet inveſtitura celebretur clauſula *cum heredibus*, tamen vox *heres* maſculos tantum, non fœminas comprehendit, ut *in proleg. cap.* VIII. §. 41. *&* 42. Et ſi feudum paterna pecunia emtum ſit, quia manet verum feudum, ſervitia, & fides præſtatur, & pater dum feudum emit, familiæ ſuæ conſuluiſſe præſumitur; fœmina non eſt conſetuatrix familiæ, ſed finis; igitur ex eo legitima non petenda Piſtor *loc. cit. num.* 44. (o)

Quamvis fœmina ex corpore feudi nequeat legitimam petere, tamen, ne jus, & æquitas lædatur, eam vindicat, perpenſa pecuniæ quantitate in feudum collata. Jure ſtatutum eſt, parentes de bonis ſuis diſponere, ut lubet, poſſe, ſed ſalva filiis legitima, & uni, aliis præteritis, ea donare interdictum: Dum pater allodiali pecunia feudum emit, rem illam filiis donare videtur; donatio inofficioſa a filiabus impugnari poteſt; igitur merito legitima erat vindicanda, ne feudi erectio filiabus noceat, Chriſtin. *tom. VI. deciſ. Belg.* 9. 43. *num.* 7., Camer. *in dialog. poſt* §. *præterea ducatus*, Andr. *ad eundem* §. 11. *f.* 55. *num.* 59. *&* 40.

Dictum eſt de feudi aſſignatione; nunc de primogenituræ ſucceſſione. Filius primogenitus ſi in feudo antiquo ex pacto, & providentia ſuccedit, illud ei in legitimam non computetur, quia legitima detrahitur ex iis bonis, quæ ſucceſſor immediate a patre habet, ex patrimonio, & rebus hereditariis *l.* 36. §. *repletionem C. de inoff. teſtam.* Hanc feudi ſpeciem filius habet a primo adquirente; nec patrimonium patris, ſed res reſtitutioni ſubjecta cenſetur. Et proinde primogenitus in rebus allodialibus legitimam petere poteſt. Feudum autem ex pacto novum primogenito in legitimam imputatur, quia occaſione patris ei obvenit, arg. *l.* 18. *C. famil. erciſc.*, Chriſtin. *tom. VI. deciſ. Belg.* 54. *num.* 42., Franch. *deciſ.* 268. *num.* 4., quum illud pater ſine filiorum conſenſu valeat alienare. Feudum quoque hereditarium

(o) Niſi aliud conſuetudo ſuadet, ut jure Poruſſico fratres ex feudo, etiamſi alia bona adſint, ſororibus quartam, agnati tertiam dare tenentur; jure autem Saxonico etiam obligantur, modo alia bona non adſint, Ludow. II. *feud. opuſc.* 2. *diff.* 37. *to.* I.

Digitized by Google

rium ſive antiquum, ſive novum computatur in legitimam, quia uti res hereditaria, & allodialis exiſtimatur, & in petitione hereditatis eſt Andr. *in* 11. *f.* 45. *num.* 1., Clarus §. *feudum q.* 45., Intrigl. *cent.* 1. *q.* 51. *num.* 123., Wiſſenbac. *ad inſt. diſp.* 23. 10.

Nunc de exheredatione, quam uti jure feudali cognitam DD. ex 11. *f.* 24. §. *prædictis* probant: male. In eo enim recenſentur cauſſæ, quibus feudum amittuntur, & eſſe dicuntur, quibus filius ab hereditate repellitur. Nec potius ex 11. *f.* 45., deduci poteſt, ubi filius nequit feudum, repudiata patris hereditate, accipere; quia exheredatio non recte repudiationi comparatur; nec aufert, quod aliunde mihi debetur, ſive juſta, ſive injuſta exheredationis cauſſa fuerit, quæ nunquam jus agnationis labefactat; modo ea non ſit, qua ſine dedecore in curia Domini ſtare non poſſit, Voet *ad lib.* 33. *D. num.* 68., Gudelin. *de jure feud. par.* III. *cap.* 1. *num.* 10. Wiſſenbac. *compen. jur. feud. cap. v.* Nihilominus receptum eſt, jus eſſe patri juſte exheredandi filium a feudo hereditario, aut ex pacto, & provid. novo, non autem antiquo, quia hoc non ex beneficio patris, ſed primi adquirentis, & principis habet, Thom. de Mari. *de Gen. feud. tit. VI. n.* 13., & 14., Curti. *par.* III. *num.* 6., Zaſi. *par.* VIII. *num.* 17., Weſſenb. *cap.* VI. *num.* 9., Ludov. Vital. *lectio. var. lib.* 2. *cap.* 29. *n.* 12. Chriſtin. *tom. VI. deciſ. Belg.* 37. 31. Nec renitimur feudiſta *in* 11. *f.* 51. *Filius non poteſt recuſare hereditatem patris abſque feudo, propinquis autem poteſt*. Nam filius non dicitur repudiare, cui non defertur hereditas *l.* 4., *l.* 13., *l.* 18. *D. de adq. hered.* Hinc cum per filium non ſtet, quominus adeat, perinde eſt, ac ſi heres eſſet, & conditioni ſatisfeciſſet, Vital. *loc. cit.*, diſſen. Andr. *in* 1. *f.* 8. *num.* 1., Urſin. *de ſucceſſ. feud. p.* 1. *q.* 6. *art.* 1. *num.* 31., dicam *ad d.* §. *prædictis*.

TIT.

T I T. XVII.

De ſucceſſione inteſtata.

§. XLV.

De ſucceſſione diſcendentium.

ACtum ſupra eſt de arcta vaſalli de feudo teſtandi facultate, nunc ad eam devenio ſucceſſionem, quam non hominis voluntas, ſed legis diſpoſitio, & clientelarum indoles defert. Atque hæc duplici ordine *diſcendentium*, *collateralium*, & raro *aſcendentium* comprehenditur.

In linea deſcendenti omnium vetuſtiſſima, regula eſt, *feudum liberis, poſteriſque conceſſum, omnibus in infinitum deferto*, 1. *f.* 1. §. *hoc quoque*, 11. *f.* 50., Piſtor 11. *q.* 6. *n.* 39., Hotom. *diſp. feud. cap.* 18., Sonsbec. *par.* 1x. *num.* 49. Quod primo a Conrado Salico inductum eſt ann. CIↃXXXVII. Boehmer. *de inveſt. feud. cap.* 111. §. 61. dixi *in proleg. cap.* v. §. 9., cum prius fructuaria eſſent, & precario jure viverent.

Quæ juris regula omnes filios æqualiter ad feudi ſucceſſionem invitat, modo feuda non ſint majora, ut Ducatus, Marchia, Comitatus, & Baronia, in quibus gentium conſuetudine maximus ſtirpis tantum ſuccedit. Nec intereſt, an filius, qui vult ſuccedere, ſit ſuus, an emancipatus, quia præcipua ſuccedendi ratio in maſculino genere ſita ſit 1. *f.* 1. §. *& quia vidimus*; nec jus feudale, inquirit an ſacris paternis ſubſit, an ab iis exemtus, quum patria poteſtas in beneficiis omnino ſpernetur, *lib.* 1. *tit.* 11. §. 7., nec jure feudali de emancipatis aliquid ſtatutum eſt, igitur jure Romano utimur, Thom. de Marin. *de Gen. feud. tit.* 111. *num.* 39., Curt. *par.* 111. *num.* 2. Nec etiam refert an filius a patre in teſtamento prætereatur, quia præteritione jus ſanginis non tollitur, quod potiſſimum in feudo ſpectamus, Voet. *ad lib.* 38. *D. num.* 68.

Præ-

Præterea filiis & jam natis ſive impuberes, ſive puberes ſint, & etiam poſthumis eadem ſucceſſio competit, quia ventris nomine Carboniana bonorum poſſeſſio in feudis recepta eſt, cum tam natus, quam naſciturus æquali gaudeant jure, & mulier carboniani edicti poteſtate in bonorum feudalium poſſeſſionem immittitur. Denique ſicut jure civili repræſentatio in infinitum uſque conceditur, ita & jure feudali, I. *f.* 8. *pr.* ubi Andr., Hotom. *loc. cit.*, Weſenbec. *cap.* VI. *num.* 14., Curt. *loc. cit. num.* 12., puta ſi unus ex filiis deceſſit, in ejus locum nepos inferior ſuccedit, perinde, ac in pari gradu reperiretur; & defuncti patris jura repræſentat, quoties lege Longobarda feudum vivat; quia in feudo juris Francorum major natu tantum ſuccedit, licet primogenitura repræſentationem quoque contineat, donec ejus linea extincta fuerit.

§. XLVI.

De conditionibus deſcendentium.

REgula nuper relata, qua omnes filii in feudis juris Longobardorum, & major natu in individuis ſuccedunt, crebrius nonnullos etſi filios à ſucceſſione repellit; ſic & *natura* & *lege* ſimul ſuadente, ut ſi eſt Clericus, Monachus, non Miles Hieroſol., adoptivus, naturalis, mutus, ſurdus, furioſus, mentecaptus, reſcripto Principis legitimatus.

Clericus hoc eſt perſona divino miniſterio mancipata in feudis non ſuccedit II. *f.* 26. §. *qui Clericus*, II. *f.* 21., II. *f.* 21.?, II. *f.* 30., II. *f.* 36. Sive in ſacris, ſive in minori ordine conſtitutus, Barthol. *diſſert. de neceſſ. eden. tit. poſſ. cap.* IV. *num.* 51., Sonsbec. *par.* XII. *num.* 137., Struw. *S. J. F. cap.* IX. *A.* 9., quia, inquit feudiſta *in d.* II. *f.* 21. *Deſiit eſſe miles ſeculi, qui factus eſt miles Chriſti; nec beneficium pertinet ad eum, qui non debet gerere officium;* & *cap.* IX. §. *ult. de voto*, *quia Clericatus officium eos reddit inhabiles ad pugnandum;* & *cap.* I. *Ne cler., vel Mon. in fin.*, *nemo militans Deo implicet ſe negotiis ſecularibus.* Boehmer. *ad tit. decr. de vit. & hon. Cler. num.* 85. Hinc patet, aliud eſſe Clericum non ſuccedere, aliud eum eſſe feudi capacem; nam ſenior poteſt inveſtire, eique ſervitia remittere, vel per ſubſtitutum recipere.

Sæpius autem ſuccedit, & (1) ſi adeſt conſuetudo, quam quidem non, laude, quid non valet uſus! dixi *in prolag. cap.* IV. §. 50., & in Germania, & Gallia per ſubſtitutum ſervit, Barthol. *loc. cit.* (2) ſi ex feudo reale duntaxat ſervitium debeatur, puta annuus cenſus, eleemoſyna ex fructibus feudi pauperibus eroganda, concionari, & ſimilia, quæ ſine officii dedecore, & & læſione canonum peragi poſſunt. (3) Si vi, metu, & dolo malo Clericatum aſſumpſit. (4) Si re adhuc integra, hoc eſt jure alteri non quæſito, a Clericatu diſcedat, ut recte Andr. *in* II. *f.* 30. *num.* 4. *numquid ſi licite egredietur de religione infra annum probationis non ſuccedit patri in feudo; dic quod ſic: ſi pater moritur, poſtquam deſiit eſſe Clericus, vel Religioſus, ut in prædicto cap. dictum eſt. Sed ſi patre mortuo hic exit de religione, & vult ſuccedere cum inveniat apertum feudum alii: non ſucce-*

deret;

Digitized by Google

deret ; niſi cum eſſet quæſtio de feudo an alii debeat aperiri ; re integra hunc habitum deponat . Quæ diſtinctio, ni fallor , primum Ardizonem cognoſcit auctorem .

Monachus feudiſta *in* II. *f.* 21. *Miles , qui beneficium tenebat cum eſſet ſine liberis , venerabilem domum intravit , & ſeculo renunciando arma bellica depoſuit , habitumque religionis aſſumpſit , & ſic converſus factus eſt : hic donec vixerit , feudum retinere conatur , quod Dominus vel agnatus ad ſe pertinere contendit. Sed judicatum eſt Domini , vel agnati conditionem eſſe potiorem , eo, quod deſiit eſſe miles ſeculi , qui factus eſt Miles Chriſti: nec beneficium pertinet ad eum , qui non debet gerere officium ;* I. *f.* 30. Cujac. II. *f.* 21., & non modo non ſuccedit , ſed feudum , quod habuit, amittit, ſervata tamen diſtinctione , quam nuper de Clerico exhibui , Urſin. *de ſucceſſ. feud. par.* I. *q.* 9. *art.* 2. *num.* 12. 16. *& ſeqq.*, Roſent. *cap.* VII. 30. *num.* I. *(p)*

Miles autem *Hieroſolym.* a feudorum, ut obtinuit , ſucceſſione non repellitur; cujus brevi origo aperienda . In Syria etſi Saracenis ſubacta, plures degebant Chriſtiani, qui ab Ægypti Principe quartam Hieruſalem partem ad incolendum ſub annuo tributo impetrarunt. Verum cum , cauſſa devotionis ad Chriſti ſepultum non pauci confugerent , præſertim Amalphitani , quibus ab Ægypti Principe muneribus datum fuit , ut Eccleſiam S. Mariæ, quæ *Latina eſt* , a Monachis rectam , conſtruere poſſent . Deinde templum B. Mariæ Magdalenæ mulieribus religioſis con-

(p) *Auth. ingreſſi C. de SS. Eccl.* qua Monaſteria ingreſſus ſe, & *ſua Deo* dedicat generaliter non ſervatur, quia feudum ſicut & majoratus , fideicommiſſum , apud agnatos, vel Dominum remanent, Caſtil. *contr. lib.* III. *cap.* 12. *tot.*, Solorza. *de jur. Ind. to.* II. *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 65., quod eleganter expreſſit Roger. noſter, ann. 1148. in charta apud Pirr. *tom.* II. *Sic. Sac. p.* 1111., qua Abbati Monaſterii S. Joan. Evang. Clericos, & Laicos ſimul cum eorum bonis recipiendi jus debit, tamen *exceptis feudis , & poſſeſſionibus , quæ ſunt alicui ſervitio obligatæ , quæ nec ipſi recipere , nec illi offerre abſque noſtra , noſtrorumque heredum licentia præſumant .*

Digitized by Google

ceſſum condiderunt; idque ut peregrinos reciperent, Jac. Vitriac. *Hiſt. Hieroſol. cap. 64.*

Neque hæc recipiendis peregrinis ſatis eſſent, aliud conſtructum eſt Monaſterium S. Joanni Eleemoni, vel S. Joan. Baptiſtæ dicatum. Capta a Godefrido Hieruſalem, vir quidam Gerardus, cum aliis tria religionis vota emiſit, Abbatis S. Mariæ de Latina & Hieroſolym. Patriarchæ ſe ſubjecit; & de his ſcribit Franc. Mennen. *de milit. ord. orig. p. 31. Equitum illorum profesſionis ex voto religionis, finem fuiſſe, peregrinis ad loca ſacra confluentibus genus omne officii, ac pietatis ſollicite exbibere, reddere.* Anno 1291. a tota Palæſtina expulſi ſunt; ad inſulam Cypri appulerunt, deinde Rhodum ann. 1308. Turcis eripuere; ſed ann. 1522. bonis conditionibus a barbaris ejecti ſunt; & a Carolo V. Hiſpan. Rege Maltam receperunt; *Et in dominii traditi, & accepti ſignum quotannis in feudum avem Venaticam, Hiſpane Azor, mittunt ad Reges Hiſpaniæ in Siciliæ regno eam tradentes*, inquit Andr. Mendo *de ordin. milit. diſquiſ.* 1. *q.* 3. *num.* 110. Ratio itaque qua Clericus, Monachus, vel interjectus a feudis arceantur, in his tacet, Piſtor II. *qq.* 33. *num.* 22. Roſent. *cap. VII.* 30. *num.* 9., Solorza. *de jur. Indiar. tom.* II. *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 71.

Fœmina vero etſi Deo ſe devoveat, nihilominus in feudo ſuccedit, nec illud, quod habebat, amittit. Nam ſtatim ac fœmina, vel conſuetudine, vel liberalitate Principis feudorum ſucceſſionis capax evaſit, tacite actum eſſe videtur, ut per ſubſtitutum ſervire poſſit; quoties enim quis nequit ſervire, ut fœmina, mutus, ſurdus, Clericus, minor, ad feudi invitatur, ſtatim ad ſerviendum per ſubſtitutum admiſſi intelliguntur: igitur ſanctimonialis, vel ejus monaſterium a clientela, non repellitur, Urſin. *loc. cit. art.* 3. *num.* 6., Andr. *in* II. *f.* 21. *in fin.*, & II. *f.* 26. §. *ſi minori*, Capyc. *deciſ.* 31. eſtincta moniali feudum ad agnatum, vel Dominum devolvitur, excluſo monaſterio, Monachus cum moribus, vel pacto non evaſerit ad ſerviendum habilis per ſubſtitutum, idcirco feudum, nec retinet, nec ſuccedit, Piſtor *lib.* II. *qq.* 33. *num.* 24. & 28.

Adoptivus II. *f.* 26. *adoptivus filius in feudum non ſuccedit.* Nam jure feudali filiorum appellatione non veniunt adoptivi, ut ſæpe jure civili, puta in excuſatione tutelæ, remiſſione muneris publici, in fideicommiſſo, ſi ſine liberis deceſſerit, relicto,

adopti-

adoptiva proles non prodeſt *l.* 75. *D. de condit.*, *& demon. l.* 51. *D. de leg.* 2. late Vetr. Maur. *de jure liber. cap.* 43. Dum itaque ſenior feudum concedit fidelitatem, ſanguinem, & ſuum damnum reſpicit 1. *f.* 27., 1. *f.* 1. §. *& quia vidimus*, & §. *cum vero*, 11. *f.* 3. §. *nulla*. Fidelitas in liberis ejusdem ſanguinis, non autem fictitiis præſumitur: Sanguis, & generoſa vaſalli ſtirps generoſam quoque parit prolem Fab. *v. inſt.* 10., ne ad feudum, ſeniore invito, alius cliens obtrudatur; ne feudi devolutio impediretur, *arg. l.* 11. §. 1. *D. de vac. & excuſ.*

Non raro tamen ſuccedit, ſi conſuetudo a ſeniore ſaltim tacite adprobata, ſuadet; ſi inveſtitura dictum ſit, ut ſuccedat; ſi auctoritate Principis quis hac lege adoptaverit, ut in feudo ſuccedat; quæ adoptio Principi infeudanti, non vaſalli agnatis nocet, quibus ex inveſtitura jus quæſitum eſt, quo injuſte non ſunt ſpoliandi 11. *f.* 11., 11. *f.* 39., & reſcripſit Imp. Marcus *in l.* 39. *D. de adoptio.* Quod idem de filio adrogato ſenſiendum, Sensbec. *par. IX. num.* 64., Thom. de Mar. *de Gen. feud. tit.* 11. *num.* 55.

Naturalis 11. *f.* 26. *naturales filii, licet poſtea fiant legitimi, ad ſucceſſionem feudi nec ſoli, nec cum aliis admittuntur.* Primæva feudorum indoles legitimum accipientis ſanguinem perpendit recte: nam eſſe legitimum, & genuinum in hominum natalibus indicat quid divinum; nec ſub liberorum appellatione ſenior naturales intellexit, ſed eos, quos & lex, & dignitus feudalis admittit. Facile vaſallus filiis orbus anniculum ex concubina ſuſciperet, nec feudum ad Dominum devolveretur, Hannet. *lib.* 11. *cap.* 2., Piſtor *lib.* 11. *qq.* 40. *num.* 1.

Feudiſta inquit *in d.* §. naturales ne legitimatos quidem ſuccedere, hoc eſt *reſcripto Principis*, niſi, ut in feudo ſuccedat reſcripſerit; quia Princeps privilegio ſuo juri communi derogare non præſumitur, Ziegl. *de J. M. lib.* 1. *cap.* 12. *num* 6. Nec jus agnatis quæſitum, niſi eorum conſenſu, auferre 11. *f.* 39. Nam dum ipſe ad feudum agnatos invitavit, donavit, & donatio ſine cauſſa non revocanda, Ziegl. *de J. M. lib.* 1. *cap.* 31. *num.* 22., Piſtor *lib.* 11. *qq.* 40. *num.* 25., Sonsbec. *par. IX. num.* 68.

At ſi Princeps reſcripſerit, *non obſtante*, & filios legitimos, & naturales non expreſſit, tunc legitimatus ſuccedit in feudo hereditario ſive dividuo, ſive individuo, nec non in feudo ex pacto, & provid. novo, quia de his vaſallus conſenſu Domini diſponere valet, ut ſupra dictum eſt, Camer. *in* 11. *f.* 55. *p.* 19.,

ſecus

Digitized by Google

ſecus ſi eſt feudum ex pacto antiquum in quo agnati habent jus quæſitum, niſi eorundem conſenſu, qui naſcituris non nocet, cum hæc Principis legitimatio ſit vera feudi alienatio, Andr. *in* 11. *f.* 8. *n.* 17., Gudelin. *de iure feud. par. III. cap.* 5. *n.* 6. 7. 8.

Legitimatus autem per ſubſequens matrimonium ſuccedit, quum fictione juris ad tempus conceptionis matrimonium retrotrahatur ex vi, quæ matrimonio cohæret; & omnia ingenuitatis jura conſequitur *nov.* 89. *cap.* 8. *cap. tanta qui fil. ſint.*, Piſtor *loc. cit. q.* 42. *tot.*, & inter legitimos defertur deſcendentes, Struw. *S. J. V. cap. IX. A.* 3. *num.* 12. Nec refert an tempore mortis cum concubina contrahat, quia utitur jure ſuo, & nemini idcirco irrogat injuriam *l.* 24. §. *fin. D. de dam. idf.*, nec matrimonii perfectio a copula, ſed a conſenſu dependet, Bammac. *ad d.* §. *naturales q. VII. & VIII.*, Voet. *ad tit. D. de concub.*

Quæſitum ſedulo eſt, an vaſallus ex concubina filium ſuſceperit, deinde, ea relicta; legitimam duxit uxorem, ex qua alium habuit filium: mortua uxore, concubinam ritu duxit. His decedentibus; an filius ex innuptis nuptiis ſuſceptus, & poſtea legitimatus, legitimo præferatur? Omiſſa diſputatione, legitimatum anteferro (1) par jus ambobus adeſt, igitur pari frui debent ſucceſſione, quæ ex conjugali legitimatione deſcendit (2) in hac beneficiaria ſucceſſione jus legitimi, & primogenituræ reperitur; primum eſt a lege; ſecundum a natura; de primo non ambigitur; ſecundum a lege tolli non poteſt. Utraque legitimatus poſſidet, itaque & præferendus (3) capacitas ſuccedendi inſpicitur tempore mortis, & ſucceſſionis, nec medium nocet *l.* 52. *D. de leg.* II.

Adverſarii ratio eſt jus filio legitimo quæſitum: nugæ: nam illud dupliciter perpendi poſſet, vel in re, vel in ſpe. Filius, vivo patre, nullum in alode, vel feudo patris jus habet, ſecus pater alienare nequiret, & duo Domini ejusdem rei in ſolidum eſſent. Nec ſpe, quæ incerta omnino exiſtimatur; cum vel exheredatione, aliave cauſſa ab hereditate expelli contingat. Et quamvis hoc jus quæſitum eſſet; recte pater vel minuere, vel auferre valet. Nonne filius legitimatus cum legitimo in alode, vel feudo juris Longobardici viriliter ſuccedit, Gudelin. *de jur. feud. par. III. cap.* 5. *num.* 9., Voet *ad tit. D. de concub.*, Intrigl. *cent. II. art.* 1. *num.* 488., Cum. *in cap. ſi aliquem v. majoratum num.* 65. Hæc autem in feudo hereditario, non ex pacto intelliguntur.

Mu-

Digitized by Google

Mutus, *ſurdus*, *furioſus*, *mentecaptus*, *cæcus*, *claudus*, aut aliter imperfectus in feudo non ſuccedunt, *in* 11. *f.* 36. *Mutus*, & *ſurdus*, *cæcus*, *claudus*, *vel aliter imperfectus*, *etiamſi ſic natus fuerit*, *totum feudum paternum retinebit*. *Obertus*, & *Gerardus*, & *multi alii*. *Quidam tamen dicunt*, *eum*, *qui talis natus eſt*, *feudum retinere non poſſe*: *quia ipſum ſervire non valet*. *Sic dicimus in Clerico*, & *in fœminis*, & *in ſimilibus*, & *in* 1. *f.* 6. §. *Mutus feudum retinere non poteſt*, *ſcil. qui nullo modo loquitur: ſed ſi feudum fuerit magnum*, *quo ei ablato ſe exhibere non valeat*: *tantum ei relinqui debet*, *unde ſe ſuſtinere poſſit*.

Tres in Italia de imperfectorum ſucceſſione recenſentur ſententiæ; prima totum feudum iis eripiebat; ſecunda partem dabat ei qui militare poſſet; tertia totum concedebat. Ego, pritermiſſa opinione, diſtinguam; aliud eſſe mutum, ſurdum &c. in feudo ſuccedere, aliud feudum amittere. Hujuſmodi imperfecti non ſuccedunt, quia *nequeunt ſervire*, ſive ita nati, aut facti ſint, quum ratio feudiſtæ ſervitio innitatur; cauſſa enim inveſtituræ fuit ſervitium, igitur ea ceſſante; ceſſare debet effectus, Thom. de Mar. *de Gen. feud. tit.* 11. *num.* 133., Andr. *in d.* §. *mutus num.* 5., & *in* 11. *f.* 36. *num.* 1. Feudum vero quod poſſidebant, retinent, hoc eſt, ut mihi videtur, vel per alium ſeniori ſerviant, aut portionem ex feudo, qua ſe alere poſſint, percipiant; quod æquiſſimum exiſtimo, præcipue hodie, cum feuda partim emta, partim oblata, non gratis adquiſita ſint, idcirco mitius cum his agendum P. Ludew. *tom.* 1. *lib.* 11. *opuſc.* 2. *diſſ.* 19., Voet *ad lib. D.* 38. *num.* 64.

Sæpe filii legitimi, & naturales a feudali arcentur ſucceſſione, de quibus feudiſta *in* 11. *f.* 29. *Quidam habens filium ex nobili conjuge*, *poſt mortem ejus non valens continere*, *aliam minus nobilem duxit*: *qui nolens exiſtere in peccato eam deſponſavit*, *ea lege*, *ut nec ipſa*, *nec filii ejus amplius habeant de bonis patris*, *quam dixerit tempore ſponſaliorum*: *verbi gratia decem libras*, *vel quantum voluerit dare*, *quanto eam deſponſavit*: *quod Mediolanenſes dicunt accipere uxorem ad Morganaticam*, *alibi*, *lege Salica*: *hic filiis ex ea ſuſceptis deceſſit*. *Iſti in proprietatem non ſuccedunt*, *ſed nec etiam in feudo*, *etiam aliis non extantibus*: *qui licet legitimi ſint*, *in beneficio minime ſuccedunt*; quod pactum cunctis Germaniæ populis arriſit, Heinec. *elem. jur. Germ. lib.* 1. *tit.* 10. §. 326. dicam *ad d. tit.* 29.

§. XLVII.

Digitized by Google

§. XLVII.

De ſucceſſione mulierum.

NUper dictum eſt, non omnes deſcendentes in infinitum ſuccedere, inter hos recenſetur fœmina, quæ plerumque a feudorum repellitur ſucceſſione 1. *f.* 1. §. 3. 1. *f.* 8. §. *filia*, 1. *f.* 13. §. *etſi clientulus*, 1. *f.* 24., 11. *f.* 11., 11. *f.* 2. §. *fin.*, 11. *f.* 30., 11. *f.* 50, ratio (1) feuda a militia nata ſuut, àd quam mulieres idoneæ non ſunt, & licet nonnullæ loricis indutæ dimicaſſent, tamen lex non quod raro, ſed quod ſæpius contingit, perpendit. (2) Fragilitas conſilii. (3) Neſcit ſecrera ſui ſenioris celare. (4) Levitas voti dum quater in hora mutatur. (5) Publica utilitas non patitur virorum cætui iutereſſe, Becki. *diſſert. de feud. fœmiu. pr.*, H. Piſtor 11. *qq.* 34., Sonsbec. *par.* 1*x.* *n.* 12., Stryki. *tom.* 1. *diſp.* 20. *cap.* 2. *dum.* 19., Cujac. *in* 1. *f.* 1. §. *& quia vidimus*.

His rationibus Romanorum politia, & barbaræ gentis conſuetudo mota, a publicis muneribus removit, & mediæ ætatis populus ab omni fere parentum hareditate, etſi allodiali expulſit, ſi mares eſſent lex Salica, Ripuaria, Longobardica, Saxonica, Anglica, Alemannica, & Baiwaria, exceptis Wiſigothis, qui inſtar Romanorum æqualiter ad paternam, maternam, fratrum, ſororumve hereditatem vocabant, *lib LL. Wiſig. IV.* 21., Einec. *elem. jur. German. lib.* 11. §. 218. *& ſeqq.* Magis a militaribus beneficiis. Quæ juris regula olim & hodie (1) extenditur, etiamſi in inveſtitura dictum ſit *pro ſe, & heredibus*, quia vox *heres* in jure Longobardo, & Germano pro maſculo rantum, non fœmina ſumitur 11. *f.* 26. §. *fin.*, 1. *f.* 13. §. *etſi clientulus*. Nec id mirum; nam Paincipes dum feudam concedebant bellis impetitos de maſculis ad bella dumtaxat idoneis, non fœminis intellexiſſe dicendum eſt.

(2) Adeo a clientelari ſucceſſione fœmina excluditur, ut etiam maſculi ex ea deſcendentes repellantur 1. *f.* 1. §. 3., 11. *f.* 11. Etenim filius eo ipſo, quod vult ſuccedere, in locum matris ſubrogatur; ſed ſubrogatum ſapit naturam ejus, in cujus locum ſubrogatur; mater excluſa eſt a ſucceſſione, filios igitur jura matris repræſentantes excludi neceſſe eſt; quia mater cum nihil ju-

ris

Digitized by Google

ris in feudo haberet, nihil ad filios tranſmittere poteſt *l.* 54. *D. de R. J.*, ne ſucceſſor ſit melioris conditionis, quam defunctus *l.* 143. *D. de R. J.* Præterea dum quis feudum concedit, ſanguinem & generoſam inveſtiti elegit familiam; generoſitas non a matre, ſed a patre deſcendit; nec in jure novum eſt, conceſſionem generi, poſteriſque factam, ad eos, qui ex maribus geniti ſunt; reſtringi *l.* 1. *D. de jur. immun.*, *l.* 13. *D. de mun.*, *& honor.*, Gudelin. *de jur. feud. par. III. cap.* 3. *num.* 10., Thom. de Marin. *tit. XI. de feud. fem. num.* 8. Piſtor *loc. cit. num.* 5., Scrad. *par. VII. par.* 4. *num.* 4.

(3) Nec refert, ſi inveſtitura ſit cum clauſula, *ut mares, & fœminæ ſuccederent*, quia mares præferuntur, & fœminæ ſemel excluſæ, iis ulterius ſucceſſio non aperitur 1. *f.* 8. §. *filia*, 1. *f.* 6. §. *quin etiam*, ubi Andr. & Alver. Hoc jure defuncto Gulielmo Aquitaniæ Duce abſque herede maſculo, relictis filiabus duabus, Ludovicus Rex totam Aquitaniam vindicavit. Itaque defuncto patre ſuccedit filius, filio ſine herede decedente, non ſuccedit ſoror, ſed feudum aperitur patrono. At id verum, ſi excluſio eſt *ſimplex*; ſi eſt *ſuſpenſiva*, tunc ſemel excluſa non ſemper excluſa cenſetur: finge; dictum eſt, fœminas non ſuccedere, donec ſupereſt maſculus, defuncto ſine prole maſculea mare, ſuccedit fœmina, cum inveſtitura fuerit conditionalis, Cujac. 1. *f.* 1. §. *& quia*, Duaren. *de feud. cap.* 10. *num.* 12., Hieron. Garz. *tract. de fœmin. ad feud.*, atque ſic adverſa componi poteſt opinio.

Non diſtinguitur, an feudum fuerit francum, an emptum, quod perperam nonnullis negatum eſt; quamvis in feudo franco non adſint ſervitia, tamen ratio, quæ arcet fœminas, non eſt militare tantum ſervitium, ſed conſulere ſeniorem, ſecreta reticere, aliave, quæ in hominio continentur a fœminino ſexu aliena; nec ſi una ceſſat ratio, juris diſpoſitio ruit *l.* 83. *D. de hered. inſt.*, Scrad. *par. VII. cap.* 4. *num.* 11., nec text. *in* 11. *f.* 104. obſtat, cum extra juris corpus vagetur. Eadem ratione excluditur a feudo emto 11. *f.* 36., quamvis feudum pecunia comparatum ſit, non tamen ſuam amittit naturam, quæ fœminas repellit, niſi aliter in inveſtitura conveniatur, Ludov. Vital. *lect. var.* 11. *cap.* 30. *num.* 4., cum feudum emtum exiſtimetur verum beneficium, *proleg. cap. VII.* §. 28. Nec in feudo conditionato, hoc eſt ad certum ſervitium conceſſo; nec in cenſuali, pro quo

Digitized by Google

annuus canon ſolvitur, ſuccedit, quum cauſſa excluſionis non unica, ſed multiplex fuerit, ut dictum eſt, in quo male diſſentit Stryk. *loc. cit. cap.* 2. *num.* 35.

Laudata juris Longobardi regula (1) deficit, ſi conſuetudine fœminæ ſuccedunt, quæ adeo Gentes allexit, ut & in feudis, & in regnis admitterentur. Regna, ut Gothorum, Hiſpaniæ, Angliæ, Indiæ, Hieruſalem, Siciliæ, Novarræ, Caſtellæ, Legionis, Scotiæ, Arniſ. *de Republ. lib.* II. *cap.* 2. *ſect.* 12. *num.* 152. Virg. I. Æn. *in fin.* ubi Serv. *Ante etiam fœminæ regnabant, præſertim primogenitæ.* Feuda, ut Comitatus Hollandiæ, Selandiæ, Barbartiæ, Burgundiæ, Ducatus Britanniæ, Comitatus Namurcenſis, Montisbelgardenſis, Ducatus Aquitaniæ, Comitatus Vindocinenſis, Juniacus, Convenarum, Albemarlæ, Brieneus, Arveniæ, Arni. *loc. cit. num.* 20., Cabot. *diſp. jur. publ. lib.* 1. *cap.* 19., Choppin. *de Dom. Franc. lib. III. tit.* 6. *num.* 1., cujus conſuetudinis origo eſt *abuſus*, & *nuptiæ*, quæ regna, & feuda a familiis ad alias detulerunt; ſed ea intelligitur, quoties maſculus non ſupereſt, Sonsbec. *par. IX. num.* 127.

(2) Si inveſtitura dictum ſit, 1. *f.* 8. §. *filia*, 1. *f.* 1. §. *hoc autem*. Hoc tamen pactum intelligitur, deficientibus maſculis, femina ſuccedat ex regula *in* II. *f.* 17. *non patet locus fœminæ in feudi ſucceſſione, donec maſculus ſupereſt ex eo, qui primus de hoc feudo fuerit inveſtitus*, proleg. *cap. IX.* §. 52., & etiam agnati præferantur cognatis, puta vaſallus decedit, relictis filio fratris, & filio ſororis, Cujac. 1. *f.* 2. §. *quin etiam in fin.*, Gudelin. *de jur. feud. par.* III. *cap.* 3. *num.* 14. Hæc tamen fœminarum vocatio in prima inveſtitura facienda eſt, non in ſequentibus, quia poſterior inveſtitura non derogat priori, nec in præjudicium illius, qui in prima vocatus eſt, facta intelligitur, Stryk. *loc. cit. num.* 3.

(3) Si feudum eſt fœmineum, hoc eſt, quod de novo primum fœmina adquiſivit pro ſe, & deſcendentibus II. *f.* 30., II. *f.* 50., ſed deficientibus maſculis, ut Obertus, & Gerard. *in d. tit.* 30. *Si fœmina habens feudum deceſſerit: quia fœmineum eſt feudum, & ſine pacto ſpeciali deficientibus filiis maſculis, ad filias pertinebit. Obertus, & Gerardus. Alii vero dicunt, niſi per pactum ſpeciale ad eas non pertinere.* Andreæ, & gloſſæ diſplicet Oberti opinio: male. Cum initio voluntate Domini fœmineum conſtitui-

non patere locum fœminæ, niſi deficientibus maſculis in feudis etiam fœmineis vim habet II. *f.* 17., I. *f.* 8. §. *filia*, Piſtor II. *qq.* 34. *tot.*, Weſenbec. *cap.* VI. *num.* 22., Curt. *par.* III. *num.* 3.

§. XLVIII.

De jure primogenituræ.

SÆpius dictum eſt, deſcendentes omnes æqualiter in feudo ſuccedere, ſed ſi feudum eſt individuum, ſolus ſtirpis maximus ſuccedit, quod jus *primogenituræ* vocatur, conſenſu populorum, & publica utilitate ortum (*q*). Conſenſus populorum in regnis, & majoribus, individuiſque feudis primum ſuccedendi ordinem dedit. Publica utilitas, ut familiæ conſervarentur; dixi *in proleg. cap. VI.* §. 24., Leuold. Nothov. *in Chron. Comi. de Mark.* (*r*)

Primigenius dicitur, qui primo natus eſt, nec erit ſatis, brachium, vel pedem, aliquam corporis partem foras emiſiſſe, niſi totus naſcatur, exerta enim manus, tanti non eſt, ut quis pro primogenito habeatur, Cartwrigh. *ad cap.* 38. *Geneſ. v.* 28., Tiraquel. *de jur. primog. q.* I. *n.* 8. nihil tamen refert, an quis primo con-

(q) Latine dicitur *primigenius*, & *primigenia*, Symmach. *IX. epiſt.* 118., ubi Juretus priſcum refert titulum: CERERI AUGUSTÆ MATRI AGR. L. BENNIUS PRIMUS MAG. PAGI. BENNIA PRIMIGENIA MAGISTRA FECERUNT.

(r) Primigenio jure Moſis erat Sacerdotium, duplex portio in hereditate, honor, atque auctoritas in fratres. Hinc Cartwrightus verba *Gen.* 25. *v.* 31. *vende primogenita tua* hoc eſt opum paternarum duplicem portionem intelligit; Fagi. *ad cap. IV. Gen.* Hoc tamen jus delicto amittebatur Grot. *ad d. cap. IV.*

Digitized by Google

conceptus, ultimo exeat, quia primogenitura non ex incerto eventu dependeat oportet, Paul. Zachia. *in qq. med. leg. to. II. lib. IX. q.* 1. Si vero dubitetur, quiſnam ſit primogenitus? Forſan mater cæca ſine obſtetrice pariat, Fere cunctis ſedet, eum præferri, cui uberius natura providit, ſi robuſtior altero eſt, quia præſumitur citius ex utero matris exiiſſe. Puer enim alimentis plenus, & ſaturatus calcitrat, membranas, & pelliculas rumpens, partum inducit, Hippocr. apud Zachi. *loc. cit.*, Ciri. *de primog. lib.* 1. *q.* 1. *concl.* 1., aut ſi unus eſt maſculus, alter fœmina, ſexus maris præfertur.

Nec refert, an filius, ante vel poſt feudi & regni adquiſitionem natus ſit. Ulpian. *in l.* 5. *D. de Senat.* inquit filium Senatoris eſſe, ſive in Senatoria dignitate, ſive ante procreatum, Perez *ad tit. C. de dignit. num.* 59., P. Greg. de Republ. *lib. VII. cap.* 9., Gudelin. *de jur. feud. par.* III. *cap.* 4. *num.* 11.; quia ſucceſſio tempore mortis inſpicitur; nec jus filio quæſitum adventitio aliquo caſu adimendum, Hotom. *Ill. qq.* 2. *tot.*, Perez *ad tit. C. de decur. num.* 68. Demum ſtatim ac feudum in familiam ingreſſum eſt, omnibus filiis ſpes ſuccedendi acquiritur, ſed quia feudum eſt individuum, primogenito dumtaxat cedit, Grot. *de J. B. & P. lib.* II. *cap.* 7. §. 28., Huber. *de J. C. lib.* 1. *cap.* 30. §. 15.

Quæſitum eſt, an nepos præferatur patruo? Hoc a cunctis fere Europæ imperiis actum eſt; nec ſolum calamis, ſed & enſibus in arenam deſcendit. In Anglia, Callia, Portugallia, Alamannia, & Sicilia, nepos vicit, ut exemplis probat P. Greg. *de Rep. lib.* VII. 10., Goldaſt. *diſc. de jure repræſen. n.* 9., Gudelin. *loc. cit. n.* 12., Cujac. *in* II. *f.* XI., Sigeber. Gemb. *in Chron. ad an.* 942. ubi Ottonis Imp. decretum refert; & merito. Nam jure repræſentationis, filius jura patris repræſentat, & veluti viventem patrem ſiſtit; liberos enim procreamus, & educamus, ut delapſo vitæ noſtræ ſpatio, in iis vivere videamur. Jus patris erat, ut ipſe tanquam primo natus, feudo, regnoque potiretur, hoc jus tranſiit in filium, qui ſi juris auctoritate proximior exiſtimatur, cur non etiam primogenitus? Jus repræſentationis in linea diſcendenti ſatis cognitum fuit apud Francos, Longobardes, Wiſigothos, Svevos, (non veteres Saxones) *lib. IV. LL. Wſig tit.* 2. §. 1. *lib. II. Longob.* 14. 18. Heinec. *Elem. jur. Germ. lib. II.* §. 229.

Eo-

Digitized by Google

Eodem jure Vandali, Scoti, Hiberni, Nortmanni, Angli uſi ſunt Goldaſt. *loc. cit.*, quo & in feudis, allodio, & regnis quæſtio dirimi poteſt.

Hujuſmodi primogenio jure pater filium crebro expoliare poteſt, ſicut de exheredatione dictum eſt, modo juſta adſuerit cauſſa, Tiraquel. *de jure primogen. q.* 21. *num.* 12. Exemplum affert Jamber. Schafnaburg. *de rebus German. ed. Piſto. In Comitatu Balduvini, ejuſque familia id multis jam ſeculis ſervabatur, quaſi ſancitum lege perpetua; ut unus filiorum, qui patri potiſſimum placuiſſet, nomen patris acciperet, & totius Flandriæ principatum ſolus hereditaria ſucceſſione obtineret; ceteri vero fratres aut huic ſubditi, dictoque obtemperantes ingloriam vitam ducerent, aut peregre profecti, magis propriis rebus geſtis florere contenderent, quam deſidiæ, ac ſocordiæ dediti, egeſtatem ſua vana majorum opinione conſolarentur. Hoc ſcilicet fiebat, ne in plures diviſa provincia, claritas illius familiæ per inopiam rei familiares obſoleret* (s).

Jus primogenituræ, non modo a lege induci poteſt, ſed etiam a particulari familia; Roſent. *cap.* VII. 25., ut in Germania in aliquibus familiis mares tantum, in aliis mares & fœminæ ſuccedunt. In ſucceſſione marium vel primogenitura ſervatur; & ulterius genitis aliqua portio aſſignatur; vel æqualiter Comitatum, Ducatum, aliudve regale feudum dividunt. In Archiducatu tamen Auſtriæ, Ducatibus Wiirtenburgico, Brunſvicenſi, Sleſvicenſi, Clivenſi, Juliacenſi, Megapolitano, Pomeraniæ, Lotharingiæ, Sabaudiæ, Pedemontii, Burgundiæ, Mediolani, Florentiæ, Fertariæ, Mantuæ, Montisferrati, Urbini, Delphinatus, Landgraviatu Haſſiæ, Marchionatu Badenſi, & Comitatu Hennebergenſi maximus ſtirpis tantum ſuccedit, Vitriac. *lib.* III. *inſt. jur. publ. cap.* 20. *num.* 33. (t)

Ve-

(s) Hæc poſtpoſitio dicebatur *ſenioratus* id eſt dominatio, *ſeniorare* eſt imperium exercere, ut charta monaſterii S. Sophiæ apud Cam. Peregr. *diſſer.* VIII. *de Ducat. Benev. Sumus reſidentes in ipſa Civitate Luceriæ ad ſeniorandum, judicandum, & regendum*.

(t) In feudo novo pater primogenituram valet conſtituere, ſi-

Digitized by Google

Verum hoc familiarum pactum non debet Domino nocere, videlicet ſi prius maſculi ſuccederent, conſuetudine induci nequit, ut etiam fœminæ admitterentur; niſi ſenior conſenſiat; quia facto unius conditio alterius deterior fieri nequit, *l.* 74. *D. de R. J.*, facile enim feudi devolutio impediretur II. *f.* 34. §. *profecto*, Scrad. *par.* VII. *cap.* 4. *num.* 54., Roſent. *cap.* VII. 25., ſicut nequit Dominus feudum antiquum juris Francorum in jus Longobardorum commutare, quum agnati læderentur. Itaque nec vaſallus, nec ſenior ſuccedendi ordinem, & feudi naturam mutare valent.

§. XLIX.

ſicut & in feudo hereditario. In feudo tamen ex pacto antiquo negatum eſt, cum in eo quiſque ex propria perſona ſuccedat, Luca *de feud. diſc.* IX. *num.* 2. *& ſeqq.* late Rovit. *ad prag.* I. *de tit. abuſ. num.* 126.

§. XLIX.

De ſucceſſione collateralium.

DEficiente deſcendentium linea, ſive juris Francorum, ſive Longobardorum, ſuccedunt collaterales. Regula eſt, *Collaterales a primo adquirente deſcendentes in infinitum ſuccedunto.* Conrados Salicus fratres conſanguineos ad feudi ſucceſſionem a communi parente adquiſiti primus invitavit; deinde *Lotharius* ultra fratres patruum vocavit; demum Lombardiæ ſapientes primum ad patrueles, poſtea ad ſeptimum gradum, poſtremo in infinitum extenderunt, Cujac. *in* 11. *f.* 1. §. *& quia*, Franc. de Andr. *diſp. feud. cap.* 11. §. 10., Weſenbec. *cap.* VI. *num.* 16. Ratio Sapientum, quia ſicut illi, qui in linea deſcendenti reperiebantur, jure tunc recepto ex lege Conradi, a primo ſtipite deſcendentes in infinitum ſuccederent; ita & collateralium ſucceſſio etiam a primo adquirente proveniens in infinitum prorogaretur. Etſi reſpectu ultimi decedentis eſſent collaterales, cum non ei, ſed primo acquiſitori ſuccederent, a quo vere deſcendere dicebantur. Nam jure Longobardo omnia feuda ſunt ex pacto, quibus non ultimo defuncto, ſed primo acquiſitori ſucceditur.

Exemplum: Sejus pater meus feudum adquiſivit, deinde moritur, feudum ad me revertitur, ſi ego moriar ſine liberis, feudum tranſit ad fratres meos, non ad fratres mei patris, qui a meo patre primo adquirente non deſcendunt; hinc patet non omnes agnatos ad feudi ſucceſſionem admitti, ſed eos tantum, qui a primo acquirente originem capiunt 1. *f.* 1. §. 4., ubi Cujac. & Alver., 11. *f.* 50., 11. *f.* 31. Et proinde uterini in feudo fœmineo a matre adquiſito, vel ex linea materna proveniente excludunt conſanguineos; & viciſſim uterini non ſuccedunt in feudo a patre, vel patris linea adquiſito, quia in beneficiaria ſucceſſione vinculi duplicitas non conſideratur, ſed tantum, an a primo adquirente deſcendat; & proinde frater utrimque conjunctus non excludit fratrem conſanguineum, ſolo patre videlicet conjunctum, quia ex eadem linea, a qua feudum pervenit, deſcendunt; & cognatio quæ ex parte matris eſt, jure Longobardo nihil valet, Thom. de Marin. *de qual. feud. tit. XII. num.* 20., Struv. *S. J. F. cap. IX. A.* 6., Stryk. *tom.* 1. *diſp.* 20 *cap.* 6. *n.* 66.

Ex

Digitized by Google

Ex his conſtat in feudali ſucceſſione tria perpendenda, (1) *linea*, (2) *proximitas*, (3) *repræſentatio*. Linea; ut ſi patruus, & filii fratrum concurrant, filii, excluſo patruo, præferuntur, etſi in æquali ſit cum nepotibus, ſed non in eadem linea, a qua feudum primum prodiit, & nunc reperitur; nepotes ſunt de linea defuncti vaſalli, patruus eſt de ſecunda linea, quæ non a proximo, ſed a remotiori ſtipite, videlicet avo ortum habet, quod in feudi juris Francorum, & Longobar., vel cujuslibet naturæ procedit. Proximitas, nempe in eadem linea, ut proximior remotiorem excludat.

Præterea conſideratio repræſentationis, quia primo vaſalli defuncti fratres ſuccedunt, qui ſi ſoli exiſtunt in capita, ſi vero adſint præmortui fratris filii in ſtirpes, hoc eſt eam accipientes feudi portionem, quam eorum parens, ſi viveret, habuiſſet, II. *f.* 11., Piſtor II. *qq.* 43. *num.* 2. Weſenbec. *cap.* VI. *num.* 16., Struw. *S. J. F. cap. IX. A. 6.*, nam dum nepos ex fratre, vel conſobrinus ſuccedit, non tanquam patruo, vel conſobrino, ſed quaſi in avi beneficium ſuccedit, I. *f.* 14. ibi: *Si capitanei, vel valvaſores majores, vel minores inveſtiti fuerint de beneficio: filii, vel nepotes ex parte filiorum ſuccedunt. Si vero unus ex his filiis, vel nepotibus ſine deſcendentibus maſculini ſexus heredibus mortuus fuerit: prædicti fratres, vel nepotes per inveſtituram patris, & avi in beneficium ſuccedunt. Et ſimiliter intelligendum eſt in conſobrinis*. Sane in feudis proprie ſola deſcendentium linea eſt, quum hæc repræſentatio non daretur, niſi a primo adquirente quis deſcenderet, Hotom. *diſp. feud. XIX.*, Gudelin. *de jur. fed. par.* III. *cap.* 2. *num.* 9. Et quoniam repræſentatio remotiorem cum proximiore parem in ſucceſſione dijudicat, ideo ſi vaſallus non relinquit fratres, ſed duos filios ex uno fratre præmortuo, ex altero tres, & altero quatuor; tunc ſucceſſio non in ſtirpes, ſed in capita dividitur, quia ſinguli ſunt in æquali gradu, & proprio jure ad ſucceſſionem veniunt, Cujac. *in* II. *f. XI.*, Duaren. *de feud. cap. IX. num.* 10., Giphan. *tract. jur. feud. cap.* 12. *num.* 54., quod Sonsbec., Hotom., ceterique immerito negarunt.

Poſt defuncti fratres, eorumque filios, qui æqualiter ſuccedunt, ulteriores agnati admittuntur & in infinitum II. *f.* 11., II. *f.* 31. & 5., de quibus regula eſt, *exſtincta una ſtirpe, ad aliam ſtirpem ſucceſſionem deferto; omnibus exſtinctis, ad ſeniorem feu-*

dum

dum revertito II. *f.* II. §. 2., I. *f.* 8. §. 3., II. *f.* 50., & merito, quia feudalis ſucceſſio nunquam primi inveſtiti perſonam egreditur. Finge: Labeo primum de feudo inveſtitus, quatuor filios reliquit, ad quos jure æqualiter feudum pertineret; verum judicio familiæ erciſcundæ uni adjudicatum eſt; cujus morte ſuo filio, tum nepoti defertur; ſi nepos ſine filio decedat; adeo ut extinguatur ejus linea, feudum non ad Domiuum redit, ſed ad tres filios æqualiter ſucceſſuros, ſeu fratres, quibus forſan extinctis, ad eorum liberos, ſalvo jure repræſentationis. Extinctis omnibus lineis, feudum aperitur Domino, etiamſi ultimus defunctus, patruum, aut patruelem reliquerit, quia, ut dictum eſt, ſucceſſio feudalis primi inveſtiti perſonam non tranſgreditur, Hotom. *diſp. feud. cap. XIX.*, Gudelin. *loc. cit. num.* 12., Giphan. *tract. jur. feud. cap.* 12. *num.* 50.

Ex his (1) infertur unicam proprie eſſe feudorum ſucceſſionem, nempe deſcendentium, quia nemo ſuccedere valet, niſi a primo adquirente deſcendat, & adquirentis collateralis excluditut. (2) Jure repræſentationis in infinitum ſucceditur, niſi aliter moribus ſtatutum ſit, ut in Hannonia, Flandria, Arteſia, & alibi, Gudelin. *loc. cit. num.* 14. (3) omnes æqualiter ſuccedere, excipitur feudum regale, ut Ducatus, Comitatus, &c., quæ natu majori competit, aut ſi concurrat fœmina, quæ etſi agnata, tamen repellitur; (4) nunquam dari lineæ ſaltum, niſi ea extincta, ſive jure Longobardo, ſive Franco vivatur, II. *f.* 50., Voet. *ad lib. D.* 33. *num.* 69.

Si itaque nemo ſuccedit, qui non deſcendit a primo adquirente, conſequens eſt fratrem fratri non ſuccedere in feudo novo, quia non procreavit ſuum fratrem, etiamſi frater decedat ſine legitimis heredibus I. *f.* I. §. *ſin autem*, I. *f.* 20., feuda enim jure ſanguinis dantur Camer. *in* II. *f.* 45. *par.* 2. *num.* 137. Excipitur tamen ſi a ſeniore dictum ſit, *ut frater ſuccedat fratri, ſi mortuus fuerit ſine herede maſculo; vel ſuccedat frater fratri morienti ſine filio: vel niſi beneficium de communibus bonis fuerit emptum. Vel utriuſque nomine Domino ſciente: ſi ſimul ſteterit: vel in hoſtem regis adquiſierint*, inquit feudiſta *in* I. *f.* 20., Hotomannus hic plures labes, uti ſolet, detegit, non recte. Mens legis eſt, pacto fieri poſſe, ut frater fratri, etiam invito feudorum ordine, ſuccedat, quum contractus ex pacto legem accipiat. Aut ſi feudum communi fratrum pecunia adqui-

Digitized by Google

ſitum ſit, ſciente tamen Domino, & emptio nomine fratrum facta fuerit, tunc ex quaſi tacita conventione unus ſuccedit alteri.

Atque, ſi feudum eſt individuum, ſi mihi indulgeo, uno decedente, ſuperſtitem retinere feudum, quia ſinguli ab initio ſolidum habuerunt. Verum ſi frater cum liberis decedat, alteri fratri, ut æquus eſt, æſtimatio præſtanda.

Nec obſtat textus *in* 11. *f.* 12. *Si cum armis, & equis communibus, vel pecunia communi ſit acquiſitum* (feudum) *adhuc idem dicunt, ne forte invitus Dominus alium quam quem voluerit, ſibi adquirat vaſallum*; qui intelligitur, ſi neſciente Domino, feudum de communi emtum ſit, ut ſi Dominus putavit ſe uni tantum vendere, cum emerent ambo, aut unum emere ſua pecunia, cum emeret communi, ut ex ratione textus conſtat, *ne invitus Dominus alium quam quem voluerit, ſibi adquirat vaſallum*, Cujac. ibi, & *in* 1. *f.* 1. §. 2., Sonsbec. *par.* 12. *num.* 81., Alver. *ad* 1. *f.* 20. *num.* 5. Si igitur, neſciente Domino, emtum ſit, fructus erit communis, non ſucceſſio, non jus feudi. Si itaque frater cum fratre ſimul vivens feudum etſi ex re communi adquiſivit, communicatur fructus, non feudum, *dum tamen meminerimus, id quod de communi expenſum eſt, alteri pro parte competenti reſtituendum*, inquit, *d.* 11. *f.* 12., mortuo uno, nihil niſi ſuam partem in feudo obtinebit, pars defuncti Domino deſertur. Demum frater fratri in feudo novo ſuccedit, ſi conſuetudine, vel ſtatuto id receptum ſit; aut ſi Dominus jure feudi antiqui conceſſerit, Scrad. *par. VII. cap.* 3. *num.* 3.

§. L.

Digitized by Google

§. L.

De ſucceſſione aſcendentium.

JUre Rom. quamvis aſcendentes deſcendentibus ſuccedant *auth. defuncto C. ad SC. Tertul.*, jure tamen feudali aliter ſtatutum eſt, feudiſta *in* II. *f.* 50. *Succeſſionis feudi talis eſt natura, quod aſcendentes non ſuccedunt, verbi gratia pater filio*, ſive feudum fuerit antiquum, ſive novum. Ratio; redditur a Camerar. *ad d. tit.*50., quia inveſtitus ſuis ſucceſſoribus præſumitur conſulere, cum amor non aſcendat, ſed deſcendat. Aliam & ego dabo: feudorum enim inveſtitura proprie initio excogitata eſt, *ſibi, & ſuis liberis*, quæ non præteritum, ſed futurum reſpicit, & contemplatione accipientis, & legitimorum heredum deſcendentium ſenior conceſſit, II. *f.* 23. *in fin.*; unde pater in inveſtitura non comprehenſus repellitur. Demum filii magis ad ſervitia, ad bellum idonei, quam pater cenſentur, Sonsbec. *par.* IX. *num.* 47., Stryk. *tom.* I. *diſp.* 20. *cap.* 6. *num.* 80.

Laudata juris regula excipitur (1) ſi in inveſtitura dictum ſit, ut aſcendens deſcendenti ſuccedat, aut ſi conſuetudine admittatur. (2) Si ſenior filium inveſtiat, ſed patris contemplatione, videlicet propter ſervitia, domi, militiæque exhibita, filio ſine prole decedente, ſuccedit pater. (3) Si pater feudum, vel antiquum, vel novum filio refutavit, & filius ſine deſcendente obiit, ſubingreditur pater, Scrad. *par.* VII. *cap.* 6. *num.* 3., Alver. *in* II. *f.* 50. *num.* 7., Camerar. *in* I. *f.* 50. *lect.* 25. *num.* 17., nec proprie dicitur ſuccedere, ſed recuperare, Struw. *S. J. F. A.* 3. *cap.* IX., dicam *lib.* III.

Omni linea deficiente, feudum aperitur patrono; nec jure feudali locum habet edictum Prætoris *unde vir, & uxor*, feudiſta *in* II. *f.* 8., & *in* II. *f.* 13. *Titius a Sempronio talem inveſtituram accepit feudi, ut haberet ipſe, & heredes ſui legitimi maſculi, & iis omnibus deficientibus fœminæ. Porro Titius ſuperſtite tantum filia deceſſit. Ipſa a Domino inveſtita fuit, & feudum in dotem dedit: maritoque ſuperſtite ſine liberis deceſſit. Quærebatur, ſi ad maritum ſucceſſio feudi pertineat? reſponſum eſt non pertinere*; & I. *f.* 15., niſi in inveſtitura aliter caveatur.

Digitized by Google

T I T. XVIII.

De ſucceſſione feudorum regni Neap.

§. LI.

Clientelares regni notiones.

I. ANtequam clientelarem regni noſtri aggrediar ſucceſſionem, naturam, ejuſque mutationem præcognoſcam oportet. Duplex conſtanter apud nos viguit juriſprudentia, allodialis, & feudalis, utraque propemodum a Longobardis profecta, ut *in proleg. cap.* I*v.* §. 8., Franc. de Andr. *diſp. feud. cap.* II. §. 4., *&* 9., P. Janno. *lib. v. cap.* 5., & *lib. x. cap.* 11., Andr. *in* 11. *f.* 1. *num.* 1., dat exempla Peregr. *in Hiſt. princ. Longob.*, Leo Oſtien. *lib.* II. *cap.* 35., Pactum Gregorii Ducis Neap. cum Landulfo I. Duce Beneven. *an.* 911. *ind.* 14. Unum affero: Sico Comes *an.* 1094. apud Ugel. *tom.* vII. *p.* 416., inquit: *Sicelgaitæ uxori meæ fil. quond. Romualdi relinquo ſuper uno Mortinapli ſibi a me dato uſumfructum ex omnibus ipſis rebus meis tantum, quantum ſecundum legem Longobardorum ei relinquere poſſum, & ut in caſis meis reſideat, & babeat, res ipſas utatur fruatur, & de uſufructu earum, quod voluerit, faciat, ſi autem nupſerit, vel mortua fuerit, ipſum uſumfructum ad beredes meos revertatur.* Quo Longobardico allodiali jure teſtamenta, ſucceſſiones, contractus, matrimonia, honorum diſtributio, & judicia, quæ aut monomachia, aut jurejurando, aut purgatione derimi ſolebant, regebantur, Cujac. 1. *f.* 1. §. *ſi autem*.

II. Alterum jus, quod Longobardi in Italiam, noſtrumque regnum invexerunt, eſt feudale, per univerſam deinde Europam protractum, eoque in provinciis regni feudorum obligatio, fidelitas, ſucceſſio, amiſſio & devolutio ſuſtenebatur. Feuda hujus juris omnia erant ex pacto, niſi aliter in inveſtitura dictum eſſet, nec ſub Nortmannis talia eſſe deſierunt; cum ipſi ſecundum feudales Longobardorum mores territoria, caſtra, & diſtrictus ſuis

Ba-

Baronibus, Monarchia etiam erecta, jure feudi conferrent, ſi paucas ex Neuſtria patrio ſolo, excipias conſuetudines, quibus non vix utebantur.

III. Apud Longobardos tota clientelarum ſucceſſio duplex erat, vel *primogenituræ*, vel *æqualitatis*: In feudis, quæ erant majora, ut Ducatus, Marchia, Comitatus, maximus tantum ſtirpis ſuccedebat; in ceteris æquale jus filiis patebat; ut diviſo Beneventano Ducatu in principatum Salerni, & Capuæ, primogenitus ad principatum admittebatur, pater filiis ſecundo natis oppida, territoria, & manſos concedebat, ut *in proleg. cap. v.* §. 11., & *lib.* 1. *tit.* 11. §. 5. dictum eſt, & declarat Peregr. in ſtem. Princ. Longob. *Nullos olim e magnorum Longobardorum Dynaſtarum filiis carere propriis, & peculiaribus feudis, modo adeſſet facultas, ſolitum fuiſſe: quæ tamen ut conſtanti obſervatione facile eſt animadvertere, ipſorum Comitum heredes eadem cupiditate præſidendi aliis detenti, utque ſpecioſo illo Comitum titulo pariter condecorarentur, indiviſa deinde poſſidere conſueverunt: ne ſcilicet illa in minima velut fruſta iterum perpetua ac multoties importuna ſectione comminuerentur.* Et paulo poſt, *me igitur arbitro ab expoſita hac conſuetudine Beneventani quoque Principes, nec hi tantum de quibus eſt ſermo, ex Atenulfo deſcendentes, ſed quicunique alii, atque adeo etiam Salernitani, ſicut de Campanis dictum eſt, eos omnes filios, quos poſt primogenitos ſuſcepiſſent, Comites inſtituere, ſuorumque principatuum urbibus præficere conſueverunt*; & exemplis illuſtrat; Erchemp. *Hiſt.* §. 21.

IV. Hæc ſuccedendi ratio apud nos uſque ad Rogerium I. Stetit. Hic tamen illam Longobardorum primogenituram ad majora tantum feuda reſtrictam, ad omnia extendit. Nam cum Francorum gens militari tunc celebraretur virtute, ſæpius ex Francia Milites & Duces accerſivit, quibus, relicto patrio ſolo, ob bellicam fortitudinem beneficia conceſſit. Et quoniam in Franciæ feudis primogenitus ſuccedebat, eundem morem Rogerius adprobavit. Hinc duplex ſuccedendi modus apud nos audiri cepit, *juris Francorum*, & *Longobardorum*, utrumque in linea deſcendenti uſque in infinitum, in collaterali, ſi feudum fuiſſet paternum ad fratrem ex lege Conradi, & ad patruum ex lege Lotharii tunc vigentibus extendebatur. Primum Frid. II. in Conſt. ut *de ſucceſſionibus* Conradum ſecutus eſt, & ad filios fratrum

trum etiam, hoc eſt tertium gradum porrexit.

V. Ex his dirimi poteſt quæſtio, an jus Francorum in regno ſit commune, an ſpeciale? Quid ſenſio, aperiam, nempe eſſe ſpeciale: (1) ævo Rogerii omnes Barones jure, Longobardo vivebant. Franci, cum pauci eſſent, ſuis moribus utebantur, & proinde Frid. II. *in d. Conſt.*, ubi Andr. *v. ſpeciali*, & *in præl. feud. num.* 37., *in* 1. *f.* 1. *num.* 15., & *in* 11. *f.* 55. *num.* 3., Camer. *ad* 11. *f.* 55. *in fin.*, Afflict. *deciſ.* 119. *num.* 3., *&* *deciſ.* 248. *num.* 3., ceterique jus Francorum appellant *ſpeciale*; (2) In provincia Aprutii ſatis ampla, omnes fere clientelæ ſunt juris Longobardici, neque apud nos lex extitit, quæ primogenituram generaliter ſervari ſanxiſſet; & in archivis Aragonenſium, Regis Catholici, & Caroli V. non paucæ reperiuntur conceſſiones, quæ ſunt juris Longobardi. Itaque jus *commune* eſt Longobardum, quod in dubio ſemper præſumendum, niſi in inveſtitura dictum ſit, ut jure Francorum vivatur, vel primogenitus ſuccedat, aut ſexus, & ætatis prærogativa ſervetur conſ. Roſa *in prælud. feud. lect.* 8. *num.* 41., Capan. *de jure relev. par.* 1. *q.* 17. *num.* 2.

VI. Feuda noſtri regni communi peritorum voto *hereditaria* exiſtimantur. Fetendum, nullam adeſſe legem, quæ ita declaraverit; ſub Nortmannis conſtanter affirmo, omnia ex pacto, & providentia fuiſſe, ut jus Longob. jubebat. Puto primum ſub Svevis hereditaria evaſiſſe; quod ex eo adducor: generalis ævo Svevorum in regno inveſtitura erat *pro ſe & heredibus*; ſed ſub Carolo I. Andeg. addi cepit *ex corpore legitime deſcendentibus*: ætate Caroli II. ambigebatur, an hac formula frater fratri in feudo ſuccederet, a peritis regni excludebatur, quia non deſcendebat ex corpore fratris. Sanxit tamen Carolus *in cap. conſiderantes*, ſuccedere, quia, etſi ab ultimo moriente non deſcenderet, tamen a primo acquiſitore ortus eſt, modo feudum fuiſſet antiquum. Sed vox *heres*, ut ſæpe dictum, eſt ab homine prolata gignit feudum *hereditorium* Piſtor *lib.* 11. *qq.* 1. *num.* 79.

VII. Indoles hereditariæ clientelæ regni (1) eſt, ut non quilibet in eo ſuccedat, ſed ille qui ex lege feudali ſuccedendi capax eſt, nempe deſcendens ſanguinis, qui ſub voce *heres* comprehenditur. (2) Feuda hereditaria regni in ſucceſſionis ordine, & perſonarum capacitate a feudis ex pacto & providentia nihil differunt. (3) Hinc dicuntur *mixta*, quia ex pacto, & hereditario ſim-

Digitized by Google

ſimplici quid delibunt; ex pacto, quia ad eorum ſucceſſionem nemo admittitur, niſi legibus regni fuerit vocatus, ut heres ſanguinis, non extraneus; ex mero hereditario, quia vocatus ex legibus regni debet eſſe heres defuncti, ratum ejus factum habere, & onera ſatisfacere, idcirco apud nos obtinuit, detracta legitima ſucceſſorem uſque ad integrum feudi valorem gravari poſſe, ut *Bulgarus* olim diſtinxit, quem noſtri ſecuti ſunt, Marin. *lib.* II. *reſol. cap.* 189. *num.* 41., Piſtor *lib.* II. *qq.* I. *num.* 57. (4) De eo vaſallus, inſalutato rege, nequit diſponere, ut *lib.* III. dicam.

§. LII.

De ſucceſſione deſcendentium.

HIs præcognitis, ſuccedendi ordinem petamus. Et quidem in linea deſcendenti Frid. II. qui primus de ſucceſſionibus apud nos ſanxit; peritorum Longobardiæ ſententiam retinuit, ut *feuda tenenti filios, & nepotes, & ex eis pronepotes, trinepotes, & uſque ad infinitum ex deſcendenti linea deſcendentes, cujuſcumque ſexus ſint, libere & abſolute poſſe ſuccedere*; idque jure repræſentationis. Sed poſtea ſubdit, *ſervata tamen ſexus prærogativa, ut mulieri maſculus præferatur, nec non majoris ætatis inter eos, qui vivunt in regno ſpecialiter jure Francorum*, Conſt. *ut de ſucceſſionibus lib.* III. 27.

Duo nobis Imp. exhibet, (1) primus in regno ad feudorum ſucceſſionem, fœminas invitavit, hac tamen lege, ut maſculus ſemper præferatur, dum ſunt in eodem gradu; (2) in iis, qui vivunt, jure Francorum primogenitus, excluſo ſecundonato, ſuccedat. De gradu nihil dixit, quia a jure communi Longobardo non diſceſſit, quod proximiorem admittit. Attenditur itaque primo prærogativa gradus, deinde in eodem gradu prærogativa ſexus, & in ſexu prærogativa ætatis; nempe proximior gradu præferatur, & in eodem gradu maſculus, & inter maſculos primogenitus. Verum primogenitus dum ſecundogenitum excludit, tenetur ei *vitam*, & *militiam*; ſi fœminam, *paragium* præbere Conſt. *in aliquibus lib.* III. 26., Conſt. *Comitibus lib.* III. 21., di-

Digitized by Google

dicam *lib.* III. Hæc vero primogeniti, & fœminarum ſucceſſio impeditur, ſi eis vitia, & qualitates *tit.* XVII. §. 44. relatæ opponuntur.

Verum ſi non adſint maſculi, ſed fœminæ, tunc ſubjungit Frider. in d. Conſt. *Filiæ autem in capillo poſt mortem patris in domo manentes, majores ſorores conjugatas, & dotatas de bonis patris excludunt. Ceterum ſi de bonis paternis dotatæ non ſunt, majores minoribus præferuntur, ſi Francorum jure vivant. Si autem vivant jure Longobardo, collatis dotibus in viriles partes, ſucceſſione diviſa, portionem ſuam conjugata, ſeu conjugatæ quæcumque ſint poterunt vindicare.* Filiam itaque majorem a patre dotatam filia virgo ſeu in capillis, etſi minor excludit, ſi vivitur jure Francorum; merito, ne feuda nuptiis, in alienam tranſirent familiam, ſine ejus conſenſu; nam ratio quoque jure Longobardo cur fœminæ plerumque a ſucceſſione feudorum excluduntur, eſt, ne beneficia ex familia exeant, Franc. de Andr. *diſp. feud. cap.* III. §. 8. *num.* 47.

Ex his eruitur, ut primogenita a virgine in capillo excludi valeat, tria Fridericum requirere, (1) ut fuerit dotata, (2) ut de bonis patris dotata, (3) ut ſit conjugata. Proinde ſi pater vel inter vivos, vel cauſſa mortis dotem primogenitæ adſignaverit, nec adhuc nupſit, non repellitur a ſorore in capillo, quia nupta non dicitur, nec dotata, cum nequeat dos eſſe ſine matrimonio, Camill. de Curte *reſol. feud. cap.* 2. *num.* 77. Aut ſi dotata ſit non de bonis patris, ſed matris, & agitur de ſucceſſione feudi paterni Gloſſ. *ad d. Conſt. v. excludunt*. Aut propter pulchritudinem, quæ non bonum patris, ſed filiæ primogenitæ vocatur. Vel ſi ſponſalia verbis de futuro contraxerit, quum Frid. requirat nuptam tempore mortis patris, quo ſucceſſio defertur, Cum. *in cap. ſi aliquem v. maritata num.* 79., Intrigl. *cent.* 2. *art.* 58. *num.* 19. Verum ſi dos promiſſa fuerit, non ſoluta primogenitæ, merito dicitur dotata, & idcirco excluditur, quia dos promiſſa eſt vera dos *l.* 1. 2. 3. & 5. *C. de dot. promiſſ.*, Camill. de Curte *loc. cit. num.* 83., Urſin. *de ſucceſſ. feud. par.* III. *q.* 1. *art.* 2. *num.* 8., Andr. *in* II. *f.* 50. *num.* 19., modo tamen congrue fuerit dotata; nam ſi integrum non habuit paragium, licet ſupplementum petere poſſit, ſi vero nolit, a ſucceſſione non arcetur; quia excluſio primogenitæ eſt conditionalis, ſi integrum habuerit paragium, & ſolutio quæ perfecte facta non eſt,

Digitized by Google

non facta cenſetur præſertim cum hic de ſucceſſionis excluſione agatur, quæ primogenitæ jure competit, Andr. *loc. cit. num.* 16., Urſin. *loc. cit. art.* 9. *num.* 7.

§. LIII.

De ſucceſſione collataralium.

DEficiente deſcendentium linea, collateralis ſubingreditur ſucceſſio, cujus origo erit detegenda. Ante Conradi Salici legem feuda in regno, precario jure vivebant, ipſe ad fratres ſucceſſionem extendit, ſi feudum fuiſſet paternum; ejus lex apud nos vim obtinuit. Nam ante Monarchiæ erectionem omnes fere ſemper noſtri regni provinciæ, exceptis iis, quæ Græcorum Imperatori parebant, ſub principibus Longobardis, Capuæ, & Salerni, Germaniæ Imperatores, tanquam Italiæ Reges plurimum auctoritatis in Longobardis vindicantes cognoſcebant; nihil itaque mirum ſi lex Conradi apud nos viguiſſet, præſertim cum Nortmanni nullam de feudorum ſucceſſione legem tuliſſent, Andr. *in præl. feud. num.* 39., & *in* 11. *f.* 55. *num.* 30. & 44., Franc. de Andr. *diſp. feud. cap.* 11. §. 2. & 3.

Poſtea Lotharius Imp. legem Conradi confirmavit, & ad patruum extendit; & quamvis lex Lotharii in regno recipi non poterat, cum lata eſſet tempore, quo regnum virtute Rogerii ab imperio Germaniæ exemtum erat; tamen quia Conradi legem confirmabat, apud nos vim obtinuiſſe (*s*).

(s) Conſtat enim contra Rogerium a Lothario immane bellum geſtum eſſe, in quo Sicilia, Apulia, Calabria, aliaque regni oppida a Rogerio defecerunt, & arma Lotharii ſecuta ſunt, qui, indictis Romæ comitiis, conſilio ſapientum Italiæ legem confirmavit, inter quos intervenerunt ſapientes *Syponti*, quæ tunc erat in Apulia magni nominis civitas, ut recte Cujac., Hotom., Gotofr., Franc. de Andr. *in l.* 1. 19., & Falco Benev. *in chron. ad*

Digitized by Google

Res ita ſe habuit uſque ad Frid. II. qui legem Conradi ret inuit, & ad filios fratrum porrexit, atque primum ſucceſſio ad tertium gradum viſa eſt, in Conſt. *ut de ſucceſſionibus: ex collaterali linea venientes, ut fratres, ſive ex utroque parente, ſive ex altero tantum, & ſorores in capillo, excluſo etiam communi patre ſuperſtite, omnino ſuccedunt. Conjugatæ autem, & dotatæ a fratrum ſucceſſionibus repelluntur. Filii autem fratrum his, quæ communis patris fuerunt avi eorum ſcilicet, idem jus quod pater eorum habeant. In acquiſitis autem patre ex largitate noſtra, vel quolibet titulo jure ſuo nepotes ex fratribus non ſuccedunt. In ulteriori autem gradu poſitis, ſcilicet filiis nepotum ex fratribus, & ſequentibus, in his etiam quæ communis proavi fuerunt, ſucceſſio non defertur.*

Ætate Frid. II. in Longobardia lex Conradi, & Lotharii ſaſapientum interpretione ad ſeptimum gradum, deinde in infinitum, modo a communi ſtipite deſcendiſſent, extenſa fuit. Hanc Imp. amplecti noluit, ſed *in tertio* gradu ſe continuit, præſertim cum ipſe contra Longobardorum mores fœminas ad ſucceſſionem invitaſſet. Statuit itaque, ut frater poſſet, fratri ſine filiis decedenti ſuccedere in feudo antiquo, & novo, quia Frid. generaliter loquitur, & ſemper a peritis regni ſic receptum eſt, Andr. *in d. Conſt. v. Fratres*, Ponte *de pot. proreg. tit. de refut. num.*22., Camill. de Curte *reſol. feud. cap.*111. *num.* 3., ſi inveſtitura fuerit *pro ſe, & heredibus*, quæ ſemper præſumitur.; ſi autem concipiatur *pro ſe, & heredibus ex corpore legitime deſcendentibus*, tunc frater non ſuccedit in feudo novo, quia non eſt heres fratris ex corpore, ſed tantum in antiquo, aut jure antiqui conceſſo Afflict. *deciſ.* 293. Imo ætate Caroli II. dubitabatur, an etiam in feudo antiquo ſuccederet; ſed ipſe *in cap. conſiderantes* admiſit, quia licet frater non ſit fratris heres ex corpore, tamen eſt ex corpore primi acquirentis, Curte *loc. cit. n.* 4., Montan. *in* 11. *f.* 55. §. *preterea Ducatus num.* 125., Andr. *loc. cit.*

Ho-

---

ad ann. 1137., non *Sinarum*, ut male Andr., Legunt. Interfuerunt & plures regni proceres; itaque vim lex ejus apud nos obtinere potuit.

Hodie vero ſive inveſtitura fuerit *pro ſe*, *& heredibus*, ſive *pro ſe*, *& heredibus ex corpore legitime deſcendentibus* frater tam in antiquo, quam novo ſeudo fratri ſuccedit ex gratia Philippi II *ann.* 1570. *in pragm.* XVIII. *de feud.*, quoties ſeuda a regia Curia emerentur, & emptor tempore contractus filiis, & deſcendentibus careret. Poſtea indultum eſt, nihil intereſſe, an ſeuda a R. Curia, an a privatis emerentur, an filios, vel non haberet *pragm.* XXII. *&* XXV. ejuſdem Regis *an.* 1586.

Quæſitum eſt, an frater, vel ſoror cunjunctus, conjuncta vel non ex latere unde ſeudum antiquum provenit, ſuccedat? Jure Longobardo, & Conſtitutionum regni non ſuccedit, ſive inveſtitura fuerit *pro ſe*, *& heredibus*, *ſive pro ſe*, *& heredibus ex corpore legitime deſcendentibus*, quia vox *heres* non alios heredes comprehendit, niſi eos, qui a primo adquirente deſcendunt, ſcilicet mares, & iis deficientibus, fœminas, ſi fuerint vocatæ II. *f.* 17., & ex linea collaterali eos qui a primo adquirente ſunt I. *f.* I. §. *ſin autem*, *&* §. *hoc quoque*, & II. *f.* II. §. *his vero*. Longobardico juri noſter Frid. *in d. Conſtit. ut de ſucceſſionibus* adhæſit, ut late Franc. de Andr. *diſp. feud. cap.* I. §. I. *num.* 2., Urſin. *de ſucceſſ. feud. par.* II. *q.* 2. *art.* I. *&* 2. Merito: in feudis jus agnationis, non cognationis inſpicitur; Chriſtin. *tom.* I. *deciſ.* 384. *num.* 6.

Hodie vero ex gratia Philippi II. *an.* 1589. *in pragm.* XXIX. *de feud.* ſtatutum, in feudis novis tam conſanguineos, quam uterinos, eorumque filios ſuccedere; quod intelligendum, in defectum nempe conſanguineorum, ex præſumpta concedentis, atque adquirentis voluntate, ut bona in familia conſervarentur; & ut jus conſanguineis ante Philippi II. gratiam quæſitum non auferatur, Franc. de Andr. *diſp. feud. cap.* III. §. 10. *n.* 61., Marad. *ſingul.* 174., neque in defectum conſanguineorum uterinus in omni feudo ſuccedit, ſed in feudis, quæ a R. Curia, vel particularibus *ex pragm.* XVIII. emuntur, ſecus in iis, quæ Rex, vel privatus Regis conſenſu fratri concedit, Rocc. *de offic. rub.* 13. §. 7. *num.* 73 In feudo autem antiquo frater uterinus ſicut & conſanguineus ſuccedunt, modo quiſque ex illa linea fuerit, unde feudum provenit, ut uterinus in feudo materno, conſanguineus in paterno, ſexus, & prærogativa ætatis ſervata.

Ex his colligitur (I) fratrem conſanguineum natu majorem præferri fratri utrimqae conjuncto in feudo paterno, quia jure feu-

Digitized by Google

feudorum ſola inſpicitur agnatio, cognatio a matre inutilis eſt, modo feudum fuerit individuum, ſecus omnes æqualiter ſuccedunt; adeſt & hic ætatis prærogativa, Urſin. *loc. cit. par.* 11. *q.* 3. *art.* 1. *num.* 12., (2) frater uterinus excludit ſororem utrinque conjunctam in feudo fratris, qui illud a matre habuit. Fœmina etſi legibus regni admittatur, tamen quotiens maſculus deficiat, ut jure Longob. 11. *ſ.* 17., & ſicut in feudo paterno ſola agnatio conſideratur, ita & feudo materno ſola cognatio ſpectanda eſt. Præterea ex Conſuetud. Neap. in bonis maternis frater uterinus, & ſoror utrimque conjuncta æqualiter ſuccedun-Napod. *ad Conſuetud. ſi quis, vel ſi qua num.* 154., igitur in feudis uterinus potior eſt, quia maſculus; & ubi mas & fœmino concurrunt, maſculus ſemper præfertur. (3) Eadem ratione ſoror utrinque conjuncta; vel uterina in ſucceſſione feudi materni conſanguineum excludit, quia hic non deſcendit a linea, unde feudum profectum eſt, ut ex Mar. Caraman. *ad d. Conſtit. ut de ſucceſſionibus*; quum feudum ſemper ſuum ſtipitem reſpiciat, Camil. de Curte *loc. cit. num.* 18.

Deficientibus fratribus, ſuccedunt eorum filii *ex d. Conſtit. ut de ſucceſſionibus*, ſi nempe filius defuncti fratris cum altero fratre, ſeu patruo concurrat, filius, excluſo patruo, ſuccedit, ſi feudum eſt juris Francorum; ſi dividuum, omnes æqualiter ſuccedunt. Aut ſi quis decedat, relicto nepote ex ſecundogenito, & tertiogenitum, nepos præfertur, quia jure Romano, Longobardo, & Conſtit. Regni etiam in linea collaterali repreſentatio obtinuit §. *6. Inſt. de hered. quæ*, 11. *f.* 11., *d. Conſt.* §. *filii autem fratrum*, Rovit. *ad pragm.* 11. *de feud. num.* 51., Urſin *loc. cit. par.* 11. *q.* 4. *art.* 1. *num.* 10., pater enim ſecundo natus ſuccederet, excluſo tertio nato, ergo ejus filius; nec refert ab an nepos ſit, an neptis, cum Frid. II. vocet filios, ſub quorum nomine etiam filiæ jure regni ad feudalem ſucceſſionem idoneæ, continentur. Eodem repræſentationis jure filius ſororis primogenitæ excludit ſororem ſecundogenitam, quicquid aliis viſum ſit. Nam Frid. II. tam in Conſt. *ut de ſucceſſ.*, quam in Conſt. *in aliquibus* fœminas in linea deſcendenti, & collaterali vocavit, igitur *in d.* §. *filii autem* filias quoque comprehendit, & proinde hic maſculinum continet fœmininum, Andr. *ad d. Conſt. ut de ſucceſſ. v. filii autem fratrum*, Urſin. *loc. cit. art.* 3. *num.* 17.

Hæc

Hæc repræſentatio non modo locum habet in feudo antiquo, ſed etiam in feudo novo, præſertim hodie, dum filii fratrum, & ſororum ad ſucceſſionem admittentur, ſecus ſoror filios fratris excluderet, quod abſurdum; Urſin. *loc. cit. par.* 11. *q.* 4. *art.* 10. *num.* 16.

Dictum eſt de collateralibus in linea tranſverſali, nunc in linea aſcendenti, puto patruo, amita, avunculo, & matertera. Quamvis olim dubitaretur, an patruus nepoti ſuccederet; obtinuit tamen patruus, P. de Montefort., Andr., & Barth. de Capua *ad Conſt. de ſucceſſ.*, & hodie utimur, cum ipſe in inveſtitura comprehendetur, Carolus V. *in pragm. VI. de feud.*, ſed an etiam in feudo novo vid. Rovit. *deciſ.* 94. Succedit & amita ex Carolo V. *in pragm.* 12. *eo. an.* 1533. Hodie patruus, & amita in feudo tam antiquo, quam novo ex gratia Caroli VI. *ann.* 1720. ſuccedunt. Avunculus tamen & matertera nec jure conſtitutionum, nec gratiarum filio ſororis ſuccedit, cum jus Longobardum, & regni de iis non meminerit 11. *f.* 11. §. *bis vero*, conſtitutio fratres, & ſorores, eorumque filios tantum recenſet, igitur alios excludere videtur. De matertera eſt Barth. de Capua *ad d. Conſt.*, & Carolus V. patruum, & amitam dumtaxat admiſit.

In hac linea collaterali aſcendenti datur & repræſentatio, ut filius, vel filia fratris, vel ſororis, aut feudum juris Francorum ſeurit, aut Longobardorum amitam, & patruum excludit, 11. *f.* 11. §. *bis vero*, & d. Conſt. *ut de ſucceſſ.* §. *filii autem fratrum*; quia hic filius repræſentat patrem ſuum, qui erat frater defuncti feudatarii; hic frater quia proximior patruo præferretur, Gloſſ. *ad d. Conſt. v. habeant*, Urſin. *loc. cit. par.* 2. *q.* 8. *art.* 1., *&* 2. Patruus vero nullum, niſi ſeipſum repræſentat. In hac etiam linea gradus proximitas inſpicitur, ut patruus, vel amita defuncti feudatarii, fratrem ejuſdem patruelem excludit, quia patruus eſt in tertio gradu, patruelis eſt in quarto, ut deciſum refert Rovit. *ad pragm. XI. de feud.*

Hodie igitur ex gratia Caroli V. *in pragm. XII. eo.* Feudalis ſucceſſio ad fratres patrueles, hoc eſt ad quartum gradum extenſa eſt, & ex altera Caroli VI. gratia *ann.* 1720. ad quintum porrigitur. Carolus V. *in d. pragm.* ſtatuit fratres patrueles a primo ſtipite per lineam maſculinam provenientes non fœmininam in feudis inter ſe ſuccedere. Qua de re frater patruelis etſi maſculus, & a maſculo deſcedens ſorori patrueli aut per lineam fœmi-

mininam, aut maſculinam deſcendenti non ſuccedit. Mens Caroli V. eſt, ut qui ſuccedere vellet maſculus, & a maſculina linea deſcendens eſſe debeat, & cui ſuccedere vellet etiam maſculus, & a maſculo provenien ſit oportet Urſin. *loc. cit. par.* 11. *q.* 10. *num.* 4. Demum iteratis Baronum precibus *ann.* 1655. Philip. IV. *in pragm.* 34. *eo.* Fratruum patruelium, & conſobrino rum ſucceſſio ad Conſt. *ut de ſucceſſ.* redacta eſt, ut ſicut antea tam maſculi, quam fœminæ ſive a maſculis, ſive a fœminis deſcendentes ſuccedebant, ita hodie fratres patrueles aut a maſculis, aut a fœminis deſcedentes ſibi invicem, & ſororibus, ſimiliter ſorores fratribus patruelibus, & fratres amitini, & ſororini mutuo ad quartum uſque gradum, & ex gratia Caroli VI. ad quintum ſuccederent, *Placet Sacræ Cæſareæ, & Catholicæ Majeſtati, quod gratiæ quibus fratres utrinque conjuncti, aut ex uno latere, & eorum fiiil fuerunt admiſſi ad ſucceſſionem in feudis novis non obſtante inveſtitura concepta cum clauſula pro ſe, & heredibus ex corpore, locum habeant non modo in feudis emptis a regia Curia, vel a particularibus, ſed etiam iu feudis, tam per regiam Curiam conceſſis in remunerationem ſervitiorum, quam acquiſitis titulo donationis, vel alias quomodolibet legitime tamen a privatis.* Quo jure hodie utimur.

§. LIV.

Digitized by Google

§. LIV.

De ultima feudali vaſalli facultate.

QUamquam apud nos feuda ſint hereditaria, & heres factum defuncti præſtare teneatur, tamen ante gratiam Philippi IV. *an.* 1655. *in pragm.* 34. Vaſallus majoratum, aut fideicommiſſum ſuper feudis inſtituere non poterat, etiamſi Proregis aſſenſus interveniſſet, qui aſſentiri prohibebatur *pragm.* 1 *v. de feud.* quia immutare feudi naturam nullius ſit, niſi concedentis 11. *f.* 34. §. *profecto.* Et qui ſuccedit jure fideicommiſſi; non tenetur, ad onera ultimi decedentis; ſed innata feudorum regni qualitas eſt, ut ad filios cum hereditariis oneribus perveniat, quæ, ſi mutatur, natura feudi & læditur.

Philippus IV. igitur Baronibus conceſſit, ut fideicommiſſa ſuper feudis, aut majoratus & primogenituras ad agnationis, & bonorum familiæ conſervationem inſtituere poſſent, modo perſonas a legibus regni in inveſtitura comprehenſas vocent, idcirco vaſallus ad ſucceſſionem majoratus perſonas non immediate vocatas nequit admittere, ſecus ordo ſucceſſionis corrueret; ut ſi vir uxorem, vel uxor virum inſtitueret, tunc agnatus in inveſtitura comprehenſus jure aperto veniens ex *l. fin. C. de edict. Div. Adria. toll.* in feudi poſſeſſionem immittetur, Marad. *ad ſingul.* 162. & 163. *num.* 13. & 15. Ille autem, qui jure fideicommiſſi ad feuda vocatur, nullum onus ſuper iis appoſitum recognoſcere tenetur, ſed illud tantum, quod natura feudi ſecum fert, cum ipſe non cum qualitate hereditaria, ſed pacto, & pro videntia ſuccedere dicatur.

Sed cum fideicommiſſi feudalis inſtitutio familiarum, & agnationis conſervationem reſpiciat, & familia non a fœminis, ſed a maſculis perſiſtat; ideo altera facultas vaſallo eſt, excludandi fœminam proximiorem, & maſculum de familia remotiorem inſtituendi ex gratia Philippi II. *ann.* 1595. *in pragm.* 33. *de feud.*, qui tempore diſpoſitionis ſuccederet, niſi fœmina adeſſet, Roſa *in præl. feud. lect.* 10., Marad. *ad ſing.* 165. *num.* 4. (*u*)

Ex

(u) Modo fideicommiſſa fiant intra legitimæ ſucceſſionis gradus,

Digitized by Google

Ex qua gratia animadvertendum (1) eſt, an teſtator hac utens gratia tam inter vivos, quam cauſſa mortis, propriam filiam prætermittere, & agnatum remotiorem vocare poſſit? Diſputatum id fuit apud Marad. *ſelect. jur. feud. concl. dec.* 1. *n.* 143., *& dec.* 11. *num.* 13. Mihi perſuaſum eſt, excludere poſſe, quia petitio Baronum, & conceſſio Philippi II. fuit, ut feuda in agnatione conſervarentur, unde pietatis opinio ceſſat, ubi mens legis conſtat; filia ad aliam nuptiis feuda transfert; dicam *in paratit.*

(2) Filiæ excluſæ debetur paragium ex Conſt. *in aliquibus*, ſorori vero feudatarius illius poteſt conſtituere, ſed non cogitur quum gratia verbo *poſſit*, non *debeat*, utatur, Roſa *loc. cit. n.* 12.° (3) Diſponens neceſſe non eſt, ut exprimat ſe gratia uti velle, quia in dubio quiſque cenſetur illam elegiſſe viam, qua ejus actus valeat potius, quam pereat *l.* 80. *D. de V. O.* & legi tunc vigenti ſe aptare. (4) Non modo ſemel teſtari vaſallus poter, ſed bis, ter, quia data teſtandi facultate, non de primo actu, ſed & de aliis intelligitur, cum proprie teſtamentum poſt teſtatoris mortem perfectum dicatur; & actus ſui natura revocabilis plerumque primo actu non conſumitur, ſed iterum peragi poteſt *l.* 32. §. 1. *D. de donat. int. vir. & uxor.*, Camer. *in* 1. *f.* 55. *p.* 64. (x)

Altera vaſalli facultas legibus, & re judicata apud nos recepta, eſt, ut ſucceſſorem uſque ad integrum feudi valorem poſſit gravare, modo heredi integre reſervetur legitima, ſi heres ſit, cui legitima neceſſario debetur; quia feudorum regni talis indoles eſt, ut ſucceſſor tanquam defuncti heres pro parte, vel integro feudi valore ad ſolutionem, & ad ſequendam defuncti voluntatem cogi poſſit; hinc feudum vendi poteſt, & legatariis ſatisfieri, uti repudiata Camill. de Curte *in div. feud. par.* 1. *pag.* 49. *num.* 40., receptum eſt. Secus autem eſt ſi feudum fuerit

---

dus; hinc maſculus remotior, excluſo proximiore, nequit inſtitui; cum lex tantum fœminas repellere permittat, Rodoer. *ad pragm.* 33. *cap.* 27.

(x) Nec tantum fideicommittere, ſed & pupillariter ſubſtituere *ex d. pragm.* 33. datum eſſe videtur, quum pupillus teſtari nequeat, modo ſubſtitutus ſit ex agnatione, ut fœmina excludatur prolixe Rodoer. *ad d. pragm.* 33. *cap.* 26. dicam *in paratit.*

Digitized by Google

rit ex pacto, & providentia, in quo ſucceſſor jure proprio abſque hereditaria qualitate venit, Franch. *deciſ.* 1. *&* 704., Staiban. *reſol.* 172. *num.* 76. *&* 59. *num.* 12., Camer. *in* 11. *f.* 55. *p.* 20., Andr. *in* 11. *f.* 45., Rovit. *ad pragm.* IV. *de feud. num.* 117., etiamſi heres contra defuncti voluntatem in feudo ſuccedat; ratio noſtrorum prudentum eſt, quia hæc teſtatoris diſpoſitio non tangit corpus feudi, nec realem parit actionem, ſed perſonalem; nec refert an filius ſit, an frater. Hoc tantum intereſt, ut ſi filius fuerit, feudum uſque ad integrum ejus valorem gravari nequit, quia legitima debetur, quæ in feudis eſt tertia pars Altimar. *ad Rovit. lib.* 1. *conſ.* 35. *num.* 37. *&* 33.

Denique vaſallus poteſt commoditatem fructuum ſui feudi legare, etiamſi Regis non interveniat conſenſus, ut ſi heredi imponit, quotannis legatario tot ex feudo fructus contribuere. Nequit tamen uſumfructum legare, quia tunc in feudo jus reale conſtitueretur, *ut lib.* III. dicam. Sed an legato feudo debeatur æſtimatio? Olim a prudentibus regni affirmatum eſt; hodie autem contra obtinuit, Bammac. *ad* 11. *f.* 26. *q.* 1. *num.* 17., Ponte *de poteſt. pror. tit.* VI. §. 2. *num.* 16., Curte *in diver. par.* 1. *p.* 51. *num.* 83.

Digitized by Google

T I T. XIX.

De ſucceſſione feudorum regni Siciliæ.

§. LV.

De ſucceſſione deſcendentium, & collateralium.

EDicta Frid. II. Conſtitutionum collectione Siciliæ, atque Neapolis ditionibus ad Carolum uſque I. Andeg. æqualem meruit auctoritatem. At cum Sicilia a Carolo deſeciſſet, & Petrum Aragon. proclamaverit, peculiaribus deinceps vivere legibus cepit; quas, etſi, adoptato a Joanna II. Neapolis Regina, Alphonſo I., utraque ditio conjuncta fuerit, nihilominus retinuit, & hodie utitur.

Omnia Siciliæ beneficia ſunt juris Francorum, omnia ex pacto, & providentia, quæ ſic præſumuntur, ſi pauca excipias hereditaria, Paſqual. *de differ. diſtin. feud. num.* 117. 233. 2336. In iis vaſallus fideicommittere, heredem inſtituere, ſubſtituere, legare, aut inter vivos diſponere inſtar allodii valet *cap. volentes Reg. Federici*. In teſtamento Balium ſine Regis licentia, ſuis filiis impuberibus, mentecaptis, & furioſis, tanquam in alode conſtituere conceditur ex *cap.* 388. *R. Alphonſi*. Verum ſi non dederit; agnatos proximiores, magiſque idoneos Rex Balios *ex cap.* 33. *R. Jacobi* declarat.

Prima igitur ſuccaſſionis cauſſa in utroque Regno, eſt deſcendentium, & quidem in infinitum Conſt. *ut de ſucceſſionibus, cap. ſi aliquem*. Hac deficiente obtinet tranſverſalis linea, quæ ad ſeptimum uſque gradum, ſive clientela fuerit antiqua, ſive nova, extenditur, Cum. *in cap. ſi aliquem v. trinepotem num.* 13., Intrigl. *cent.* 11. *art.* 3. *num.* 20. Nam *cap. ſi aliquem* Conſtitutionem, *ut de ſucceſſionibus* protrahere voluit, cum ea in tertio tantum gradu ſe continuit, Intrigl. *cent.* 11. 42. *num.* 14.

Non modo in linea deſcendenti, ſed & tranſverſali ætas, ſexus, & gradus ſervatur. Ætas, ut primigenius ſuccedat, ſi jure Fran-

Francorum vivatur; ut frater major natu etſi conſanguineus tantum in Siciliæ regno fratrem utrimque conjunctum excludit. Jacobus enim Rex *in d. cap. ſi aliquem*: generaliter ſanxit, *ut inter duos feudatario, & ſubfeudatario defuncto conjunctos, fœmina maſculus, & juniorem major natu præcedat, ſive ſint maſculi, ſive fœminæ concurrentes.* Jacobi legem ſecutus eſt Feder. *in cap. conſtitutionem*, ibi; *ſtatuimus, ut in feudis etiamſi avita. vel paterna non fuerint, vel de novo quæſita, collaterales ab inteſtato ſuccedant, & inter eos ordo ſuccedendi, ætatis, & ſexus prærogativa ſervetur deficientibus tamen ſucceſſoribus legitimis ex linea deſcendentibus.* Sexus, ut maſculus præferatur fœminæ; gradus, ut proximior remotiorem excludit.

Denique jure Siculo Virgo in Capillo excludit ſororem nuptam, etiamſi dos nec ſoluta, nec promiſſa fuerit, *cap. ſi aliquem*, ibi, *niſi forte de duabus concurrentibus eſſet primogenita maritata, & junior remanſerit in capillo: tunc enim junior, quæ remanſit in capillo primogenitæ maritatæ in ſucceſſione hujuſmodi præferatur. Sed ſi nulla remanente in capillo, duæ, vel plures fuerint maritatæ majori natu jus primogenituræ ſervetur, ut alteram in dicta ſucceſſione præcedat*; Cum. *ad d. cap. v. maritata num.* 5.

Digitized by Google

T I T. XX.

De jure vaſalli in feudo.

§. LVI.

De ſubfeudo juris Longobardici.

ADquiſito beneficio, naſcuntur jura, inter quæ præcipue ſubinfeudatio recenſetur, quæ ex utilis Dominii in vaſallum translatione oritur. Nam dominium, penes concedentem remanet; ut tamen & frui ad vaſallum tranſeat. Primum vocatur *directum*, ſecundum *utile*. Quæ diſtinctio veteribus, & ipſis juris beneficiarii conditoribus ignota fuit, ſed ab interpretibus excogitata, Cujac. *XI. obſ.* 35., Giphan. *antyn. jur.* 11. *diſp.* IV. *n.* 1., Ringl. *de Dom. Germ. lib.* 1. §. 2. Exemplo actionis *directæ*, & *utilis*. Non immerito. Illud enim dominium etſi minus plenum, quod fructuarius, & emphyteuta in rebus ſibi traditis habent, *utile* dici, propter fructuum perceptionem, nemo ambigit. Hinc res veteribus ſatis nota erat, licet nomen ignotum: ſed jus dominio *ſimile*, ſeu *proximum* dixerunt, cujus quænam ſint actiones? docet *lib.* IV., Noodt *ad tit. D. de R. D.* A. Faber XX. *conject.* 11.

Ob hoc utile dominium vaſallus, vel totum, vel partem ſui feudi ſubinfeudare alteri, inconſulto Domino, valet; cui Longobardica lex non refragatur II. *f.* 55. §. *callidis*, II. *f.* 34. §. *ſimiliter*, II. *f.* 3. §. *ſed etiam res*, II. *f.* 26. §. *beneficium*, Zaſin. *p.* IX. *num.* 17., Curt. *p.* IV. *num.* 83., Weſenb. *cap.* XI. *n.* 19., Piſtor *lib.* II. *qq.* 44. *tot.*, Alteſer. *de O. F. cap.* 6., Struv. *S. J. F. cap.* XII. *A.* 9., ſi Hotom. excipias. Quæ vaſalli facultas a primis feudorum originibus exerceri cœpit, Carol. Calvus *in cap. ann.* 844. *tit.* VI. 10. Germaniæ Duces ſub Merovidarum regno ſubfeuda concedebant, ut Carolus M. in ſuo Ducatu Taſſilonem Ducem, & *ceteros vaſſos ſuos* confirmavit, Sperner *de Conſuetud. feud. matre* §. 15. *in not.* Lex Aleman. *tit.* 36. *cap.* 5. *qualiſcumque*

Digitized by Google

que perſona ſit, aut Vaſſus Ducis, aut Comitis. Capit. Caroli M. *ann.* 812. 7. *De Vaſſis Dominicis, qui adhuc intra caſam ſerviunt, & tamen beneficia habere noſcantur, ſtatutum eſt, ut quicumque ex eis cum Domino Imperatore Domi manſerint, vaſallos ſuos caſatum non retineant.* Vaſſi enim Dominici erant, qui alios ſub ſe habebant Vaſſos, Sirmund. *ad Capp. Franc. tom.* 11. *p.* 786.

Nec ſolum Duces, & Comites prædia, & Latifundia a Principe jure feudi accepta minoribus ſubinfeudare poterant Vaſſis, ſed & Epiſcopi, Abbates, atque Abbatiſſæ beneficiis quoque donatæ, Cap. Caroli Calvi *an.* 869. *Volumus atque jubemus, ut vaſalli Epiſcoporum, Abbatum, & Abbatiſſarum, atque Comitum, & Vaſſorum noſtrorum talem legem, & juſtitiam apud ſeniores ſuos habeant, ſicut eorum anteceſſores apud illorum ſeniores tempore anteceſſorum habuerunt;* Ludov. Imp. *ann.* 850. in Conventu Ticinenſi; Concil. Cabilon. II. *cap.* 63. *Nullus Vaſſus Abbatiſſæ clauſtra ancillarum Dei ingrediatur.* Etenim ſi quiſque in media ætate rei ſuæ feudalitatem, & vaſſaticum adnectere poterat, multo magis Nobiles, Duces, Comites, Marchiones, Epiſcopi, atque Abbates, qui ob temporis calamitates & res ſuas, & eas quæ a Principe pacto feudi tenebant, inveſtiri non raro cogebantur. Recte Bulen. *in append. de off. Regni Galliæ tit. de feud.* advertit, *eadem feuda interdum dividebantur in ſubfeuda, ſeu ſecundaria feuda, quæ, qui accipiebant, obligabantur, danti, & primario Domino, vocabanturque milites militum, equites equitum, vaſalli vaſallorum, leudes leudorum, ut eſt in vita Caroli Magni.* Et ex vaſallorum diviſione conſtat, quam *lib.* 1. dedi, Cujac. *in* IV. *f.* 38., Voet *ad lib.* 38. *D. num.* 20., Perperam itaque Hotom. *diſp. feud.* 37. Subfeudationem jure Longob. vetari aſſeruit.

Subinfeudatio vera alienatio dici non poteſt, quia vaſallo remanet utile dominium, quod a ſuo ſeniore habuit, atque adhuc ei ſervire obligatur. Imo hæc vaſalli-ſubinfeudatio ſeniori utilis eſſenda eſt, quia majori ſtipatus exercitu, & comitatu, melius ei ſervit, meliuſque populo jus dicit Ringl. *de don. Germ. lib.* 2. §. 21., ut Sculteti a judice ordinario electi, juriſdictionem ab eodem in ſubfeudum accipiebant, Heinec. *elem. jur. Germ.* III. *tit.* 1. §. 47. *in not.* Nulla itaque querelæ ratio ſeniori eſt. Sed cur vaſallus infeudare, non vero in emphyteuſim dare poteſt? quia dum *vaſallus ſubinfeudat hoc facit ſub eadem conditione, & qua-*

Digitized by Google

& qualitate, & ſub eodem titulo, ſub quo habet: ſed quando concedit in emphyteuſim hoc non facit ſub eodem titulo, ſed diverſo, reſpondet Jacob. a S. Georg. *de feud.* §. *ita etiam quod num.* 8. In ſubvaſallum tranſit dominium etiam utile, quod inferius dici poteſt. Neque hic ſubvaſallus ſuum ſubfeudum alteri concedere prohibetur II. *f.* 34. §. *ſimililer*, Sonsbec. *par. XII. n.* 92., & *par. XIII. num.* 96., Scrad. *par. VIII. cap.* 2. *n.* 15. & 24. Gudelin. *de feud. par. IV. cap.* 2. *num.* 15. Et quidem in infinitum, quod male Andr. *in* II. *f.* 34. §. *quibusdam num.* II., & Camil. de Curte *in div. par.* II. *cap.* IV. *num.* 10. negant. Nam ſicut inveſtiens habet dominium proprium, ita ſubinveſtiens reſpectu ſubinveſtiti dominium directum improprium, reſpectu primi inveſtientis utile, ſubinveſtito ſuperius, Pucholz *diſſert. de feud. Boehm.* §. 10., Cujac. *loc. cit.*

Subfeudum eſt *conceſſio, quam vaſallus de ſuo feudo alteri ſincere, & iisdem legibus, quibus ipſe tenet, celebrat*, Giphan. *diſp. feud.* VIII. *num.* 50., Struv. *S. J. cap. XII. A.* 10. Solemnitates ſunt (I.), ut ſincere fiat, (II.) ut ſubvaſallus æque habilis ſit, (III.) ut iisdem pactis contrahatur. *Sincere*, ideſt, ne ſub colore ſubinfeudationis feudum alienetur II. *f.* 55. §. *callidis*, II. *f.* 26. §. *beneficium*, II. *f.* 9. Sed an vaſallus pretium, dum infeudat, a Valvaſino accipere poſſit: diſſentio eſt; placet, poſſe, quia ex pretio nulla fraus colligitur, nec venditio celebratur; nec vaſallus gratis concedere cogendus, dum ipſe Domino ſuo devictus remaneat, atque ex pretio ditior factus, ad ſerviendum aptior evadit, I. *f.* I. §. *ult.*, Struv. *S. J. cap. X. A.* II. 7. *Subinveſtitus æque habilis ſit*, hoc eſt ejusdem conditionis, vel majoris, non autem inferioris, ut intelligunt Andr. *in f.* 26. §. *benefitium*, *num.* I., Sonsbec. *par. XII. n.* 126., Cujac. IV. *f.* 22., Giphan. *loc. cit. num.* 51., Scrad. *par.* VIII. *cap.* 2. *num.* 13., cæteri. At ego diſtinguam; jure Longobardo, cum feuda ſint militaria, aſſidue decretum eſt, Valvaſinum militaris conditionis eſſe debere; proinde non cæco, non claudo, non monacho, non clerico concedendum, qui militare neſciunt, *d.* §. *ſimiliter*. Si vero feudum non militiæ armatæ, ſed togatæ fuerit, advocato ſubinveſtiri poteſt, ſi annui reditus, ſi tenuis ſervitii; tunc dignitas, vel nobilitas non tam ſedulo inſpicitur.

Ut iisdem pactis fiat d. §. *ſimilier*, puta ſi feudum datum ſit *pro ſe, ſuiſque heredibus*, non alia lege dandum, qua acceprum

ceptum eſt, ſcilicet pro heredibus maſculis & fœminis ſimul, ſecus aperitur Domino, aut, ut opinatur Obertus, tunc aperiri, dum maſculi deficiant, quæ ſententia humanior eſt *d.* §. *ſimiliter*. Nec pacto ſervitia, aut alia onera feudo annexa remittere, quia nemo plus juris in alium transferre valet, quam ipſe habet *l.* 54. *D. de R. J.*, & quia vaſallus pleno deſtituitur dominio, ideo nequit pro lubitu pacta adjicere. Secus *in* §. *callidis* II. *f.* 55., peccat, Gudelin. *de feud. par.* IV. *cap.* 2. *num.* 13., *&* 14.

Quæſitum eſt, quamdiu ſubfeudum duret; hic quidem agnatorum, & ſenioris vertitur præjudicium. Communiter pene receptum eſt, devoluto feudo, vel morte civili, vel naturali, vel lineæ interitu, ſi Valvaſinus ſervire Domino velit, Dominus non poſſe ei feudum auferre, Rolent. *cap.* IX. *memb.* I. 49. *num.* 8., Scrad. *par.* VIII. *cap.* I. *num.* 23., Sonsbech. *par.* XII. *num.* 130., ceteri. Male: nam regula juris eſt, reſoluto jure datoris, reſolvi jus acceptoris I. *f.* 13., II. *f.* 8. *l.* 31. *D. de pignor.* Omne jus, quod vaſallus in feudo habet, durat, donec ipſe vivit, & morte expirat, ſicut omne id, quod de feudo diſpoſuit, ceſſat. Sed jus, quo fruitur Valvaſinus dependet a jure vaſalli, ſi hoc extinguitur, expirat & illud. Præterea vaſallus nequit quid de feudo ſtatuere, quod Dominum obliget I. *f.* 13. §. *etſi clientulus*, II. *f.* 8. §. *e contrario*, *&* §. *quid ergo*, Piſtor *lib.* II. *qq.* 44. *num.* 8. *& ſeqq.*, Ringl. *de doman. Germ. lib.* 2. §. 21., Struv. *S. J. F. cap.* 12. *A.* 13. 4. Merito, quia natura clientelæ eſt juramentum ab eo recipere, qui vult præſtare, & ei præſtare, qui vult recipere; ſecus Domino præjudicium afferretur, devolutio feudi impediretur, & reciproca jura turbarentur.

Neque agnati in feudo paterno ſubinfeudationem ratam habere coguntur, Andr. *in* II. *f.* 3. *num.* 3., ibi Alver. *num.* 8., & *in* II. *f.* 9. §. *ſi vero num.* 3., & *in* II. *f.* 40. §. *preterea n.* 3., & *in* I. *f.* 4. §. *rurſus ſi aliquis*, Sonsbec. *par.* XIII. *num.* 174., Curt. *par.* IV. *num.* 85., Camer. *in* II. *f.* 55. *p.* 7., Struv. *loc. cit.*, quia in feudo paterno vaſalli diſpoſitio agnatis nocere non debet II. *f.* 26. §. *Titius*, etſi Domini conſenſus accedat II. *f.* 39., quum agnati jure proprio ad feudum invitentur. Id tamen verum eſt in feudo ex pacto, & providentia: nam ſi eſt hereditarium, ſubinfeudationem, ſicut & aliud factum, ratam habere coguntur,

Piſtor

Piſtor *lib.* II. *qq.* 44.; dicam *lib.* III.

Subvaſallus a Principe inferiore inveſtitus nobilitatem conſequitur, licet dignitatem regalem ſeu titulum Comitis non gerat, & proinde dignitatem territorio annexam obtinet Brunckn. *de dom. reg. Germ. cap.* V.

§. LVI.

De ſubfeudo regni Neapolit.

Longobardos, qui Beneventano Ducatu, Salerni, & Capuæ principatu potiti ſunt, manſos, curtes, territoria, & caſtra ſubfeudi titulo conceſſiſſe nemo inficiatur, quamvis exempla nobis deficiant. Expulſis Longobardis, Nortmanni ante Monarchiam, easdem ſubinfeudationes ſuis Baronibus agebant. Rogerius I. Siciliæ Comes ann. 1076., Trapanens; urbe, & XII. Caſtris deviĉtis, ea ſuis militibus ſimul cum pertinentiis *diſtribuit*, qui *primi Siciliæ Barones* vocantur, Inveg. *annal. Palerm. to.* III. *ad ann.* 1076., & 1096. Et quoniam tunc Longob. lex vigebat, non dubitatur, quin hujuſmodi Barones ſuorum beneficiorum portionem ſubinfeudaſſent.

Ereĉta Monarchia, omnes infeudandi facultas ad Regem, tranſiit. Nam Roger. I. in Conſt. *ſcire volumus lib.* III. omnem feudi alienationem interdixit; eumque Frid. II. in Conſt. *Conſtitutionem D. M. lib.* III. 5. ſecutus eſt, niſi Regis accederet placitum; proinde omnes juris Longobar. textus ſubinfeudationem permittentes in Regno exoleverunt, Andr. *in* II. *f.* 40. *num.* 7., Montan. *in* II. *f.* 55. *num.* 128. Meritò: quia infeudatio exemptionem a tributis, nobilitatem, dignitatem, atque hominium parit, quæ ſolo Regi concredita ſunt Conſt. *Comite, vel Barone lib.* III. 24., dixi *lib.* I. *tit.* IV. §. 15.

Indiĉtis Rogerii, & Frider. legibus; Comites Valvaſinos de manſis, vel oppidis inveſtitos ſibi creabant, quibus ſtipati ad exercitum irent, Frecc. *de ſubfeud. lib.* I. *tit. de antiq. ſtat. Reg. num.* 71., ut familia Ruffulorum, Robertus Comes Loretelli ſub Nortmannis celeberrimus, qui cum bona monaſterii S. Barthol.

Car-

Digitized by Google

Carpin. occupaſſet, mandavit *Baronibus ſuis*, *ut Dominus Abbas* (Oliverius) *vellet aliquid contrarium*: *Gentilis de Britulo in Curia Domini Regis* [Willelmi II.] *proponere ipſi quantum poſſent, obſiſterent*, inquit, Chron. ejusdem Monaſt. *edit. Ughel. lib. v.* Familia de Geſualdo ſex poſſidebat ſubfeuda, quæ Monaſterio Trinitatis Cavæ donavit, Scip. Ammir. *Fam. Neap. de hac fam.*, qui & plurima Comitis Marſici in Antonio Comite IV. ſubfeuda recenſet, quæ nobilitatem conferebant.

Falco Benevent. *in Chron. ad ann.* 1134. *Præfatus autem Comes Rainulphus Baronum ſuorum nequitiam comprèbendens*, Regi ſe ſubmiſit. Et ad *ann.* 1137. Comitis Rogerii de Ariano Baronum meminit. De Comite Marſicano, inquit, Charta apud Pirr. *Sic. Sacr. tom.* 1. *p.* 629. *ann.* 190. *Nos Willelmus Dei, & regia gratia Comes Marſicanus, & Dominus Raguſæ ad petitionem Dom. Laurentii Venerabilis Syracuſani Epiſcopi miſimus ſubſcriptos Barones noſtros, Robertum ſcilicet de Rocca, ejus filium Apolonium regium Juſtitiarium, & Conteſtabilem, Ogerium Caſtellanum Noti &c.* Atque hodie nullus fere Comes eſt, qui ſubfenda non poſſideat.

Modus, quo hæc bonorum clientelarium ſubinfeudatio fiebat, triplex olim, atque hodie eſt. (1) Vel Baro domania feudi, hoc eſt prædia, vineas, oliveta, montes, paludes, nemora, piſcationes, venationes, jurisdictiones, bajulationes, alioſque reditus, vel caſtra ſubinfeudat, & Regis conſenſu opus eſt, quo feudum *quaternatum ſecundum quid* oritur, cujus naturam *in proleg. cap.* IX. §.46. dedimus, Camer. *in* 11. *f.*55. *p.*73., Lipar. ad Andr. *in* 11. *f.*55. *num.* 8. (2) Vel terras cultas, aut incultas jure feudi concedit, hac lege, ut ab eo recognoſcentur, eique tantum militare ſervitium vulgo *adoba*, ſolvatur, & *ſubfeudum planum militare* conſtituitur. (3) Vel & terras ſteriles ſub panis, vini, pecuniæ, aliuſve rei præſtatione concedat, & *ſubfeudum ruſticum, tenimentum, curtis, manſus* nuncupatur, Cam. Cacac. apud Capan. *de jure adob. q.* VII. *num.* 8., Marin. *lib.* 1. *reſol. cap.*232. *num.* 4.

Exemplum militaris ſubfeudi exhibet Contentio Comitis Caſertæ ann. 1327. apud Ugel. *tom.* VII. *Ital. Sacr. Feudum quod tenet Riccius de Caſtro-mari, conſiſtit in domibus, vaſallis, Starziis, poſſeſſionibus, reditibus, & juribus aliis, de quo præſtatur Comiti Caſertæ rectum feudale ſervitium videlicet cum adobaur*,

 ſol-

ſolvitur ex eo adobamento unciæ ſex, tareni tres, & gr. quindecim. Item feudum quod tenetur per Pignatellos, conſiſtit in dobus vaſallis Starziis, poſſeſſionibus, reditibus, & juribus aliis, de quo præſtatur Domino Civitatis Caſertæ certum feudale ſervitium, videlicet cum adobatur, pro adobamento unciarum auri una, caroleni vigintiduo, & gr. decem. Hæc ſubfeuda inveſtituris feudi quaternati, niſi excepta ſint, continentur.

Verum ſive cultas, ſive ſteriles domanii terras Baro infeudare, vel ad longum tempus concedere velit, Regis conſenſus requiritur. Quod ſi easdem ad ſe, vel ob lineæ extinctionem, quidve aliud devolvantur, iterum ſine Regis placito ſubinfeudare permittitur; & tunc lex Regni *excadentias*, ſeu feuda plana, & de tab. appellat Conſt. *Conſtitutionem D. M. lib.* III. 5. *Excadentias autem Baronibus, & Militibus locare permittimus: dummodo ſub eo annuo ſervitio, & redito locentur, ſub quo antiquo locari conſueverunt. Ita quod in nullo debitum ſervitium, vel reditus minuatur.*

Res itaque excadentialis eſt, quæ ſemel Regis aſſenſu ſub annuo ſervitio, vel reditu conceſſa fuit, poſtea ad Baronem devoluta, tunc eandem Baro ſine ſolemnitate infeudare valet Afflict. *ad d. Conſt. num.* 59., Lipar. *ad Andr. in* 1. *f.* 1. *v. excedentias*. Nam regula juris in Regno eſt, res domanialis Baroniæ ſi ſemel cum Regio conſenſu ſubinfeudatur, ad Baronem devoluta ſolus ſubinfeudare poteſt. Obtinuit tamen apud nos, quod ſi Baro eas ad ſe devolutas XXX. ann. retinuerit, atque in cenſu domanii deſcripſerit, ſi velit, nequit infeudare, niſi Regis adſit conſenſus, Andr. *in* 1. *f.* 1. *num.* 3. 4. 5., quia hac temporis diuturnitate in feudis recepta rei conditio mutatur II. *f.* 26. §. *ſi quis per triginta*.

Excadentiarum conceſſionis indoles (1) eſt, ut Comes ſub annuo reditu, & ſervitio conſueto infeudet d. Conſt. *Conſtitutionem D. M.* Andr. *in* II. *f.* 40. *num.* 8., & *in* II. *num.* 53., Camer. *eo. p.* 15. & 40., Regeſtum Regis Frid. apud Andr. *in* II. *f.* 37. *in fin. Continetur in regiſto Imperatoris, quod ſervatur in archivo, quod ſi terras parum utiles de demanio feudi concedat, ut plantentur, & certa portio fructuum inde reddatur annuatim Domino terræ, non pecunia. Quod non poteſt revocari, ſecus ſi modica portio, ut per hoc fraus poſſet præſumi.* Conſuetum ſervitium eſt, quod ab anteceſſoribus ſolvi ſolebat.

Hinc

Hinc clauſula a Nortmannis inventa apud nos invaluit, quæ in feudorum inveſtituris apponi ſolet, *de domanio in domanium, de ſervitio in ſervitium;* ut Rex Willel. ann. 1157., dum feudum Broccatum Eccleſiæ Panormitanæ donavit, uſus eſt; eandemque Eccleſiam Manfredus ann. 1250. de caſtro Aſinelli, & Gratteræ cum juribus inveſtivit, *quæ de demanio in domanium, & quæ de ſervitio in ſervitium duximus concedenda*, & in capite a R. Curia tenenda Pirr. *Sic. Sacr. tom.* 1. *p.* 147. Quod & vidit Andr. *in* 11. *f.* 16. *num.* 10. *donamus tibi talem terram cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, quam de demanio in demanium ſcilicet habeas tu feudatarius: quam de ſervitio in ſervitium, ut ſcilicet feudatarii alii, qui ſunt in illa terra non habentes feudum quaternatum, ſed planum, & de tabula tibi ſerviant.* Nam Comes meliorem non deteriorem feudi conditionem facere poteſt.

(2) Bona fides, ne videlicet pro modico reditu infeudet, quum potius alienatio, quam infeudatio cenſeatur, Paris *de redin. cap.* 19. *&* 20., Andr. *in* 11. *f.* 40. *num.* 8. An in pecunia? Regeſtum negat; puto, poſſe, ſi fraus abeſt. Quæſitum eſt, an Comes has excedentias ad ſe devolutas rurſus ſubinfeudare teneatur? placet, non teneri, ut apud nos moribus receptum eſt; nam ſi poteſtate legis infeudare valet, eadem & retinere, Ponte *de Pot. Proreg. tit. de elect. offic.* §. 111. *num.* 46., Afflict. in d. Conſt. *Conſtitutionem num.* 54. *&* 55., ut de domanio Eccleſiæ infeudari ſolito probat Andr. *in f.* 6. *num.* 1., Paris *de redin. cap.* VI., Franc. de Amic. *in* 1. *f.* 1. *p. m.* 44.

(3) Succeſſor Baronis ſive infeudo hereditario, ſive ex pacto excadentiarum conceſſionem ratam habere cogitur; quia dum Baro excadentias conceſſit, geſſit id, quod a lege impoſitum erat, ut ſolita infeudataret, idcirco nomine feudi tanquam adminiſtrator geſſiſſe videtur. Nec regula juris Longobard. hic obtinet, ut reſoluto jure datoris, jus acceptoris reſolvatur 1. *f.* 5. §. *rurſus*, Camer. *in* 11. *f.* 55. *p.* 7., Ponte *de Pot. Pror. tit. de elect. off.* §. 3. *num.* 10. (4) Excadentiarum poſſeſſor alienare, vel in dotem dare, ſine conſenſu Baronis prohibetur, Paris *de redin. cap.* 17. *num.* 5. *&* 6. *& cap.* 91. *num.* 2. (5) Hæc bona in collectis contribuunt, quæ bonis emphyteuticis comparantur, Paris *de redin. cap.* 16. *num* 9., nec pro iis fidelitas præſtatur, ſed bona *redititia* feudi vocamus.

Præ-

Digitized by Google

Præterea quilibet vaſallus pro Domino habetur, ex omnibus quodammodo dominii partibus. Nam dominii partes ſeu jura duo ſunt, *poſſeſſio*, & *fructus*. *Poſſeſſio*, hoc eſt jus habendæ, poſſidendæ, & retinendæ rei, ex quo interdictum uti poſſidetis, quaſi vindicatio, exceptio, condictio ex moribus; actio finium regundorum, legis Aquiliæ, publiciana, aliæve, de quibus *lib. IV.*, Roſent. *cap. XII.* 12., Gudelin. *de jure feud. par. IV. cap.* 1. *num.* 4. & 5. *Fructuum* nomine jus utendi fruendi intelligitur; nam Feudiſta *in* 11. *f.* 23. feudum appellat *uſumfructum*, hoc jus percipiendi omnem commoditatem, & fructus, qui ex feudo naſcuntur.

Fructus, quos ex feudo vaſallus percipit, ſunt naturales, induſtriales, civiles; quæ diviſio Coraſio *ad l. divortio D. ſolut. matrim.*, & Petro Grangiano *parad. jur. civ. cap.* 21. diſplicuit. Male. Fructus naturalis eſt, quem natura facit, nec arte opus eſt, ut poma, pira, ſilva cædua, gramen, folia, frontes, ligna, *Geneſ.* 1. *v.* 12., ubi Fagius, & Vatab., quum terra ſeipſam ſeminet. Induſtrialis eſt, cui hominum induſtria accedit, ut frumentum, vinum, oleum, & omnes fructus qui ſeminantur. Civilis eſt, qui ex uſu rei percipitur, ut penſio domus, merces jumentorum, operæ ſervorum, emolumentum juriſdictionis, compoſitio delictorum, pœnæ civiles, Wilenbac. *ad l.* 22. *C. de R. V.* In his, quia natura non æqualiter operatur, arte hominis excitata diverſas fructuum ſpecies parit, ut in *l.* 45. *D. de uſur.*, *l.* 62. *D. de R. V.* Hos omnes vaſallus ſuos facit, & de iis diſponere, uti lubet, poteſt, modo ſint percepti: nam pendentes non poteſt alienare ſine Domini conſenſu, quia ſunt pars feudi *l.* 44. *D. de R. V.*

F I N I S.

Digitized by Google

005643026

Digitiz